LVDOVICI

SEPTALII

MEDIOLANENSIS MEDICI,

IN

Librum HIPPOCRATIS COI de AERIBVS, AQVIS, LOCIS,

Commentarii V.

Appositus est Graecus HIPPOCRATIS *contextus, ope antiquorum Exemplarium restitutus, & in multis locis emendatus; unà cum noua eiusdem in Latinum versione.*

Cum INDICE Rerum & Verborum locupletissimo.



mor.

COLONIAE

IOAN. BAPTISTAE CIOTTI Senensis ære.

cIↃ IↃ XC.

IO. VINCENTIO PINELLO VIRO CLARISS.

LVDOVICVS SEPTALIVS

S. P. D.

EA vis est veræ solidæque virtutis, vt homines alliciat ad eos amandos, in quibus illa pulcherrimè elucet: amoris autem natura videtur eiusmodi, vt vix natus augeri incipiat, progrediatur paulatim, emergat aliquando, & eorum, qui amant, voluntates mira quadam suauitate coniungat. Atque illud quidem plerique fatentur, qui nisi feri ac ferrei omnino sint, nisi humanitatem exuerint, vel inuiti coguntur egregios & præclaros viros amare: hoc autem ipsa naturæ nostræ ratio postulat; quæ vt societatem maximè tuetur, ita vim amori colligandi dedit, vt animos vel ignotos, vel longo etiam locorum interuallo inter sese disiūctos arctissimo vinculo constringat mutuæ beneuolentiæ. Hoc mihi etiam contigisse animaduerto, PINELLE doctissime, cùm annis præteritis, viuente adhuc OCTAVIANO FERRARIO nostro, sæpius, vt eius moris erat, de te fiebat mentio: neq; aliunde sumenda est mihi testimoniorum fides; cùm mihi ipse testis sim, cui facilè crediderint, qui te talem & tantum virum probè norint. Nam vt primùm te generis claritate, prudentia, eruditione, ac virtutum splendore illustrem esse intellexi, licet de facie nondum te noueiim (dicam quod res est) studio tamen tui sum accensus incredibili, nec obseruātiam dies imminuit, sed auxit potiùs, & ad summum perduxit. Hinc natos impetus animi sentire cœpi; quibus effectū est, vt arctioribus etiam amicitię vinculis tecum coniunctus esse vehementer studuerim: & mihi nunquam satisfacere potuissem, nisi cum tanto viro saltem obseruantiæ vinculum me colligasset. Vnum tamen restabat, quod vehementer exoptabam, vt hanc meam in te singularem beneuolentiam intelligeres, & quæ singularis tua est humanitas, etiam amares: quod, nisi importuna mors OCTAVIANVM nostrum abstulisset, facilè eo tempore etiam impetrassem. Postquam autē & diuturna eius aduersa valetudo impedimento fuit, quò minus præstaret, quod & optabat, & libenti animo pollicitus erat, tum & postremò eius mors immatura (quomodo enim immaturam mortem non appellem in eo, qui

immortalitate digniſſimus erat) nihil habui antiquius, nihil expectaui
attentius, quàm vt opportuna ſatis voluntati reſponderet occaſio. Hæc
mihi Scholia & Commentaria in librum Hippocr. de Aeribus, Aquis,
Locis in lucem edere deliberanti tandem ſatis opportuna viſa eſt, ſi &
ea tibi dicarentur, & tuo nomine inſignita apparerent: non ea quidem
lege, vt illa legas; neque enim occupationes tuæ & grauiora ſtudia hoc
patiuntur: neque vt ab inuidorum & maleuolorum morſibus defen-
das; veritas enim defenſore non eget; falſa autem defendi à te non de-
bent; neq; id poſtulare ingenui hominis eſſe exiſtimarem; ſed vt illuſtri
virtutum tuarum ſplendore mei ij, qualeſcunq; ſint, labores magis ni-
teſcerent; atque omnes intelligant, me in tua conſtitutum eſſe amicitia;
quin etiam, vt monumentum aliquod obſeruantiæ in te meæ exiſtat.
Mihi autem, cùm tot ac tantæ virtutes in te ſitæ ſint, dubitandum non
fuit, quin ea mente, qua eas ipſas virtutes colis, hunc primum ingenij
mei fœtum amicitiæ noſtræ principium, ac mutuæ beneuolentiæ
fundamentum ſis ſuſcepturus.

Vale.

LVDO-

LVDOVICI SEPTALII MEDIOLANENSIS MEDICI IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE AERIBVS, AQVIS, LOCIS,

Commentarius Primus.

CVm multa sint, quę aliquē ad antiquos scriptores exponēdos impellere, & quasi inuitū trahere soient, auctoris dignitas & præstantia, libri vtilitas, atque eiusdē difficultas; eadem quoque me ad hunc Hippocr. de Aeribus, Aquis, Locis, librum, & interpretandum, & commentariis il lustrandum iouitarunt: cùm enim io spurios, & ab Hippoc. genuina doctrina, & grauitate alienos & multi tum antiquiores, tum posteriores commentaris ediderint, cur eum quem vbiq; Galenus, & cæteri omnes Gręci, Arabes, & Latini, vt preclarissimum Hippocr. partum agnoscunt, dignum qui exponatur, non censebimus? Galenus enim & vt genuioum Hippocr. amplectitur, & commentariis se hunc librū illustrasse fassus est libro de libris propriis: tertio etiam Aphoris. 8. 9. & 13. sumpto ex hoc libro tanquam Hippocratis testimooio suam confirmat expositionem: in procemio quoque commētarij primi in libro a Hippoc. de Morb. vulg. huius libri, vt Hippoc. mentionem facit, & eiusdem vtilitatem profert, sicut & lib. 3. de Diff. respir. cap. 9. vbi librorum Hippocr. diligentissimus est censor, & in lib. q. animi mores sequātur corporis temperaturam. Sed omissis auctoritatibus, quod hac in re omnē tollit difficultatem, est dicendi ratio breuis, sententiis grauissimis referta, atq; ita peculiari Hippocr. dicendi charactheri persimilis, vt vix vllum aliū reperire Hippoc. librū valeamus, qui solitam eiùs grauitatem ita referat. Verùm vt io Hippocratis libris secernendis, & dignoscendis, quis accuratius iudicium afferre possit, diligēter illud est obseruandum, eorum librorum, qui ab Hippoc. scripti, diuina quadam sorte nobis reseruati sunt, tria esse genera; primum ordine & dignitate est; in quo, vt docet Galenus primo com. Prorrhet. cap. 13. & tertio eorūdē cap. 7. doctrina medicę cootemplationis per vniuersalia pręcepta traditur, particularium nonnunquam insertis exemplis ad disceotium iuuandam intelligentiam: tradit aūt hęc contemplationis species non nisi ignota, vtilia, & vera; perpetuoq; non solum vniuersalia; & generica signa habet, sed etiam specifica. Verùm quoniā, vt docet ibidem Galenus, noo satis est vniuersalia præcepta addiscere, vt ea promptè in operibus dignoscantur sine exercitatione, hac ratione exercitationis gratia libro de Morb. vulgaribus ægros descripsit, in quibus nihil eorū, quæ iis contigerūt notatu digna, est omissum; hinc secundum Hippocr. scribendi genus pulcherrimum, atq; artificio summo traditū emanauit, in quo quæcunq; io ægris apparent particularia, siue sint eiusdem speciei aut generis, siue heterogenes, permiscet. Tertium genus scriptum est, non vt ederetur, sed vt esset tanquam monumentum ac commentariū in subsidium memoriæ: quicquid enim vel demonstratione, vel quotidiana experientia circa ægros obseruabat, io pugillaribus annotare solebat: de quibus Thessalus eius filius, quæ magis notatu digna videbantur excerpens ac tabellis cereis reponens, seorsum seruabat. Hoc scriptionis genus primo Prorrhet. 13. ὑπόμνημα, ad memoriam commentariū, vocabat, aliquando etiam libros ex parua tabella, vt in libro de Humor. versus principium: hoc à secundo scribendi genere artificio, præceptis, & loquendi proprietate longè est dissimile, non enim, vt in illo obseruat, quæ morbum antecesserint, quæ comitentur, aut singulis diebus superueniant, neq; quid vnicuiq;, particulari affectione, ægro accidat, recenset, sed confuso quodam modo, ac breuissimo vnum, aut alterum obseruat, & quandoq; ex eo vniuersale præceptum quasi facit: sub hoc genere libro de Difficul. respir. Galenus comprehendi scribit secundum, quartū, & sextum lib. de Morb. vulg. Postremum hoc genus vt illi vtilissimum, ita nobis tum difficillimum, cum non ita securè sequendum: Secundum, vt vtilissimum nobis, atq; sedula admo-

dum diligentia conscriptum, lectitandum, atq; toto animo amplectendum semper esse duxi; vtpote in quo ea conspiciantur, quæ quotidie, dum ægris medendo operam damus, à nobis animaduertuntur; vnde quæ non nisi longo vsu, atq; longioris téporis obseruatione cognosci possunt, in iis tanquam animaduersa, & ab omnium maximo quasiq; diuino artifice obseruata, breuissima verborũ serie traduntur; ita vt duplici ratione medicis possint satisfacere, tũ vt inde vniuersalia præcepta medica tanquã ex particularib. colligere queant; tum vt vniuersalium præceptorũ iam traditorũ particularis sit quædã exercitatio atq; obseruatio. Sublimiorem tamen iis omnib. locũ obtinent primi generis scripta, vtpote quæ, cùm vniuersalia sint, præceptaq; tradant communiora, ex illisq; particularibus excerpta maiorẽ quoq; artis formã præ se ferant; vnde etiam in eo scribendi genere summũ quasi honoris fastigiũ est assecutus Hippoc. Huiusmodi sunt, quę de Natura humana cõscripsit cõmentaria, quę de Victus ratione in acutis, libri Aphorismorũ, Prognostica, quæ cùm signa pertractẽt, eorũ solùm vires generatim, & vniuersè prosequitur, atq; concursu signorum vnam affectionem indicantiũ. Hunc librum, vt tandem ad institutum reuertar, qui de Aëribus, Aquis, Locis inscribitur, sub nobilissimo hoc ac penè diuino scribendi genera contineri, ita manifestũ ẽst, vt nulla demonstratione indigeat, nam vltra Galen. qui in hoc libro causas vniuersales eorũ, quę in lib. Epidem. scripta sunt, tradi scribit, tum & eorũ, quæ absolutè in 3. Aphor. manifestè etiam cõprehenditur ex iis, quæ per totũ hunc librũ seriatim facit: verũ de hac re postea; illud solũ, q. instituti nostri erat, colligendũ est, dignissimũ esse librum hũc, qui cõmentariis illustretur, ratione nobilitatis scriptoris; cuius etiã dignitas inde augetur, q. hũc librũ inter eos esse docuerimus, qui inter Hippocr. cõmentaria supremũ quasi apicem attingunt. Quòd si quis nõ in auctoris præstantiam, sed in libri vtilitatem, commentandi rationem referre velit, hic liber ꝓfectò inter oẽs Hippoc. libros erit dignissimus. Nam cùm in hoc libro ea cõtineantur, quę ad sanitatem tuendã, morbos imminentes præcauendos, pręsentes profligandos, eosdemq; prædicendos, tum cõmunes, tum dispersos: tum deniq;, quę ad victus rationem probè instituendam faciũt, tradantur, quis summam huius libri vtilitatem non admirabitur? nam si medicus & populares morbos cuiuscunq; tandẽ sint generis, & priuatos oẽs morbos rectè debet & imminẽtes prænouisse, & præsentes curare, certè nunquam de iis rectè sciet differere, nisi aëris nos ambientis statum, mutationes, tempestatesq; probè cognouerit; cùm aër diuinã quasi naturam habeat, & vires tum in temporũ, tum etiam in corporũ mutatione maximas sortitus sit, diligenter medicus aëris constitutionẽ, cæterasq; ei⁹ facultates reæ

ctè debet perpendere; omnia enim quæ cœlum ambit, & regit, commutat, mouet, permeat, corrumpit, conseruat, & sustinet; vnde lib. de Flatibus, nihil sine hoc fieri, nihil ab eo abesse, omnibus rebus adesse, spatiũ omne inter cælũ, & terram eo esse refertam, hyemis & æstatis causam esse, atq; Solis, & Lunę cęterorumq; astrorum cursus per spiritũ procedere scriptũ est. At verò neq; solius aëris ambientis sufficit cognitio, sed etiã locorũ in quib. mederi velit medicus, aut aliquid prædicere futurum, aut docere præsens, oẽm naturã, situm, ventos peculiares, tum etiã incolarũ victũ propriũ, & mores temperaturasq;, quin astrorũ ortus, & occasus (eorum præsertim, quæ in aëre & hominib. mutationes magnas & insignes efficere valẽt, vti Caniculæ, Arcturi, Vergiliarũ) & æquinoctiorũ, & solstitiorũ stata tẽpora probè cognouisse oportet. Sed pręter hęc etiã tenetur ex arte medicus naturã aquarũ cognoscere, tum & earundẽ perfectionẽ & malitiã, q. earũ mutatio soleat plurimùm esse molesta, & vsus eius creberrimus maximi momẽti esse solet, qd' corporib. maximas inducat mutationes; ad quorũ omnium cognitionẽ, cùm viam paret, & sternat hic liber, meritò inter libros oẽs Hippoc. dignissimus est, qui legatur sæpius, & illustretur. Accedit ad hoc, q. tertio loco proposuimus, difficultas, quæ cùm Hippocrati ob breuitatẽ peculiaris esse soleat, in hoc multò magis ast aucta, tũ ob deprauata Græca exemplaria, mutilata, passim decurtata, atq; tum demũ ita immutata, vt nullũ alium librum Hippoc. ex iis, qui extant, maiorẽ iacturã passum fuisse, verisimè affirmare possim, tum ob disciplinarũ varietatẽ, quę in hoc libro comprehenditur. Cõprehendũtur enim præcepta nõ modò Medicinę, sed etiã Physiologiæ, Astrologiæ, & Cosmographiæ quàmplurima. Quantũ aũt sit deprauatus, vel ex impressis Græcis codicibus licet colligere; in quib. bona hui⁹ libri pars libello de Vulnerib. capitis eiusdẽm Hipp. est applicata, q. & in nõnullis manuscriptis videre est, neq; Caluus, qui primus, q. sciam, hunc librũ in Latinũ conuertit sermonẽ, id animaduertit. quinimo etiam ea pars, quæ illi libro est affixa, ita deprauata est, atq; inuersa, vt mirũ sit, quomodo pristinã formam valeat recipere. Doctissimus etiã Gadaldinus, qui multa in hoc libro beneficio antiqui manuscripti correxit, alterã ordinẽ ab eo, quẽ nunc ex Cornarij traductione habemus, ex antiquo suo libro, nos docuit. Quin & nos adiuti exemplarib. cum antiquis manuscriptis collatis doctissimorũ virorum, Octauiani Ferrarij, & Cæsaris Dauidij, nõ pauca correximus, subtraximus, apposuimus, atq; disposuimus, ex quibus manifesta est huius libri difficultas. In quo quidem illud est, vt iam docuim⁹, Hippoc. institutũ, varias aëris & ventorum differentias, ex quibus, & vrbes, & habitationes, & qui in eis degunt, vario modo afficiuntur, tum & aquarum, quibus quisq; vti potest,

test, varietates, tum varias corporũ, & morborũ mutationes ex iis, q̃ in anni tẽporib. eueniunt, accidẽtib⁹; tũ postremò regionũ, locorũ, & gentiũ particulares qualitates, mores, & ꝓpria temperamẽte, q̃n & eorundẽ inter se cõparationes explicare. Neq; verò est, q̃ quispiã miretur, quõ vnico libello plura subiecta definiã. Nã vt vni⁹ sciẽtiæ totelis (q̃ aiunt) vnicum subiectũ statui oportere cõcedam⁹, vt & scientiæ vnitas constituat, & vnicũ habeat contẽplabile subiectũ, ad q̃ reducant omnia, vt principia, species, & passiones, ite vni⁹ partis sciẽtiæ negabo necessariũ esse vnũ adesse subiectũ, q̃ in vno libro artifex plures partes vel passiones assumat considerãdas. Quemadmodũ in 8. libris de Physico auditu non principia modò vniuersalis subiecti Philosophiæ naturalis statuo subiectũ, sed etiã passiones voiuersales. Quid ergo ꝓhibet, si in hac tractatione medica particulari plura statuam⁹ consideranda, situs vrbiũ, aërem ambientẽ, ventos, aquas, temporũ mutationes, tũ & varias regiones, hominũq; in eis degentiũ mores diuersos. Modus verò quo hæc cõsiderat, quẽ formã, siue formale subiectũ dicunt, est, quemadmodũ dixim⁹, vt ea apta sunt variè immutando corpora varios morbos inuehere, variaq; inde & præseruationẽ aut curationẽ ostẽdere, quò scilicet medic⁹, si q̃n varia loca adeat, possit ꝓ varietate aëris, ventorũ, aquarũ, & regionũ præsentia docere, præterita prænouisse, & futura prædicere, variaq; tunc demũ instituere curationẽ. Vnde etiã fit nobis manifestũ, ad quã Medicinæ partẽ reduci debeat; pertinet.n. ad illã, q̃ παθολογικὴ est: morbos.n. ac affectus præter naturã, qui pñt homini euenire, ex diuersis causis in hoc libro demonstrat, eorundẽq; causas & signa pcurrit. Vnde Erotian⁹ in præfat. sui Onomast. libros oẽs Hippoc. ad quatuor classes reducẽs; significatiuos, causatiuos, curatiuos, & mixtos, hunc librum sub causatiuorum classe, & ipse reducit.

Hacten⁹ docuim⁹ huius libri auctorẽ, vtilitatem, præstantiã, difficultatẽ, materiam, formã, & locũ: sequit̃ nunc vt ad Hipp veniam⁹. Inscribitur hic liber cõiter ea ratione qua dictũ est ab initio περὶ Ἀέρων, Ὑδάτων, Τόπων, q̃ est, de Aëribus, Aquis, Locis; hanc etiã inscriptionẽ amplexus est Gal. 3. Aphor. 11. 13. & 14. Aliquando rñ, vt libro q̃ animi mores sequãtur corporis temper. & libro de libris propriis, c. 6. περὶ οἰκήσεων, καὶ ὑδάτων, καὶ ὡρῶν, καὶ χωρῶν. i. de habitationib. & aquis, & anni temporib. & regionib. inscribit. Augustinus Gadaldinus homo sanè quàm doctus, & in Gal. libris admodũ versatus, in libro quẽ habuit manuscripto, cuius beneficio libri huius partes positas alibi, & dispersas collegit, simúlque cõposuit, tum & mẽda sustulit, quæ in eodem libro inerant, plurima, inscriptionẽ etiam ab ea, q̃ in impressis habemus, diuersam in eodem scribit fuisse huiusmodi: Ἱπποκράτους περὶ ἀέρων, τόπων, ὑδάτων, χωρῶν, ἀνέμων, ἄστρων. q̃ est: Hipp. de aëribus, locis, aquis, temporibus, ventis, stellis: rerum præterea, quæ in hoc libro tractantur ordinẽ alterum, quem antiquus ille seruauit liber, idem exponit. Alia præterea inscriptio huius libri reperitur apud Erotianũ in prooem. Onomast. περὶ τόπων, καὶ ὡρῶν, i. de locis & temporibus. Quin, & nos ex codice iam dicto aliam addemus, περὶ ὡρῶν, ἀέρων, ὑδάτων, τόπων, q̃ est, de temporibus anni, aëribus, aquis, locis. Quid igitur in tanta varietate à nobis erit sentiendũ? Certè, quod ad Galeni attinet inscriptionẽ, dixerim esse potius explicationem quandam, quàm veram inscriptionem: quòd inscriptio quàm breuissima esse debet, sed omnia continens: hæc aũt cùm aërem omittat, & ventos, in quib. explicandis bona huius libri pars consumitur, diminute dicenda esset, nam quãuis sub aëre habitationes, & anni tempora comprehendi docuerit ipse Galenus 9. Meth. med. tanquam species sub genere; nunquam tamen concedet sub habitationibus aut temporibus anni, quæ sunt species, genus contineri: q̃ si quis dixerit, ventos, & aërem tractari in gratiam habitationũ, id ex parte illi concedam, sed etiam aquę in earundem gratiam considerantur, quæ tamen seorsum ponuntur; accedit quod nõ de aquis modò per se, sed etiã de ventis tractare docuit ipsemet Hipp. in prooem. quod si de aëribus inscribatur, omnia eo titulo comprehendi constat. Quæ etiã Gadaldini est, nullo modo à me probari potest, sicut nec rerum ipsarum ordo. Titulus enim ipse, de quo dicã in præsentie, duas res habet, quarum altera superuacanea, altera præter rem mihi videtur esse posita: illa quidẽ quam superfluam diximus, est περὶ ἀνέμων; idem enim significauit Hippocr. cum dixit περὶ ἀέρων: hæc verò est, quæ præter rem, περὶ ἄστρων, de qua re nihil fere in hoc libro. Erotiani etiam inscriptio nimis est cõcisa: quòd aquarum tractatio, quæ non paruã huius libri partem occupat, esset prætermissa, nisi, quem de aquis librũ seorsum nominat, partem huius inscriptionis esse dixerimus: sed ne tunc quidẽ recipi potest, nisi ὡρῶν, in ἀέρων immutemus; quamuis enim sub aëre anni tempora comprehendi passim docuerit Galenus, nunquam econtrà sub temporib⁹, quæ species sunt, aërem, qui genus est, comprehendi posse dicemus. Qua ratione etiam alterã ex manuscripto desumptam minus probabimus, quòd anni tempora apponat, quæ etiã ex Gal. 9. Meth. med. vbi indicationes omnes mittendi sanguinis ad sensum reuocat, sub aëre cõprehendũtur. quinimò ea ratione probari nõ debet, quòd min⁹ ordinatè inscripta disponat: neq; enim de anni temporibus ante ventorum tractationem, aut aquarũ egit. Erit igitur ea recipienda, quæ communiter etiam in impressis reperitur, tanquam Hipp. breuitati magis consentiens: Hæc de Græca inscriptione; Nunc de versione inscriptionis. Vertunt cõmuniter De aëre, aquis, locis, cùm potius Græca dictio, vt de aëribus verterent, expostularet. Cur autẽ id

fecerint, illud in causa esse dixerim, quòd cùm aër Græca sit dictio, ablatiuo casu omnino deberet carere. At si hoc verum est, cur etiam ipsi vtuntur dictione aëre, qua omnino Græci carent? Cùm igitur Latina iam sit facta, satius erit illa Latino more in omnib⁹ casibus vti: At, inquient, ex Latinis etiã multa sunt nomina, quę aliquibus carent casibus, in quo genere fortasse dixerint esse aërem. At statim T. Lucretium Carum lib. 4. illis opponam, qui dictione aëribus vsus est, cum dicit:

Aeribus binis quoniam res confit vtrinq;.

& Vitruuium lib. j. qui vsus est dictione aëres, non ita frequenti, & quamuis ea dictione non vsus sit Cicero, non propterea tamen dicendũ est, minùs Latinam esse, quia quàm plurimis vtitur Celsus candidissimus scriptor Latinus, quibus nunquam vsus est M. T. His igitur factum est, vt nos verba Græca verè insequentes non de aëre, sed de aëribus, aquis, locis, vertetimus.

I.

Ἰητρικὴν, ὅστις βούλεται ὀρθῶς ζητεῖν, τάδε χρὴ ποιέειν. πρῶτον μὲν ἐνθυμέεσθαι τὰς ὥρας τοῦ ἔτεος, ὅ, τι δύναται ἀπεργάζεσθαι ἑκάστη. οὐ γὰρ ἐοίκασιν οὐδὲν, ἀλλὰ πολὺ διαφέρουσιν αὐταί τε ἑαυτῶν καὶ ἐν τῇσι μεταβολῇσιν.

Quicunq; artem medicam rectè assequi voluerit, hæc eum oportet facere. Primùm quidẽ animaduertat anni tempora, quid vnumquodq; eorum efficere possit; nulla enim in re similia sunt; sed multum differunt, tum ipsa adinuicẽ, tum in propriis permutationibus.

Quanta sit libri huius dignitas, & præstantia, vel inde quisq; colligere potest, quòd in eius initio vsus sit proœmio, cùm alioqui eo vti rarò admodùm consueuerit, semper properans ad ea, quæ in libris vtilia sunt: vsu tamẽ vrgente iis quandoq; vtitur, vt videre est in libro de Ratione Victus in acut. morbis, & in Prognost. In hoc igitur, quod huiusmodi proœmiorum proprium est, attentos, & dociles reddit auditores: illud quidem, cùm libri huius necessitatem in arte medica, & fructus maximos, qui ex eius lectione colligi possunt, ostendit: alterum autem, cùm singula enarrat, de quibus in hoc libro est acturus. Docet igitur, eum, qui rectè artem medicam assequi intendit, non posse sine horum, quæ in hoc libro tractantur, cognitione, voti sui compotem fieri; hincq; capta occasione, summarim & breuiter perstringit omnia, quæ in hoc libro vult considerare; docetq; præterea, quomodo hæc medico necessaria sint, vt & perfectionem, & gloriam summã possit comparare. In præsenti autem particula docet Hippocr. ad perfectionem medicinæ necessariam esse cognitionem temporum anni: probat ex mutationibus, quas indies eorum ratione corpora nostra subire solent; harumq; mutationum rationẽ ex duplici diuersitate temporum desumit; quarum altera est, cùm inter se comparantur tempora; altera, cùm in peculiari temperamento vniuscuiusq;, respectu sui aliqua sumitur diuersitas, & mutatio: duplici enĩ hac ratione corpora nostra, tẽpora afficere possunt, siquidem aliquando etiam seruãtes propriam naturam, & naturalem temperaturam, variè corpora nostra immutant: vt cùm ab hyeme ad ver fit transitus, necesse est immutari corpora nostra, cùm à frigidissimo ad temperatũ, vel calidum, & humidum (neq; enim hac in re nunc multum laboro) fiat trãsmutatio: quò fit, vt corporis nostri cutis omnino constipata priùs, iam rarefiat; humoresq;, & spiritus, qui priùs concentrari, & ad internas partes erãt retracti, iam reuocentur, & ad superficiem, cutimq; extimam erumpant, & quasi efflorescant: sic à vere ad æstatem facto transitu, non modò in qualitatibus fit in corpore mutatio, sed etiã in humorum excessu; scimus enim hyeme pituitam, vere sanguinem, æstate bilem, autumno melancholicum succum magis abundare. Ex his igitur manifestum est, non paruam ex naturali, & propria temporum successione in corporibus nostris consueuisse sequi mutationem: & hoc est, quod dicit Hippoc. [*Primùm quidem animaduertat anni tempora, quid in dies efficere possint; nulla enim in re similia sunt, sed multum differunt, tum ipsa adinuicẽ.*] Vnde docebat lib. 6. de Morb. vulg. Hipp. Sect. 8. Aphor. 18. temporis anni in medicina habendam esse rationẽ, an anteuertat, an postponat, & an proprium seruet temperamentum. Nec quidem immeritò; nam alio tempore alia vsurpanda sunt remedia, alia hyeme, alia æstate; neque eadem proponitur viuendi ratio ab Hippocrate 3. de Diæta, & ab eodem, & Galeno libro de Salubri diæta t. 9. 25. & 26. tum & prima Sectione Aphorism. 18. cùm æstate, & autumno cibos difficillimè ferre ventres scribit, hyeme verò facillimè, & secundo loco verno tempore, quin & in hoc libro, & in tertia Aphorismorum Sectione passim ostendit, vnicuiq; tempori peculiares esse, & proprios morbos; in quibus etiam minùs periclitari ægros scribit secũda Aphorism. trigesimaquarta; qua etiam ratione prima Aphorism. scribebat, accessiones, & constitutiones morborum indicare anni tempora. Verùm non hac modò ratione habenda est ratio temporum anni, sed & alia, de qua octaua Sectione sexti libri Epidemiorum, partic. 48. dicebat Hippocrates, de anni temporib⁹ considerandum est, an citiùs, an tardiùs eueniant, quàm natura eorum exposcat, an pluuiosa sint, vel sicca, an calida, vel frigida, an cum ventis, an sine; Et si cum ventis, quibus perflentur; & num in principio, medio, vel fine, an continuò. Non solùm igitur dum naturam propriam seruantia ob mutuam successionem, & vicissitudinem, vario modo corpus nostrum immutant, dissimilia dicuntur:

quod

quod intellexit, cùm dixit: αὗται τι ἑωυτῇσι, quod nos traduximus, tum ipsa adinuicem, sed etiã in se ipsis ex propriis permutationibus; puta si temperiẽ veris naturalẽ nanciscatur æstas; autumnus verò æstiuam, vel si varia in temporib. reperiatur temperatura, aut constitutio, ita vt modò frigida sit, modò calida, modò sicca, nũc pluuiosa: de hac locut⁹ est Hippoc. tum 3. Aph. 4. tum lib. de Hum. post mediũ, quod in principio ferè cõment. 3. in eum lib. Galeni à com. 5. ad 12. ostensum est; vbi longa verborũ serie docet ex varietate, aut inconstantia mutationeq; in temporib. facta, incõstantes fieri morbos, varieq; affici corpora. Sed de hac re inferiùs. Illud solũ in præsentia addere volo, hoc loco interpretes deceptos esse, cùm ad vnicã solã temporum varietatem causas mutationũ corporũ ratione varietatis temporum reduxerint, secus q̃ fecerit Hippoc. sic vertentes: [*verùm differũt adinuicem propter varias, quæ in ipsis fiũt, mutationes:*] cùm sic habeat Hippoc. ἀλλὰ πολὺ διαφέρουσιν αὗται τε ἑωυτέων καὶ ἐν τῇσι μεταβολῇσιν. q̃d ita verti debet [*sed multum differunt tum ipsa adinuicem, tum & in proprijs permutationibus*] vt per primam partẽ, genus etiã primum varietatis temporũ intelligamus; per alteram aũt partem alterum gen⁹ mutationis, quã vnũquodq; temporũ in se sustinens, variè etiã afficit corpora nostra: & quod ita sit, Galen. docet in 1. Com. 3. Aphor. volens locum illũ Hipp. interpretari, vbi habet, mutationes temporum morbos parere: vtitur autẽ dictione μεταβολαί, q̃ Galenus in com. explicat αἱ κατὰ τὴν κρᾶσιν ἀλλοιώσεις, id est, alterationes temperamentorum. Nec immeritò: docuit enim, μεταβάλλω idem interdũ significare, q̃d διαδέχομαι, id est succedo, vt quasi hyems in ver commutetur, & quasi succedat, vicemq; subeat, & immigret; vt si æstas, in qua calor, & siccitas solet imperium tenere, frigida, & humida euadat, ver propriam quasi æqualẽ temperiem amittat, eandem nanciscatur autumn⁹, hyems calidior sit: vnde ea ratione & multùm alterãtur corpora, & subinde morbi varij generantur. Hinc Aristot. 3. Problem. 1. Sect. dicebat, cùm tempora euariant, rationem temporis diligentiùs esse habendam. Est verò tum in iis, quę Hippoc. docuit, tum in iis, quæ à nobis de anni temporib⁹ sunt dicta, q; faciat difficultatem, q; temporũ anni cognitionis vtilitatẽ proponentes, eis indicandi vim quasi videamur tribuere: quod tanquã falsum reprehendit Galen. in Arte Medicinali cap. 84. An verò dicendũ est, non omnia, quę medico sunt cognitu necessaria indicationes præbere auxiliorũ adhibendorũ, de quo Gal. in Arte Med. loqui certũ est; postquàm enim ex qualitate, & quantitate affectus intellectum est, quale, & quantum adhibendũ sit auxilium, tẽpus anni frustrà quęri videtur, quemadmodũ neq; in affectùs duratione, de qua locutus est Gal. 4. Meth. medendi cap. 5. vbi à tempore nullam desumi fatetur indicationẽ: postquàm enim innotuerit affectus, & essentia, frustra quæritur generationis morbi tẽpus: remedium enim non ex diuturnitate affectus, sed ex specie illius est pensitandum: ad curandi tamẽ affectus cognitionẽ, atq; ad qualitatẽ, & quantitatem auxilij coniectandam, temporũ anni cognitio maximè est necessaria: q̃d hoc loco demonstrat Hippoc. Sic igitur nunquã per se edocent, quid faciendũ sit: interueniunt tamen aliquando quod à facultate requiritur, ac, ne accipiatur, impediunt, vt docet Galen. lib. de Opt. Secta ad Thrasyb. cap. 27. quod nihil aliud est, q̃ metam esse, & mensuram indicationum.

II.

Ἔπειτα δὲ τὰ πνεύματα, τὰ θερμά τε καὶ τὰ ψυχρά. μάλιστα μὲν, τὰ κοινὰ πᾶσιν ἀνθρώποισιν, ἔπειτα δὲ καὶ ἐν ἑκάστῃ χώρῃ ἐπιχώρια ἐόντα.

Deinde verò ventos & calidos, & frigidos, maximè quidem omnibus hominibus communes, mox autem & vnicuiq; regioni peculiares.

Quamuis ventorum tractatio maximè eorũ sit propria, qui philosophiæ naturali operã nauantes, naturalium omnium effectuum causas recensere conantur: qua etiam ratione factum est, vt longam de eorum natura disputationem instituat Aristoteles 2. Meteor. tamen cùm eorundem disciplina, & dignotio magnũ ad res oẽs præstare medico vsum possit, meritò Hippocr. hanc ventorum cognitionẽ hoc loco medico necessariã testatur, vt qui calidi, qui frigidi sint, possimus dignoscere: quocirca non fuerit fortasse absurdũ, si hoc loco mihi proposuero de ventorum natura tractationẽ instituere, vt inde communi eorũ natura cognita, causis consideratis, tum & numero animaduerso, possimus meliùs, quę hoc loco ab Hipp. proponũtur, intelligere, & quę postea de iisdem ab eo dicuntur, meliùs explicare. Inprimis aũt est de natura ventorũ inter philosophos controuersia: Anaximãder, vt refert Plutarch. & Gal. in lib. 3. Com. ad lib. de Hum. c. 13. credidit ventum esse fluxũ aëris, cuius subtilissimas, maximeq; humidas partes Sol iam assumpserit: quã sententiam etiam Stoici videntur esse sectati. Theophrast⁹ in lib. περὶ ἀνέμων, qui nondũ (quod sciã) latinitate donatus est, credidit & ipse ventum esse quidem aëris motionẽ, & agitationẽ cum impetu factam, ab exhalatione tamen primam originem habere scribit, q; ab ea aëria fiat commotio: In eo autem hæc Theophrasti sentẽtia à superiori differt, quòd Theophrastus nõ ex seipso aërem moueri, ventosq; facere velit, sed q; exhalatione hinc inde commota aërem moueri contingat; cùm Stoici (vt optimè eorum hac in re, sicut in multis aliis sectator Seneca docuit) non esse necessarium, vt aër moueatur, alium habere motorem, sed suum motum habere vel à seipso, vel à Sole: habere enim naturalẽ vim seipsum mouendi aërem, nec aliunde concipere crediderunt, nec nobis datas esse vires,

quibus nos moueamus, aërem aotem inertē, & inagitabilem relictum esse dici posse. Cùm igitur aër vim hsbeat modò spissandi se, modò expandendi, in hac expansione agitatur, & fit ventus. Itaq; inter aërem, & ventū hoc esse differentiæ dicunt, quod inter lacum, & flumen: quin & ipsum per se Solem causam vēti esse dicunt, cùm aërem rigētem fundit, & ex coacto, deniq; explicat. Aristoteles aūt tum 1. tū 2. lib. Meteor. multò aliter de ventorū oatura disputauit, atq; non modò hanc non recepit seotentiam, sed multis rationibus vtrobiq; eam insectatur: quas in præsentia, neq; recensere, neque ad examen reuocare, aut à calumnia vindicare volumus: quòd hoc ad eos, qui Meteorologica tractant, potiùs pertineat: nos verò solùm obiter de ventorum oatura disputationē instituimus, vt Hippocr. sententiā inuc[illegible]iamus, eamq; à communi expositorum Aristotelis calumnia vindicemus. Credid.t igitur Aristoteles (vt breuiter eius sententiam perstringam) halituum duo esse genera, humidum vnum, aridum alterum, ille vapor dicitur, hic verò fumus, & exhalatio, neq; vnum sine altero eleuari vnquā posse credidit, sed simul eleuari, vnicam is sumit denominarionē, qui alteri prædominetur: vnde, qui plus habet humoris, materia est pluuiarum: qui verò siccior est, ventis generandis materia est idonea: terra. n. postquā pluuiam susce pit, & interno, & superno calore resiccata, halitum, qui ventorum est materia, protrudit: Sol verò horum est causa efficieus: halitus verò determinatos requirit, vt ventos exciter, & certā caloris metā: etenim exiguos tabefacit, & suo calore, qui amplior est, calorem balitus, qui est minor, discernit, ac dissipat. Præterea verò terram priùs exsiccat, quàm affatim fiat secretio; sicut magnus ignis exiguam deurit materiam, priusquàm fumum excitet; vnde fit, vt à Septentrione, & Meridie venti maximi oriātur Aquilo, & Auster; quòd neq; ad eas partss maxima vis Solis perueniat, vt nou priùs humorem exsiccare possit, quàm flatus excitet: quare verò venti & obliquè moueantur, & alia huiusmodi io præsentia omittimus, cùm hanc disputstionem solùm instituerimus Hippocratis senteotiæ de ventis inueniendæ, & examinandæ causa. Cùm igitur 1. & 2. Meteor. eorum refellat opinionem, qui crediderunt ventum esse aërem motum, non exhalationem, crediderunt illius loci expositores eo loci Hippocr. sententiam reprehendi: moti autem suor vnico loco eiusdem lib. de Flatibus, vbi habet ἄνεμος γάρ ἐστιν ἠέρος ῥεῦμα καὶ χεῦμα, id est, ventus est ipsius aëria fluctus, & vnda: cùm alioqui locus ille nō multum nobis possir facessere negotium propter libri exiguam auctoritatem; siquidem inter Hippocr. libros germanos non ita facilè annumeraoerim, cùm omnium effsctuum, omniumque morborum causam vnicam statuat flatum, ventúmve; quum nun quam hoc comprobarit, oppositumq; us vbique affirmauerit. Sed esto, sit Hippocr. certè cùm cōcisus sit admodū obscurusq; ob breuitatem, non ita indicta causa reprehendi debet: neque superficie tenus eius verba sunt intelligenda; sed amico animo omnia suot explicanda, siue ex eiusdem verbis alibi copiosiùs expressis, siue ex antiquis, & probatis eius expositoribus: Si igitur ipsum rectè intellexerimus, vtique videbimus nullo modo dissentire ab iis, quæ post ipsum de ventis Aristoteles scriptum reliquit: quinimò sicut multa alia ad philosophiam naturalem spectātia, tanquam à præceptore, & consanguineo mutuatum esse. Cùm igitur dicit ventum esse aëris fluctum, intelligeodum est, ventū esse id, quod aërem mouet, & agitat: iussit enim summus ille rerum omnium artifex ventos flare ad custodiendam aëris, terræq; naturalem temperiem, ad euocandas, expellendasq; pluuias, & alendos satorum, & arborum fructus, necnō ad difflationē, quæ vna est putredinis vindex: huius rei testis est Hippoc. 2. de Diçta, asserens à terra vliginosa, è finibus, è fluminibus, ex aquis stagnsntibus, à locis frigidis multa niue refertis, & glacie ventos oriri: quòd si aëris fluctus per se essent, non ab aquis, humidisque locis prouenire veutos assereret, sed à semetipso; quemadmodum & Stoicos, & Senecam sensisse docebimus. Sed Aristoteles nónne & ipse hoc idem de ventorum natura, materia, generatioue, & motu aliquando asseruit? is enim 26. Section. Problem. 34. deinceps, tum & libro de Mundo (si modò ij libri sunt Aristotelis, neque enim hoc facilè affirmauerim) hanc venti descriptionem tanquam veram assumit, scilicet aërem motum esse ventum; cùm alioqui motū hunc aëris reuera ventum nō esse docuerit, sed simul cum vento: & quod ita sit, argumēto est, quòd videamus Galenum 3. Comment. in lib. de Humor. Commeot. 13. postquam Anaximandri, & Stoicorum opinionem refutauit existimantium veororum naturam iu solo motu aëris per se facto consistere, non in exhalatione mota, & mouente, & Aristotelis sententiā tanquam verā amplexatus est, atq; eam paraphrasticè exposuit, tandem cōcludere: Cùm igitur ventus sit aëris flueos vnda cum incerta motus redundantia, & quæ sequuntur: quæ quid sibi significsnt? quàm non repugnare asserere ventum esse vndam aëris, vt Hippoc. aliquaodo dixit, & esse exbalationē motam aërem mouentem, modò motum illum aëris non per se, & ex se, sed ab exhalatione fieri dicamus, in qua re certè meo iudicio non dissentit multùm à suo præceptore Theophrastus; nisi quòd ventum non exhalationem crassiorem factam, & motā solùm, sed simul cum ea aërem moueri debere; hocq; in ventorum esseotia contineri credidit; cùm Aristot. veororum totam naturam constituat in exhalationis siccæ, & deosatæ motione: quòd si aër simul mouetur, id ex consequen

tia

ti tantùm fit, non quòd ad ventorum naturam pertineat. Censuit igitur Hippocr. vt tandé ad institutum reuertar, ventorum cognitionem, & nobilem esse, & medico vtilem, & necessariam: venti enim si sint ab ipsis habitationib. exclusi, non solùm aliquando corporib. bona valetudine fruentib. efficient salubrem locũ; sed & si qui morbi ex aliis occasionibus fortè exci tarentur, qui aliis in locis difficiliùs curari possent: in his propterea, quòd exclusi venti sint, expeditiùs curari poterunt, quales sunt grauedines, tusses, articulorũ morbi, pleuritides, pulmonis exulcerationes, sputa sanguinis, & mor borum id genus, quòd non detractione, sed potiùs adiectione curantur. Cùm verò sint & alij morbi, qui ab aliquo ventorum genere curantur, hac etiam ratione Hippoc. hanc ventorum cognitionem medico necessariam dicebat.

Et calidos, & frigidos] Non tam ventorũ naturã, generationis modum, & eorũdem causas, quã qualitates: quibus mediantibus possunt variè corpora nostra alterádo immutare, medico cognoscendas esse voluit Hippocr. vt rectè possit contraria contrariis applicádo curationem, & similia similibus adhibendo conseruatricẽ medicinæ partem exercere. Inquit igitur debere medicum considerare, qui venti sint frigidi, & qui calidi: miro enim quodam artificio ventorum tantam multitudinem ad duo summa genera reducit, non secùs, quàm fecerit etiã post ipsum Aristot. 2. Meteor. vbi postquã vndecim, aut duodecim ventorũ species enumerauit, ne multũ naturalis philosophus in iis laboraret, ad quatuor genera reduxit, Aquilonẽ, Austrũ, Subsolanum, & Fauonium; sed postmodũ hos eosdem compositiuo ordine ad summa duo genera reducit Aquilonios, & Austrinos, eorum qualitate, quod ad calorem, & frigus pertinet, simul indicata. Hippocr. verò quasi è conuerso resolutione vtitur, communissimis generibus priùs propositis ad minus vniuersalia descendens, mox aũt particulares etiam ventos attingens: optimè enim dixit alios ventos esse calidos, alios frigidos: quia qui Aquilonij sunt, id est, naturã Septentrionaliũ habentes, frigidi omnes sunt: qui Austrini à Meridionalibus partibus exorientes, calidi: qui verò orientales sunt, aut occidentales, ad prædictorum naturã rectè reduci possunt: siquidem docet ibidem Aristoteles Fauonios, hoc est, qui ad occasum pertinent, frigidos potiùs esse, quàm calidos: contra Subsolanos potiùs calidos; & ideo ad Austrorũ naturam hos commodè reduci posse, sicut illos ad Aquilonẽ ibidem docuit: Hinc fit, vt annos, vel partes eorundem, aut Austrinas, aut Aquilonias, partem cõmemoret Hippoc. ad duas istas generales differentias penes actiuas qualitatess animũ habens. Has igitur hoc loco tanquã magis medico necessarias ventorũ qualitates sumpsit medicus; cùm bonæ corporum valetudinis conseruatio, tum & à morbis præseruatio, & curatio per ventos facta illis duabus perficiat. Verũ est hac in re, q̃ non paruam inducit difficultatem; q̃ hoc loco Hippoc. sicut & ab eo mutuatus est Aristot. 2. Meteor. alios vẽtos calidos dicat, alios frigidos: vnde Austrinæ constitutionis calidæ, & Aquiloniæ frigidæ passim Hipp. & Gal. mentionem faciunt; cùm alioqui Hipp. lib. 2. de Diæta ab initio ventos oẽs frigidos, & humidos naturã asserat: & reddit rationẽ, quoniam à niuibus, gelu, stagnis, fluminibus, locisq; humidis proueniunt; ideoq;, inquit, omnes natura sua refrigerant; verùm pro locorum diuersitate magis, minúsve: quinimò & Aristoteles, qui tamẽ alios, & ipse, calidos, & alios frigidos posuit, 2. Meteor. ventorum materiã esse dicit exhalationem, quæ natura sua calida est, & sicca: quare Auer. in eius loci expositione vẽtum exhalationem calidam, & siccam esse probat duobus argumẽtis; quòd velocitar moueatur; & quòd omnia exsiccet. An dicendum est; quòd si materiam remotam, & subiectum, ex quo proxima ventorũ materia generatur, tum & modum, quo propriam formam assequatur; cõsideraremus, omnes venti frigidi dici possint; quia videlicet (vt optimè docet Hippoc.) à locis frigidis potissimùm eleuantur, & à materia frigida, terra aqua imbuta, niue, glacie: vnde dicebat Aristot. 2. Meteor. I. C. secundũ Alex. 19. plurimos fieri vẽtos ab Vrsa, & Meridie, Aquilones scilicet, & Austros, qui ab exhalatione fiunt: probat hoc, quoniam Sol ad hæc non accedit loca, exponit Alexander Aphrodisiensis; q̃ ad Tropicos solùm quum accedat Sol, eleuatos vapores multos ob humiditatem regionis non potest consumere, sicq; pluuiæ multæ itarum generantur: vbicunq; autẽ multam pluuiã terra suscipit, multas etiã exhalationes eleuari necesse est: quemadmodum, inquit, ex viridib* lignis fumus: viridia enim ligna plurimũ emittunt fumum, qui quidem exhalatio sicca est: ac simili quidem modo succensa terra, tum à calore Solis, tum ab eo, qui in ipsa est, exhalationẽ exhibet illi similam, quæ à lignis exit, fumus a enim exhalatio corpus, & materia venti est. Sic igitur patet respectu materiæ: vnde exhalatio, quæ proxima est ventorũ causa, eleuatur, frigidos esse; respectu etiam agentis ecõtra omnes calidos dici posse: atqui exhalatio venti nondum naturam suscipit, sed fumus potiùs solũ dicitur, & exhalatio, quousq; sursum tenderis; atq; in supernam aëris regionem impingẽs, ob crassitiem asse cutã merito regionis mediæ tandem deorsum obliquè pellitur; crassior enim facta exhalatio, & terrestriorem naturam assecuta, ventus efficitur, qui reuera frigidus est. Verùm nec ea ratione venti à medicis, & philosophis naturalibus frigidi, aut calidi dici solent; sed ratione regionum, & partium, p quas perflando transeunt: quamuis enim iuxta propria principia semper frigidi fiot; tamen si per calidas partes ferantur, calidi euadunt. Nec id im-

posſibile dici poteſt: nam ſi certum eſt exhalationes, & ventos natura ſua ſiccos eſſe, & tamē quandoq; humidi perſentiuntur; quid prohibet eoſdem aliquando caliditatem & ſuſcipere, & inuehere poſſe? demonſtrat hoc manifeſtis verbis Hippoc. lib. 2. de Dięta; poſtquam enim vētos omnes frigidos eſſe docuit, ſubdit: verùm propter ſitum regionum, & locorū, per quę venti ad ſingulas regiones accedunt, diuerſi euadunt, frigidiores, calidiores, humidiores, ſicciores, morboſiores, & ſalubriores: quin & Ariſtot. 26. Sect. Problem. 48. cùm iam Auſtrum calidum ſtatuiſſet, Aquilonem frigidum; quęrit cur cùm nobis Auſter calidus, iis, qui Africā incolunt, & Lybiam, ſit frigidus, vt nobis Aquilo? Reſpondet, quòd ſicut nobis Boreas frigidꝰ eſt, quia non longè abeſt à proprio principio, cùm nos magis ad Septentrionem vergamus, ita illis Auſter, quòd in meridiem tendāt. Cùm igitur non longè abſit à proprio principio, certè propriam ſeruabit frigidam naturam: imò & aliam quoq; in motum reiicit cauſam: quoniā, cùm mouetur, & extruditur per anguſta loca, propinquioribus ob motus vehementiam frigidus perſentitur: vbi verò longiùs protrahitur, diffundi, & hebetari neceſſe eſt: vnde calidior nobis apparet Auſter, tū ob loca, per quæ tranſit, vt docet ſecundo Meteor. tum ob lentū motum, per quem hebetatur, & calidior videtur: quod & cap. 3. eiuſdem manifeſtiùs oſtendit, cùm Auſtrum perflatu æſtuoſiſsimum fateatur, quòd nō parum vaporis ſecum ducat, nam etſi (inquit) eiuſmodi non ſit, ſed vnde ſpirare incipit, frigidus habeatur; nihilominùs, dum ſe longiùs protrahit, propterea quòd multum halitus ſecum è vicinis trahit, calidus efficitur. Confirmari poteſt hæc ſententia Macrobij auctoritate ſecundo de Somn. Scipionis cap. 5. vbi Auſtrum, qui calidus omnibus cenſetur, à prima ſui origine frigidum eſſe dicit: nam loquens de meridie; ſciendum eſt (inquit) quòd ventus, qui per hunc ad nos cardinem peruenit, id eſt Auſter, ita in origine ſua gelidus eſt, vt apud nos commendabilis eſt blando rigore Septentrio, ſed quia per flammam torridæ Zonæ ad nos permeat, admixtus igni caleſcit, & qui frigidus incœpit, calidus ad nos peruenit: Neq; enim vel ratio, vel natura pateretur, vt ex duobus æquo rigore preſsis cardinibus, diſsimili tractu flatus emitteretur: nec dubium eſt noſtrum quoq; Septentrionem ad illos, qui Auſtrali adiacent, propter eandem rationem calidum peruenire, & Auſtrum corporibus eorum gemino auræ ſuæ rigore blandiri. Quomodo igitur venti cùm omnes ab origine ſua ſint frigidi, alij calidi dicantur, & alij frigidi, dictum eſt: qua etiam ratione fit, vt quæ de particularibus qualitatibus ſecundis, & actionibus ventorum ab Ariſtotele 2. Meteor. & à Theophraſt. lib. de Ventis dicuntur, non ad propriam ventorum naturam referenda ſint, cùm eadem ſit omnium materia, forma, & efficiens; ſed reſpectu noſtrûm, qui in hac plaga habitamus, non propria ventorum ratione, ſed ob varias, quas à locis, per quos feruntur, aſſumūt mutationes.

Maximè quidem omnibus hominibus communes. Ventorum cognitionem medico neceſſariam docuit Hippocr. mox, & eorundem qualitates dignoſceadas; atque breuitatis gratia duarum ſolùm qualitatum meminit actiuarum, caliditatis, & frigiditatis; nunc docet per hæc verba, non modò medicum debere eſſe contentum vniuerſali hac cognitione; ſed etiā debere deſcendere ad magis particularia; & cognoſcere omnes ventos communes, id eſt, qui ad partē terræ in noſtro hemiſphærio poſitam poſſunt peruenire: quod licet ipſe hoc loco particulatim non doceat, ſparſim tamen nonnulla eorū attingit. Quapropter nos breuiſsimè quantū in tanta varietate fieri poterit, hæc conſiderabimus, atq; tum numerum, tum eorundem ſitum contemplabimur. In ventorum numero ponendo non vna eſt Naturaliū, Medicorum, Aſtrologorum, & Geographorum ſententia. Aliqui enim crediderunt omnes ventos omnibus communes ad quatuor ſumma genera reduci, ſuperfluumq; eſſe plures ventorum ſpecies ponere, ita vt pro quadruplici cœli & terræ partitione quatuor quoque venti conſtituantur, Orienti Eurum, Occidenti Fauonium, meridiei Auſtrum, Septentrioni Boream particulariter attribuentes. Hanc ſententiam non recipit Galen. 3. Commen. in lib. de Humor. cap. 13. ſed octo ventos poſuit: facta enim figura orbis terrarum, diuiſaq; in quatuor partes, orientem, occidentem, meridiem, & ſeptentrionem; principes ventos quatuor conſtituit Subſolanum, Fauonium, Auſtrum, & Aparctian, inter quos quatuor alios collocat: Nam inter Subſolanum, & Auſtrum poſt ortum Solis hybernum ponit Eurum: Inter Auſtrum, & Fauoniū poſt hybernum Solis occaſum Africum: Inter Fauonium, & Aparctian poſt occaſum ęſtiuum eum, qui Caurus nominatur; Inter Aparctian, & Subſolanum poſt occaſum æſtiuum Aquilonem: ſicq; octo ſolùm enumerat. Ariſtoteles verò ſecundo Meteor. octonario numero non contentus, omnes ventos ad vndenarium numerum reduxit. Verùm vt res hæc meliùs intelligatur, non erit abre circulum deſcribere per ſua ſegmenta diuiſum, quo & Galeni ſententiam, & Ariſtotelis, meliùs quilibet intelligere poſsit: cùm enim & ipſe quatuor pro totidem cardinibus mundi ventos principales conſtituiſſet Subſolanum, Fauonium, Auſtrum, & Aquilonem; mox inquit, non poſſe hos per tantum ſpatium ſolùm aduerſus ſeſe flare: quare per contrarietatem octo primum eſſe colligit inter ſe contrarios, quorum duo Aquilo, & Auſter à duobus polis ſpirant: ſex alij ab ortus, & occaſus ternis punctis præcipuis, ſcilicet duobus Solſtitiis, & Æquinoctiali: ab ortu quidem Æqui-

æquinoctiali Subsolanus: ab ortu solstitij æsti- A nua, & Argestes, Fauonius præterea & Subsolanus; tres mox alios statuit, duos circa circulū semper apparentē Mesen, & Thrasciam, quibus nullum ponit contrarium, nisi fortasse, inquit Thrasciæ Phœniciam opponatur: sed circulo id declaretur.

ni Cæcias: ab occasu eiusdē Argestes: ab occasu Æquinoctiali Fauonius; ab ortu solstitij hyberni Vulturnus, ab occasu eiusdem Africus; quorum omnium Aquilo, & Auster inter se cōtrarij sunt: Item Cęcias, & Africus inter se, sic Vultur-



Hoc igitur ordine vndecim ponit vētos Aristoteles: quæritq́; tum demū causam, quare ventos duos à Septētrione posuerit laterales, meridiei verò nullum, aut certè ignobilem; duasq́; reddit rationes. Prima q, cùm simus magis Septentrionales, non mirū esse debet, si & nobis magis cōspicui plures sentianť; cū verò à meridie q longinquissimi simus, & nobis meridies non ita sese offerat, ignobiliores, pauciores, & minus cōspicui vēti apparēt: aliā refert causam in maiorē niuiū, & aquarū copiā, quę in Septentrionali plaga maxima est. Post Aristot. Plin. li. Nat. hist. c. 47. à M. Varrone mutuatus, non vndecim, vt Arist. sed duodecim ventos cōstituit, vt terni à quatuor mūdi cardinib⁹, penes q̃s distinctionē sumit, erumpāt: atq; in omnib. cum Aristot. descriptione conuenit; nisi q, inter Au- E strū, & Africū ponit Libonotū, & q, Boreā, siue Aquilonē ab Aparctia distinguens, nulla Meses facta mētione in hui⁹ loco illū collocat, & non ita Phœniciam, & Euronotū esse idē cognouit. Aristot. sententiā recētiores, q duodenariū hūc ventorū numerū sectati sunt, duplici nomine conati sunt reprehēdere; primū insufficientiæ, q imperfectū hunc numerū vndenariū constituerit; cū alioqui rum rōe contrarietatis, ne vni F duo sint cōtraria p se, admitti nō possit; tū quia manifestè duodecim psentiantur, & reperianť vēti inter se cōtrarij. Scdo, cōtradictionis reprę hendūt, q aliqñ Austrū à meridie, loco opposito Vrsę, flare affirmet, vt cap. 4. & 6. aliqñ verò non ab hoc loco, sed ab æstiuo solstitio spirare scribat, vt cap. 5. reddēs. n. rationē, cap. 4. cur Aquilones, & Austri plus cæteris spirent, eam esse

se causam dicit, quia Sol hæc vna loca non adit, ad occasum verò, & ortum cõtinuò fertur: quò fit, vt ab extremis mundi cardinibus, ad quoa Sol non fertur, flare maximè soleãt: duos enim hos polos nunquàm Sol attingit, q; vltra duoa tropicos nõ progrediatur, vt videre licet apud Ptolom. 2. Almagest. pòst idem confirmat, cùm dicit: vocantur, qui ab Arcto, siue Vrsa flant, Aquilones, qui verò à Meridie, Austri: & pòst, cũ situm eorundem docet, per literas idem confirmauit: Cùm tamen apertissimis verbis hoc neget idemmet, cap. 5. Auster, inquit, ab æstiua cõuersione, non ab altera Vrsa, spirat: Et sub finem eiusdem capitis inquit: quòd quidem ab altero polo non spiret, manifestum est, quãdo oe ipse quidem ab hyemali solstitio spiret, nam alium ab æstiuo solstitio venire oporteret; sic enim proportionis ratio exigit: nunc autem nullus inde spirare solet; solus enim vnus ex illis locie spirare videtur: quare necessarium est, ventum, qui ab exusta terrarum parte spirat, Austrum esse: quomodo igitur hæc cohærere possunt, vt Auster à meridie spiret, & ab æstiua conuersione, locis inter se distantissimis? quinimò per ipsum etiam Aristot. ventus, qui ab æstiua conuersione flat, nõ Auster est, sed Cæcias. Accedit postremò, q; in posteriori hoc loco vult Aristot. à loco terrarum exusto, id est, Zona torrida ventum hunc spirare, non ab altero polo, necà versione hyberna, ea ratione, q; si inde spiraret, oporteret & ab æstiua versione alterum spirare, quem nullum reperiri ibidem fateretur, cùm tamen capite de ventorum positione dixerit ab eo puncto Cęciam spirare. Hęc est nullo modo dissimulanda in verbis Aristot. difficultas: quã aut omnino, aut sicco pede Alexander, Olympiodorus, & Auerroes, reliquiq; fere omnes illius loci expositores prætériêre; ita vt difficile sit admodũ nobis hac in re Aristot. conciliare: Francisci enim Vicomercati conciuis nostri solutionem, vt fortasse alicui parti satisfacere posse cõcedamus, ita negamus tollere: q; maiorem facit difficultatem: Dicit enim descriptionem ventorum, & positionem eorundẽ in orizonte rotundo factam nõ esse orizontis totius terræ, sed nostræ tantùm terræ habitabilis; quę ad Septentriones intra circulum arcticum, & Tropicum cancri posita continetur; & ideo rotundũ reuera non esse; cùm nec huiusmodi sit positio terræ, cuius est orizon. Æquinoctialẽ ergo circulum versus Tropicum æstiuum orizon non trãsit: quare cùm à meridie Auster flare dicitur, nõ ab altero polo, qui ad meridiem est, flare est intelligendum; q; orizon ad polum illum non pertingat, sed à puncto, quod illi polo in Tropico æstiuo correspondet. Pulcherrima certè solutio, & ingenio adeò claro dignissima; verùm non vindicat à calumnia, & contradictione Aristotelem: primùm enim si concedatur descriptio, & positio ventorum, quemadmodum ex Aristot. sententia posuimus; cùm à puncto me-

A ridiei ad punctũ ortus æstiui contineantur, siue intercedat quatuor puncti, scilicet locus Phœniciæ, locus Euri, ortus scil. brumalis, locus Subsolani, ortus scilicet æquiuoctialis, & totũ spatium ab hoc ad ortum æstiuum vsq;, in quo locatur Cæcias, vt ex circulo iam facto videre licet; non video quomodo per diuisionem hanc nouam terræ nostrę habitabilis constitui possit locus Austri orbis æstiuus. Prętereà, quomodò dici potest Austrum nõ venire aut à meridie, B aut ab occasu hyberno, quoniã spiraret alius à puncto ortus æstiui, cùm in capite de positione ventorum Cæciam ab huiusmodi loco spirare dixerit? Postremò, quomodo verum esset, quòd ab Hippoc. 2. lib. de Dięta, & ab Aristot. 26. Sect. Probl. 51. scriptum est in Lybia Austros ita esse frigidos, vt nobis Aquilones, qđ à loco vicino propriis principiis spirent, vbi assumit à meridianis partibus Austros spirare? quin & hoc ab iis, qui meridianas terras peregrinationibus, & C nauigationibus peragrarũt, obseruatum est, & omnes recẽtiores Geographi, & Hydrographi vno consensu affirmant Austrũ ventum à meridie flare. Fortasse igitur dici poterit, quòd sicut in terræ diuisione, & locis habitabilibus describendis deceptus est, ita in ventorum numero, & situ describendo fuerit diminutus: censendumq; erit Austrum à meridie venire; qua in re nõ recentiores modò, quibus in iis rebus multò maior fides est adhibẽda, sed & antiqui Geo D graphiæ, & Astrologiæ Scriptores, vt testis est Plin. loco cit. vno ore consentiunt, tum etiam duodecim esse eo, quò diximus, modo positos. Recẽtiores Astrologi, & Hydrographi, q de versatili magnete agunt, ventorũ aliam posuerunt partitionem, & alium numerũ. Verùm medici, qui ventorum numerũ inquirunt, vt ventorum qualitates, & effectus dignoscant, duodenario fuere cõtenti. Verùm, antequã de vniuscuiusq; venti particulari natura aliquid doceam, dissol E uẽda est grauissima in Aristot. difficultas, quantum ad vniuersalẽ ventorum temperaturã attinet: quemadmodum .n. Septẽtrionales ventis meridionalib. frigidiores multò, iis, quas diximus, rationib. esse docuit; ita orientales occidẽtalibus calidiores esse dicit 2. Meteor. quem secutus est Gal. 3. de Hum. c. 13. cuius rei reddit rationem Aristot. q; loca, quæ ad ortũ sita sunt, diutius sub Sole morentur: rõ hæc omnib. facit difficultatẽ; cùm ad oẽs terræ partes, quæ à So F le quotidie illuminantur, & calefiũt, æqualiter ille accedere videatur, quãuis horis diuersis: difficileque sit videre, quomodo orientales partes diutius Solẽ habeant super se, q̃ occidentales; cùm Sol neq; conquiescat, neq; respectu harum duarum partiũ moueatur inæqualiter. Conantr Aphrodis. & Olympiod. Arist. & explicare, & à calũnia vindicare dicẽtes, q; Sol orientalib. primùm adest, q̃ occidentalibus; & statim illas partes radiis suis calefacere solet, semperq; in eo officio persistit, donec occidat: occidentales verò

sicut

ficut tardiùs illuſtrantur, ita etiam breuiore tempore illuminatæ calefiunt, q. & tardiùs radios excipiant, & citò deferantur. Sed dato, inquiunt, q. eodē tempore illuminentur, calefiūt tamen magis partes terrę orientales, quia ex viciniori loco radios excipiunt, occidentales verò ex longinquiſsimo, & illæ per longum tempus illuminantur, & calefiūt, hæ verò citò relinquuntur; vnde calorem conceptū, cùm habitū nondum contraxerit, citò etiam amittunt. Verùm pulcherrima ſunt hæc dictu; atqui rem intimiùs conſiderantib. nullo modo ſatisfaciūt; & falſa ſunt ferè omnia: nam cùm Sol orizontē tranſgreſſus, terræ noſtræ hemiſphęriū illuminare incipit, tam orientalibus, quàm occidentalibus æquè radios impertitur: q. ſi occidentales tardiùs vim radiorum Solis perſentire dicamus, illas eaſdem etiam tardiùs deferi à Sole affirmabimus: vnde æqualis erit, & par ratio. Nec magis Sol orientales videt calefacere ex ortu ſuo, aut calorem earū conſeruare diutiùs, quàm occidentaliū; nec item citius occidentales derelinquere, q̄ orientales: cùm, qui Oriens nobis eſt, aliis Occidens ſit, &, qui Occidēs nobis eſt, Oriens aliis: totq; Orientes, & Occidentes habentur, quot in longitudine ſunt habitationes. Hanc igitur vidēs difficultatē Auer. tribus datis ſolutionibus conatur ſatisfacere. Prima eſt, q. cùm Oriēs ſit dextera pars cœli, Occidens ſiniſtra, meritò maior illi calor tribuitur. Verùm hæc eſt alis cauſæ redditio, non aūt difficultatis ſolutio: pręrereà videtur cælū animal cōſtituere, in quo ratione cordis, quod eſt fons caloris, vna pars alia eſt calidior: quinimò animalia in ſiniſtris calidiora ſunt ob ſedem caloris, & fontem, qui in ea parte conſiſtit. Accedit, quòd hæ partes nō reales, ſed imaginatiæ ſunt, quæ enim nobis orientales ſunt, aliis ſunt occidentales, imaginarię verò cauſæ effectuū realium cauſæ eſſe minimè poſſunt. Alia ſolutio eſt, Solem ſtatim orientalibus adeſſe, illasq; vehementer, & collectim calefacere; occidentalibus autem paulatim adeſſe, & calorem impertiri. Verùm cùm, qui nobis Oriēs eſt, aliis ſit Occidens; cenſendum eſt eodem modo reſpectu actionis Solis ſe habere vtràmq; partem. Poſtremam ponit, quæ maius ſpecimen veritatis habet; dicit enim orientalibus partib. Solē, puta per octo horas, adeſſe, ſex ab ortu ad meridiē, & duabus ante exortum, occidētalibus autem ſex ſolis illis, quæ à meridie ad occaſum intercedunt: nam etſi duabus horis Sol non magis diſtet ab occidentalibus, quàm ab oriētalibus duabus ante ortum; quoniam tamen recedit, non ita eas excalefacere, neq; calorem iam acquiſitum conſeruare poterit, ita vt frigori noctis reſiſtat. Verùm hæc rationi Ariſtotelis non conuenit. Ariſtoteles enim huius Problematis rationem reddens, Solem occidentalibus tardiùs accedere, & eoſdem ſcribit citiùs deſerere. Ariſtoteles autem non in velociorem diſceſſum; & tardiorem Solis acceſſum ad occidentales partes cauſam refert, ſed in id, q. minùs validè operatur Sol, cùm diſcedit. Vicomercati etiam conciuis noſtri ſolutio non vndequaq; ſatisfacit: qui in orientis ſitum totam refert dictorum Ariſtotelis cauſam: inquit enim cùm Oriēs poſitus ſit, ita vt Oceanum ad ſui exortū habeat, Sol exoriens nullo interpoſito impedimento illuminat, & calore ſuo fouet; occidentales autem partes à montibus impeditæ non ſtatim exortum Solem excipiunt. Vt enim hac ſolutione fortaſſe ſatisfieri poteſt problemati de maiori caliditate orientaliū, quàm occidentalium, non tollit eam tamen in Ariſtotele difficultatem: vt enim illi concedam, hac ratione eſſe expoſitum, quomodo Sol tardiùs ad Occidentem accedat, non tamē nos docet, quomodo verū ſit, q̄d ab Ariſtotele traditū eſt, citiùs ea loca à Sole deſeri: cùm diceremus etiam ex Ariſtotelis loco duarum horarum ante exortum, quibus Oriens Sole gaudet, Occidentem duas habere poſt occaſum. An igitur dicere nos poterimus occiduas partes ea ratione frigidiores eſſe, quòd & tardiùs ſolares radij ad eas accedāt ratione multorum montium interpoſitorū, vt optimè docebat Vicomercat⁹; tum etiā citiùs à radiis ſolaribus deſeruntur eadem ratione, qua radios ſolares tardiùs excipiunt: Cùm enim, dū occidit Sol, maximos montes poſt ſe in partibus extremis relinquat; non mirum eſt, ſi citò etiam à radiis ſolaribus deſeruntur: Sic igitur Ariſtotelis ſententia vera erit. At non ea ſolùm frigiditatis maioris occidentalium partium eſt cauſa, ſed motus Solis magnum quoque ad hanc rem habet momentum; quum enim ab Oriente Sol ex Oceano quaſi emergat, quod calidius eſt, calidos quoque halitus, & aërem ſecum rapit, quibus terras propinquiores calefacit, & ventos calidiores inducit: etſi enim ad Occidentem Oceanus quoq; eſt, quoniam tamen ad illum, non ex illo Sol mouetur, nihil ferè Orientis comparatione caloris in occiduas terras ex Oceano deferetur; hincque omnia in oriente ſuauiora, & meliora generantur, Solis calore illuc magis vigente, atque etiam terris ex halitibus Oceani pinguioribus factis. Poſtulat tractationis ratio, vt tandem de vnoquoque aliquid breuiter attingamus, vt quum inferiùs conſtitutiones, & genera morborum ex variis ventis genita recenſuerit, facile nobis ſit eorum reddere rationem. Subſolanus, quem cardinalem eſſe, & ab ortu Solis æquinoctiali venire dicebamus, ſuauis eſt, purus, temperatus, & ſaluberrimus, vt docebat Auicenna in ſecunda Fen. primi libri Doct. 2. Sum. prima, cap. 10. temperies verò hæc in paſsiuis qualitatibus intelligitur, in actiuis enim ad caliditatē vergit, non multùm tamen excedit: vt docet Ariſtoteles 2. Meteor. temperatus verò dicitur, non quòd perpetuò talis ſit, ſed q., cùm in principio diei,

A & in fine noctis exoriatur, mioùs humidus est, sed poriùs exiccat, secus quàm, si io fine diei, & in principio noctis flare incipiat: qua ratione excessus humiditatis non notabilis, siccitate eiusdem tollitur. Hæc est Auicen. loco cit. seotentia. Quòd si Ptolomęo priono de Astrorum iudiciis Subsolanus calidissimus dicitur part. 39. de Orieotali, qui ab exortu brumali spirat, qui Vulturnus nuncupatur, intelligendus est. Quamuis autem talis sit Subsolanus, Italis tamen, potissimum iis, qui non longè distant à B mari Orientali, vt Neapolitanis, insalubris est, & pluuiosus: verùm hoc ratione loci, & situs accidit, non quòd talis nō sit eius natura, qualē descripsimus. Sequitur Eurus siue Vulturnus, quem calidum, & siccum cum Aristotele faciemus: atq; oeq; per totum motum siccus est, sed in initio talis, processu temporis humidus fit, & pluuiosus: calidus quidem ob solares radios rectiùs per puncta ortus brumalis, & æstiui receptos: Siccus ab initio est, mox autem humi- C dus, quia, cùm natura sua siccus sit, ab Austris progressu temporis humectatur, vnde naturam propriam amittit: Quare secundo de Naturali historia Plin. 46. dicebat Vulturnos ventos siccos esse, pręterquàm desinentes. Sequitur Καικίας, qui & ipse orientalis est: nascitur à puncto ortus æstiui, cùm orientalis sit; calidus & ipse est, sed duorū aliorum mioimè: humiditate etiam nō parua præditus est; cùm enim medius sit inter Subsolanum, & Mesen, vel Boream, ab D illo mediocrem oanciscitur humiditatem, frigiditatem verò mediocrem à Mese, vel Borea, si modò Boream, vel Aquilonem ab Aparctia, siue Septentrione distinxerimus: hanc enim dicebat Aristoteles causam esse, cur cælum nubibus vehementer denset, Cęcias: quod si ibidem frigidum appellat Cæciam, oon sibi aduersatur, quia respectu aliorum orientaliū talem esse dicat, quemadmodum etiam Theophrast. libro περὶ σημείων ἀνέμων. Aparctiam nunc siue Boream E sumamus considerandum: hos enim tanquam eosdem cum Aristotele sumimus: is igitur & ipse cardinalis ab Vrsa veniens frigidus est, & siccus: illud quidē, quòd ad illa loca vis radiorum Solis non peruenit: hoc verò, quòd exhalatio magna ex parte educitur. Hippocr. verò secundo de Diæta Aquilonios humidos, & pluuiosos si statuit, noo iis, quæ ab Aristotele dicta sunt, & experientiæ repugnat: diximus e- F nim ex Aristotele, Aquilones dici ventos omnes, qui ex Septentrione, vel collateralibus locis spirant: Vnde Geographi, & Astronomi; imò & Medici ferè omnes Aparctian, id est, Septentrionem à Borea, tanquàm à laterali versus Subsolanum distinxerunt; hunc non verè Septentrionem, humidum statuerūt, & Aquilonium annum pluuiosum dicere poterimus: dicebat enim Aristoteles ventos, qui Subsolanis vicini sunt, humidos esse, quia multam materiam, & vaporem habent, quam propellant.

A Dici etiā potest Aparctias niuosus, non primò, & per se, sed si multum vaporem eleuatum inueniat; Serenitatem enim ex natura sua inuehit, tum quòd recto quasi tramite, cùm ex propinquis ad nos veniat, flare videatur: quare nubes illi obuias dissipat, pluuiarumq; omnino materiam consumit: tum quia frigiditate, & siccitate, quominùs vapores eleuentur à terra, impedit: quinimò terram condēsat, & exiccat, ita vt vapores eleuari nequeant. Meses sequi- B tur, qui lateralis est Aparctiæ, aut certè Aquilo, si eum cum Medicis, & Geographis ab Aparctia separemus, & eundē cum Mese faciamus, qui frigidus quidem est, sed humidus: etiā hac ratione niuosum faciebat Aristoteles, & Theophrastus: non tamen adeò, vt Septentrio; quòd in eo minori frigiditati iuncta sit humiditas. Thrascias autem, qui & ipse Aparctiæ collateralis est occidentem versus, eandem ferè naturam habet, atq; Septentrio; frigidus enim est, & C siccus, quare natura sua serenitatem parit. Verùm quoniam io frigiditate, & siccitate remissior est Aparctia, si materiā oactus fuerit, remissiores etiam parit effectus, id est, nō niuem, sed grandinem. Quocirca mirari satis noo possum Olympiodorū, qui frigidiorē ea ratione Thrasciam Aparctia constituit, quòd magis ad occidentem vergat, quasi verò venti Septentrionales occiduis frigidiores non sint: quare, qui magis ad occidentis punctum accedunt, calidio- D res, aut certè minus frigidi erunt. Fauonius sequitur, qui ab occasu æquinoctiali venit, in actiuis qualitatibus ad frigiditatem vergens, minùs tameo, quàm Boreales, & quàm eius collateralis Argestes; vnde temperiem quandam in actiuis habere dicitur, in passiuis tameo humidus est: quamois Italiam, & hunc tractum incolentibus salubris sit, & siccus, serenitatem pariens: qua ratione etiā à poëtis tantopere commendatur, quoniam veris initium iam adesse E nobis ostendit, quemadmodum apud Homerum videre licet, cùm scribit: ἀλλ' αἰεὶ ζεφύροιο διαπνείουσιν ἀῆται, quod vertit Gaza io Problem. 33. 26. Section. Problem. Aristotelis hoc modo:

Sed Zephyri assiduè spirant, ventiq; salubres:

& apud poëtam nostrum Italicum:

Zefiro spirā, e'l bel tempo rimena. Id est,

Zephyrus aspirat, redeunt iam tempora clara.

Quapropter Aristoteles 26. Sectionis Proble- F mat. 33. 54. & 57. moderatissimum, gratissimū, iucundissimum, & sereoum appellat; quemadmodum etiam Celsus, cùm Fauonium saluberrimum statuit: Vesperi autem magis hanc salubritatem habet, vt docet Auicen. libro 1. Fen. 2. Doct. 2. Sum. 1. cap. 10. An verò salubris sit ex natura sua, & per omnem terræ tractum, non ita affirmauerim; cum Vasconiæ tantū afferre perniciei asserat Scaliger io Exercit. vt rarò sine incolarum pauore, & detestatione ingruat: sed de hoc postea. Illud solùm hoc loco ad pensum reuocare oportet, quòd ab Aristotele versus si- nem

nem tractat* de Ventis dictum est, æstuosos esse Fauonium, Austrum, & Vulturnũ, cùm iam superiùs in eadẽ tractatione frigidum potiùs hũc eundem Fauonium fecerit, cum quo conuenit Theophr. in lib. de Ventis, vbi etiam reddit rationẽ frigiditatis, quòd vesperi ex mari, locisq; apertis spiret, & post hyemẽ Sole vix dum reuigente, aut autumno, cùm Sol non multùm viget, & Aristot. in Probl. iam dictis non frigidũ, non calidissimum, sed temperatũ fecit. Quomodo igitur æstuosus dici poterit ab eodem loco proposito. Græci expositores hãc nullo modo dissimulandam in præceptore difficultatẽ ita præterierunt, vt ne verbum quidem de ea fecerint. Recentiores æstuosum appellant, quòd æstate spiret. Sed quàm sit ad propositum, uiderint qui Græcè sciunt. Præterea de eo loquitur non seorsum, sed cum Austro, & Vulturno, qui non æstuosi dicuntur, quòd æstate spirent, sed quòd natura calidi. Accedit, quòd Fauonius rarò admodũ æstate spiret, sed initio veris, & autumni, vt docet Theophr. in lib. de Ventis, & Aristot. in Probl. tum & Plin. lib. 11. Nat. hist. 47. neq; etiam comparatione ad reliquos æstuosus dici potest; respectu enim solùm ventorum Septentrionalium talis dici posset, cùm respectu cæterorum omnium frigidus sit ipso etiam Aristot. teste, qui occidentales ventos orientalibus frigidiores facit; certũ est autẽ etiam meridionales esse calidiores: & præterea cùm inter Austrum, & Eurum eum ponat, qui non calidi, & æstuosi comparatione dicitur, sed absolutè, & ex natura sua, certũ erit etiam id dẽ Fauonio absolutè esse intelligendum. Cùm igitur diu, multumq; considerassem, quid pro tanto philosopho, vt à contradictione, & falsitate eum vindicarem, dici posset; tandem cognoui, quid nomine illo καυματώδης sibi vellet Aristot. interpretes non cognouisse: neq; enim æstuosos interpretari licet, sed ignitas impresiones, siue caumata ferentes; cùm nos Latini vnicum nomen correspondens Græcæ dictioni non habeam*; cùm enim eo loco non de primis qualitatibus ampliùs verba faceret, sed de actionib. ex natura, & qualitatib. prouenientibus, nõ erat, quòd iterum de primis qualitatib. ventorum horum trium, de quibus priùs egerat, iterum tractaret: dixerat enim Mesem niuosum esse, sed magis Septentrionem, vtitur verò nomine νιφώδης, mox dicit Septẽtrionem etiam esse grandinosum, vt & Thrasciam, & Argestem; dicit enim χαλαζώδης δ᾽ ὁ ἀπαρκτίας, καὶ θρασκίας, καὶ ἀργέστης, subdit καυματώδης δὲ νότος, καὶ ζέφυρος, καὶ εὖρος, id est, caumata ferentes Auster, Fauonius, & Vulturnus. Sic propemodũ etiam loquitur Theophr. in libello Περὶ σημείων ἀνέμων, versus finẽ, qui nõdum Latinus à quoquã, quod sciam, est factus: Et quòd ita Aristot. intelligẽdus sit, manifestũ est, cùm aliorum ventorum varios effectus docere prosequatur; cùm dicit nubibus aërem replere, sæpius Cæciam, & Aphricum rariùs. Neq;

A verò quispiam miretur, quomodo eosdem effectus sortiatur Fauonius, & Auster, cùm alioqui in primis qualitatibus maximè dissideant, cùm calidissimum hunc, illum aũt mediocriter frigidum constituat Aristoteles: nam cùm ignitarum impressionum aërearum materiam statuerit exhalationẽ, cui iuncta sit materia, quasi vnctuosa; cùm Fauonius ob teporẽ & naturalẽ humiditatem, naturam sortitus sit vnctuosis q̃ proximam; non erit mirum, si eo spirante ignitæ huiusmodi impressiones sæpenumero

B appareant. Aphricus qui & ipse Fauonio lateralis est, subfrigidus & ipse est, sed insigniter humidus, vt optimè docebat Aristot. 2. Meteor. quòd medius sit inter Fauonium, & Libanotum; vnde ab illo frigiditatem mediocrem, ab hoc insignem humiditatẽ nanciscitur: quapropter nubibus cœlũ densare scribebat Aristot. Libanotus aũt, qui ab Aristotele omissus est, cùm lateralis sit Austri, vicinũq; habeat Liba, meritò ca-

C lidum statuere oportet, in passiuis aũt nõ mediocriter humidum, ratione principalis sui cuius naturam maximè referre debet, rum & ratione adiacentis Aphrici. Auster huic succedit ex ordine plagæ meridionalis cardinalis, calidus & humidus magna ex parte: docebimus. n. postea, aliquando esse siccum, & aliquando esse frigidum; imò aliquib. semper frigidum esse iam docuimus: nos verò in præsentia de effectibus eius in nostra hac terrarũ parte loquimur:

D pluuias vt plurimũ, & tẽpestates affert, aërem densum, crassum, & pestilenrem fouet: de quo in libro de Sacro morbo, cuiuscunq; tandem sit, ita scriptum est: Auster incipit aërem compactum densare, ac diffundere: quamobrem non statim magnus spirat, sed primùm lentè, & leuis est, quoniam aërem superare non potest, qui priùs densus est, & compactus, sed temporis progressu ipsum dissoluit: idem porro & in terram operatur, & in mare, fluuiosq;, in fon-

E tes, & puteos, & quę ex terra nascuntur, & quibus humor inest: est aũt in omni, in alio plus, in alio minùs: omnia aũt hunc ventum sentiũt, & ex splendidis tenebricosa fiunt, ex frigidis calida, ex siccis humida. Sequitur postremò Phœnicias Euronotus, q & ipse calidus est, & humidus, minùs tamen, quàm Auster, cùm ad naturam Subsolanorum paulisper accedat. Cùm igitur (vt tandẽ ad id, vnde digressi sumus, reuertamur) tanta sit ventorum varietas, tamq; varia

F eorundem natura, meritò Hippoc. postquã dixit medico ventorum cognitionem necessariã esse, vt cognoscat, qui calidi, & qui frigidi, subdidit: *[& qui omnibus hominibus communes:]* nõ hos aũt solùm enumeratos ventos per communes intelligere Hippoc. arbitror, sed etiã alios, qui, quamuis communes ea ratione non sint, vt superiores, cõmunes tamen & ipsi dici possunt, q, in quacunq; regione, & parte terræ possint, & soleãt excitari, qualis est Ecnephias, Typhon, Prester, & huiusmodi, de quibus consulendus

est Aristoteles secundo Meteorolog.

Mox autem & vnicuiq; regioni peculiares] Non modò naturæ ventorum vniuersalem cognitionẽ medico necessariam esse dixit Hippoc. sed particulariter etiam voluit oportere medicum cognoscere vnumquenq; ventum vniuersalem: nunc ad particularia magis accedens etiã vult medicũ hac vniuersali cognitione nõ debere esse contentũ, sed vniuscuiusq; regionis peculiares ventos ab eo esse cognoscendos. Sunt verò multis regionib. vẽti ἐπιχώριοι, qualis Apulis is, quem Atabulũ vocat Galen. qui (vt audio) ita morbosus est, cùm ad Austrorũ naturam tẽdat, vt oẽs ferè incolas ictericos faciat; & qui Phasianis proprius, quem Cenchron appellant; Atheniensibus quoq; familiaris est Schiron, paululum ab Argeste deflexus, vt testatur Plin. 2. Nat. hist. 47. reliquis Græciæ populis ignot⁹. In Narbonensi prouincia Circius ita peculiaris est, & frequens, vt cæteræ viciuæ prouinciæ vix eum excipiant. Verùm hi satis sint pro exemplis; nimis .n. longi simus, si innumerabilia ferè ventorũ nomina per historias passim dispersa recensere vellemus ex fluminib. lacubus, stagnis, finib⁹ desumpta. Verùm iis omnib⁹ addere nos meritò etiã ex Hipp. poterim⁹, peculiares ventos intelligere nos posse nõ solùm epichorios, sed etiam determinatos ratione exortus eorũ, vt sunt Prodromi, Etesię, Ornithię, & id genus, tum & quib. temporibus, tum ij, tum etiam vniuersales soleant exoriri, vt cùm Prodromos dicimus ante exortũ Caniculæ exoriri, & perdurare decẽ dierum spacio, id est, vsq; ad secundũ diem ab exortu Caniculæ: hos immediatè excipiunt Etesiæ, qui termino dierum quadraginta perseuerant, & ad naturam Aquilonis accedũt. Post hos spirant Austri vsq; ad exortũ Arcturi: illo exoriente Corus incipit flare, & per totum autumnũ ferè perdurat: hinc Aquilones spirãt: Fauonij hyemem soluentes ver aperire solent; qui vbi versus finem Februarij peruenerint, ab hirundinũ aduentu Chelidonia dicuntur. Ornithiæ, quæ & Fauonij sunt, die LXXI. post brumam perflare incipientes, per IX. dies perseuerant. Subsolanus solet exoriri post principium Maij, & diurius vsq; ad caniculę quasi exortum perseuerat: in breui aũt illo ab eo ad caniculam intermedio tempore etiam Austri sæpe solent perflare: hæc verò ita intellexisse volo, vt id vt plurimùm contingere credamus: quonia tamẽ tempore quiuis ex vniuersalib. iis vẽtis potest exoriri, & diutius etiam perflare. Hęc sunt, quę longiori fortasse, quàm expositori conueniat, oratione de iis, quæ ad ventorum naturã pertinẽt, in exponẽda hac Hipp. particula dici à me poterãt, ad præsens quidẽ opus intelligendum necessaria, nulli aũt alij loco accõmodari apta.

III.

Δεῖ δὲ καὶ τῶν ὑδάτων ἐνθυμέεσθαι τὰς δυνάμιας. ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ στόματι διαφέρουσιν, καὶ ἐν τῷ σταθμῷ, οὕτω καὶ ἡ δύναμις διαφέρει πολὺ ἑκάστου.

Oportet autem & aquarum facultates considerare; quemadmodum enim gustu differũt, & pondere, sic & virtute aliæ aliis præstant.

Non immeritò poëtam Græcum ἄριστον μὲν ὕδωρ dixisse censendum est, si aquarum summam præstantiam, & vtilitatẽ nobis ante oculos posuerimus: est enim rerũ omniũ maximè necessaria, atq; vsibus humanis vbiq; inseruiens; & si optima fuerit, nulli non ætati, cunctisq; hominum ordinib. conueniens, non solùm vt siti sedandæ inseruiat, sed vt quamplurimis aliis rebus commodum præstet, lotionibus, irrigationibus terræ, coriariorum, fullonum, & huiusmodi artium operibus, sed & vt inprimis subitis incendiorũ casibus coërcendis sit ad man⁹: nos hic de eius necessitate potissimum agim⁹, qua ad potum humanũ, cæteraq; paranda eisdẽ edulia in vsum ducitur: nam pro aliis vsib. aliæ vt plurimũ, & variæ desiderantur. Ad vsum verò hominis peculiarem, & immediatũ solet duplici ratione traduci, vel extra corp⁹ posita, vel intra corpus assumpta; & hæc tum ad cõseruandam sanitatem, præseruandaq; à morbis corpora, tum ad eadem lapsa reducenda ad sanitatẽ. Extrà positam intelligimus aquam, tum vt fit pars loci habitabilis, vt cũ palustria, maritima, vel hùmida nimiùm loca incolere dicim⁹, tum etiam vt balnei loco ea vtimur: intrà autẽ, aut simplex, aut cum alia re commixta. In curatiua parte vsus aquæ multus est; cùm nihil aqua aut humidius, aut etiam frigidius: quæ duæ qualitates in negotio medico curatiuo efficaciter sępenumero calidis, & siccis affectibus ex aqua, tanquã in summo ibi repertæ, experiũtur, ad sanitatis tutelam, aut mixtæ, aut infractæ: in sanitate etiam conseruanda maximus eiusdem est vsus, vt cùm purissimam bibimus abstemij, aut vino admiscemus sobrij, vel cũ multis ad mensarum, cibiq;, & potus vsum incoquimus: vnde dicebat Aristot. 1. Problem. Sect. Prob. 14. (si modò sint Aristotelis, neque .n. hoc affirmauerim) nos ea ratione magis ex aquarũ mutatione lædi, quàm ciborum, q plurimum aquæ consumimus, tum in potu, tum in pane, & cuiusuis ferè generis obsoniis. Cùm igitur tanta sit aquarũ in immutandis nostris corporib. facultas, meritò earum contemplationem medico necessariam testatur hoc loco Hippoc. imò (si verũ fateri licet) magis quàm aëris, eius habenda est ratio: Siquidem docuit Aristot. 1. Probl. aquarum mutationem vt plurimũ solere morbos afferre, & corporibus graues mutationes, secus aũt aëris. Et quamuis eius ratio primo loco ibidẽ posita à nobis recipi non debeat, vtpote quæ ab eodem alibi sit explosa; cùm dicat id accidere, q aër non sit nobis alimentum, vt aqua: secũda tamen ibidem posita ratio maximè est verisimilis, & ad hunc locum maximè accommodata, cùm in tantam aquarũ varietatem totam illius proble-

problematis rationem referat: quamuis enim aquarum, vt simplex est elementum, vnica, simplex, & vniformis sit natura; cùm elemēta sem per sint apud nos impura, imò quasi corpora mixta, non mirum est, si multò plures in ea obseruauit varietates, quàm in aëre elemento puriori: quod respiciens Hippocr. dicit: [*Quemadmodum enim gustu differunt, & pondere, sic & virtute aliæ aliis præstant*] nō quidem, quòd hæ solùm sint aquarum differētiæ, cùm inferiùs & ab odore, colore, & aliis, differentias aquæ desumi ostendat, sed quòd hic summa quędam capita solùm tradat: sed de iis in tractatione.

IV.

Ὅστις ἐς πόλιν ἐπελθὼν ἀφίκηταί τις, ἧς ἄπειρός ἐστι, διαφροντίσαι χρὴ τὴν θέσιν αὐτῆς, ὅκως κέεται, καὶ πρὸς τὰ πνεύματα, καὶ πρὸς τὰς ἀνατολὰς τοῦ ἡλίου. οὐ γὰρ τωὐτὸ δύναται, ἥτις πρὸς βορέην κέεται, καὶ ἥτις πρὸς νότον. οὐδ' ἥτις πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα. οὐδ' ἥτις πρὸς δύνοντα.

Quare vbi postquàm quis ad vrbem sibi incognitam peruenerit, eius situm considerare debet, quomodo & ad ventos, & ad Solis exortus iaceat: non enim idem potest, si ad Boreā iaceat, & si ad Austrum; neq; si ad Solis exortum, neq; si ad occasum.

Prosequitur Hippocrates vtilitates huius libri recēsere, & eius necessitatem à rebus in eo tractatis: nam hactenus à temporum anni, ventorum, & aquarum cognitione hoc demonstrauit, nunc ex vrbiū situ, quorū cognitio medicis maximè est necessaria, vt & rectè sanitatē tueri, à morbisq; corpora præseruare, tum & lapsa ad pristinam sanitatem reducere commodè sciāt, cùm non vna sit, cuiusq; situs vrbium ratio, nec vnus modus: quapropter & quomodo ventis exposita sit, quomodoq; Solem orientē, & occidentem excipiat, debet medicus nouisse: iis aūt duobus ad differentes vrbium situs demonstrandos in præsentia fuit contentus, quamuis & ab aliis desumi postea tradat, vt ab eminētia, vel depressione, ab aquæ, puta maris, fluuij, lacus vicinia, aut distantia; quoniam ex professo de hac re nunc non agit, sed rerū solùm capita proponit. Dicitur aūt vrbs aliqua sita ad Aquilonem, quæ montem habet ad meridiem, quo Austrinis flatibus tegatur, expositaq; est alteri faciei cœli, à qua venti septentrionales perflāt: & econtra Australis, quæ montē habet ab Aquilonibus obtegentem, tota verò exposita est Austris; quemadmodū etiam aliæ ad orientē, aliæ ad occidentē positę dicuntur: id enim in montium situm oppositū, vel auersum refert: namq; montiū positio multū addere potest locis, bonitatis, aut vitij: qui enim ad radicē montis alicuius ad meridiem, orientémve obuersi habitationes suas posuere, proculdubio calores maiores sentient, quàm si ortū, meridiémve mōs defendat: potissimā etenim, quod ad positionem attinet, habendā caloris causam esse meridiē, orientē alteram; sicuti econtrà frigoris, septentrionem, tum deinde occidentem; nisi aliquid sit in contrariū, quod ventorum vim refringat, aut faciem hanc terræ aliter immutet: quemadmodū maritimis locis accidere videmus; quæ quamuis aliquando ita sita sint, vt Aquilones excipiant, tamē maris propinquitate ad teporem accedunt: sicuti & situs terræ eminens, depressúsue, aut alio quouis modo dispositus: nusquam .n. sub eodem parallelo Æthiopas videmus, quàm in Æthiopia; imò neq; si ad orientē, neq; verò si ad occidentē ab hoc discedas; q, nō tam cœli aspectus, Solisue ortus, aut occasus, q̄ terrarū positio priuata quædā, naturaq; faciat. Accedit etiam ad diuersitatē situs terræ, in quo est posita, an decliuis, an excelsus: quādo edita, plusculū semper frigoris, sicut humilia, caloris obtinēt; vt cùm Syriam olim, cùm caua omnis esset, appellarūt κοίλην, & Bohemiæ maior pars in excelso ita sita est, vt quasi ibi excubtans terra dici possit: sæpe tamen & in vallibus frigora magis vigent; cùm ita sitæ sint, vt vtrinq; positis montibus, ventis frigidis transitus pateat, tunc enim & naturali ventorū temperamento, & ob angustias, per quas feruntur, loca in vallibus posita, frigidiora redduntur. Conuenientibus igitur in vnū calorificis causis, si præterea, quæ frigus gignunt, nullæ fuerint, caloris erit effectus magnus necessariò: codē modo oppositis eadem adhibetur ratio. Hæc igitur considerans medicus, statim ac regionem adeat incognitam, de manifestis aëris, quem inspiramus, qualitatibus iudicium feret.

V.

Ταῦτα δὲ ἐνθυμέεσθαι ὡς κάλλιστα, καὶ τῶν ὑδάτων πέρι, ὡς ἔχουσιν. καὶ πότερον ἑλώδεσι χρέονται, καὶ μαλακοῖσιν, ἢ σκληροῖσί τε καὶ ἐκ μετεώρων, καὶ ἐκ πετρωδέων. εἴτε ἁλυκοῖσι, καὶ ἀτεράμνοισιν.

Isthac aūt quàm optimè considerare oportet; tum quomodo in aquis se habeat; núm ve palustribus vtatur, & mollibus, an duris, & ex sublimibus, & petrosis ex locis profluentibus, anne salsis, & indomitis.

Vt attentos, & dociles redderet auditores in hoc proœmio Hippoc. temporum, ventorum, aquarum, situs locorū cognitionē medico necessariam hactenus docuit, exercitiiq; gratiā vt hoc ostenderet, situs vrbiū spectandos esse docuit, cōsideratione habita ventorū, quibus expositæ sunt, & ortus, & exortus Solis: nunc docet, non hæc modò in loco, ad quem accesserimus, esse considerāda, sed etiam aquas, quibus eorum locorum incolæ vtuntur.

Num palustribus] Vtpote quę soleant quamplures morbos producere, cùm & sapore ingrato sint, limosoq;, putrido odore, colore atro, & æstate calidæ, hyeme frigidæ: vnde fit, vt æstate ventrem perturbent, cùm tardè in vesicam de-

ſcendant,hyeme aũt pleuritides inducãt, & alia,dequib.ſuo loco: ab iis tamen paluſtres Niloticæ ſunt eximendæ; quæ cùm quotannis ex optima aqua Nili reponantur,priſtinam quoq; ſeruant bonitatem,& perfectionem.

Et mollibus] *μαλακὰ ὕδατα.* Non ita facilè eſt intelligere,quid per molles aquas intelligat. Alemanus,qui in hunc librũ Com. edidit,eas intelligit,quæ paluſtrib.ſunt oppoſitæ,tenues ſcilicet,radiis ſolarib. illuſtratas,quæ coctæ quaſi à natura ſunt,& veluti ſubactæ;quæ ſi diutius coquerentur,fierent inſalubres tenuiori parte cõſumpta, & craſſiori relicta;legit(vel mollibus.) Verùm non ſatis mihi placet hæc expoſitio: ſiquidem Hipp.non diſiungit molles aquas à paluſtribus per dictionẽ *ἢ*,vel,ſed potiùs coniungit dictione, *καὶ*, ita vt per molles circumſcribat proprietarẽ paluſtriũ; quare per molles ipſe pigras,tardaſq; intelligo;vnde & dicimus molles effœminatoſq; : ſicq; lutoſas intelligit,reſides, & tardas motu:quamuis nõ negauerim cũ Gal. 4.in 6.Epid.10.molles aquas quandoq; ſignificare leues,& optimas.

Ac duris] Duras hoc loco terreſtres intelligit, diuiſibilitatiq; nõ ſatis idoneas, q. non ſatis alliſione frangãtur,aut longo tractu, quaſiq; integræ,& craſſę ſunt,quales eſſe occidẽtales in tractatione oſtendet,tum etiam ab effectu: docuit enim Gal.4.Sect.6.lib.de Morb.vulg. c.10. duras aquas dici, tum aſperas, tum etiam graues, q. ventriculum infeſtent,& ab earum potu grauitas quædam percipiatur.

Atq; ex ſublimibus] *τε καὶ ἐκ μετεώρων.* Diſiungenda eſt dictio hæc à ſuperiori per punctum, ſecus q̃ in pleriſq; impreſsis reperiatur: Zuingeri tamẽ liber ita habet, vt nos diximus: intelligit enim aquas,quæ circa verticem mõtium ſcaturiginẽ habẽt; hæ verò ſuauiores eſſe ſolent,ad vſumq; aptiſsimæ:huiuſmodi aũt iis,quę duræ ſunt,omnino repugnant è directo, vt docet inferiùs Hippoc. & Galen.loco citato.

Et an ex petroſis locis] Alemanus,neſcio quo ductus ſpiritu, aquas ex petroſis locis ſcaturiẽtes, vt ſaluberrimas hoc loco laudauit, q. putredine terreſtri minimè inficiãtur, quodq; cùm per ſaxa deuoluantur, nulla infectione labefactari poſsint:cùm alioqui Hipp.in tractatione de Aquis inferiùs petroſas, & ex ſaxis ſcaturientes in prauitate primũ poſt paluſtres locum habere teſtetur: per petroſa igitur loca hoc loco intelligit Hippoc.loca infima petroſa, vt oppoſita ſunt petroſis in verticib.montium orientib. cum .n. longo decurſu frangantur,quamuis ab initio, & ipſæ fortaſſe crudiores ſint, ſalubres reddũtur: quæ verò petroſæ ſunt, ſed ab infimo loco ſcaturientes,cùm non frangãtur,duriores remanent,ad potumq; inſalubres.

Siue ſalſis] Non q. ſalſæ pro potu quotidiano in vſum veniãt,ſed per ſalſas,ſalſuginoſas intelligit.i. ſalſum quodammodo ſaporem referentes: has.n.inſalubres eſſe inferiùs oſtendet,& aliqñ aluũ adſtringere,aliqñ mouere, corp⁹ demaciare,ſanguinẽ labefactare, & ſcabiẽ, aliaq; quamplurima,de quibus poſtea agemus,generare.

Et indomitis] Non ſeparat indomitas,crudáſve à ſalſis, q. ſalſæ etiam apud Hipp.crudæ ſint;ſed indomitas addit, q. multæ ſint dulces, quæ tñ indomitæ ſunt:indomitas aũt & crudas duob⁹ modis intelligere poſſum⁹,vel ratione externę actionis tum Solis,tum agitationis: dñr enim ab Hipp.aquę coctę, in quib.Sol actione radiorum ſuorum magis partes ſeparauit terreſtres à ſubtilib⁹; crudę econtra, quę à ſolarib.radiis minimè ſunt ſegregatæ:indomitæ etiam dũr,quę difficilè pñt à calore vẽtriculi euinci: quamuis n. aqua non nutriat,ſed vehiculũ quoddam ſit: qua ratione nullo modo ꝓpriè crudæ in noſtro corpore dici pñt; tales nihilominùs in vẽtriculo dici pñt, q. ob earum frigiditatẽ excedentẽ, & craſsitiẽ,terreaſq; partes multas admixtas & calefieri à calore naturali ventriculi difficilimè pñt,& ex ventriculo ad iecur, & cæteras partes difficilè trãſire. Has igitur oẽs aquæ qualitates ſtatim ac incognitã ciuitatẽ, aut regionem ingreditur,vltra ſitũ in præcedenti particula propoſitum,cõtemplari debet medicus,vt & tẽperaturas hominũ, & mores, & morborũ genera cõſueta cognoſcat;& inde etiã cõſeruatiuas,curatiuaſq; indicatiões ꝓp̃tiùs ſciat diſponere.

VI.

Καὶ τὴν γῆν, πότερον ψιλή τε καὶ ἄνυδρος, ἢ δασεῖα καὶ ἔφυδρος, καὶ εἴτε ἐν κοίλῳ ἐστὶ καὶ πνιγηρὴ, εἴτε μετέωρος καὶ ψυχρή.

Tum & terram,nudáne ſit, & aquis carens, an denſa, & aquoſa, & an concaua ſit, & ſuffocata,an ſublimis, & frigida.

Præter ea, quæ hactenus cõmemorata ſunt, terrę quoq; modũ medico cognoſcendũ in hac particula oſtendit Hipp. Terrã hîc intelligo nõ ſitũ eius,quo orientalẽ vel auſtralẽ terram dicimus,iam n.de ea ab eo ſuperiùs actũ eſt,ſed pro ea,in qua ſeri, & naſci aliquid põt, ſ. de natura, qua terrenũ quodq; prędirum eſt,glareoſúmne ſit,an cœnoſum,ſaxoſum,an arenoſum,macrũ, an pingue,ſpiſſum, & ſolidum,an molle, & ſolutum,metalliferum,an earum rerũ ſterile:tum prętereа etiam harum terrarum poſitio eſt ſpectanda;vt an campi ſint,an colles, mõteſq;, qui inhabitãtur:ſi campi,an perlibrata planitie cõſtent,an modicè potiùs prona: colles,& mõtes an molliter,an arduè potiùs aſſurgãt, aſperi,an placidi ſint,nemoroſi,an herbidi:hęc.n.omnia aut p ſe,aut coniuncta cũ aëre,aquis & iis,q̃ inaſcunt,variare corpora poſſe cõſtat:conſulenduſq; hac in re erit Plin.lib.17.Nat.hiſt.4.5.6.& ſeq.capitib.vbi varia terrarum genera à colore, & ſubſtantiæ modo deſumpta commemorat.

Nudáne ſit] Nudam appellat terram,quã deſertam appellãt,nudam & fruticibus, & arborib⁹, quæq; ſeri nequeat; imò q̃ & herbulis minimè vireſcit;vnde,cùm ſicca ſit,illi coniungit alterã dictionem

dictiensm [*& inaquosa*] sitibunda enim solet esse sterilis, quemadmodum magna Lybiæ deserta esse dicuntur, in quibus nullæ omnino aquę reperiuntur.

Andensa] Densa verò terra dici debet, quę fertilis, & arborifera: cuiusmodi oudam esse noo posse demonstrauimus.

Aquosa] Talis dicitur, quæ multis sqoia irrigatur: multùm verò refert has terræ differentias prænouisse medico.

Καὶ εἴτε ἐν κοίλῳ ἔῃ, καὶ πνιγηρὴ, id est, *An concaua sit, & suffocata.*] Est autem huiusmodi terra potissimùm, quæ antra, & specus cooficit, & costituit, tum quæ inter mootes posita, conuallis facta est: hæc enim tanqusm solaribua radiia non illustrata, ignobilia, frigidissima, ac sine amœnitate delitescit: imbriũ ruinis, & oiuosia aquis obruitur, & propterea continuò ferè madescit, crassumque, & ferè continuom vaporem effumat, hominibus maximè inimicom: quòd si Sol radios eò transmittit, adeò in cono vniuntur, vt incolæ reciprocatis quasi radiia soffocentur: quòd si venti sd illas perueoiaot, tanta est ob angustiam locorum, per quæ feruntur, eorũ vehementis, vt omnia præter oaturã exiccent, & veluti arida reddant: aut certè penitus silent veoti. Vnde cùm aër, perflatus nõ expurgetur, residet, fitque & crasaior, & impurus, & subsequentst insalubria.

An sublimis, & frigida] Sublimis terta est, qualia quæ in montium summitatibus: hæc frigida esse soler, tum quòd vẽtia magis sit exposita, tum quòd Solares radij parum habent subiecti, in quo impingant ob eorum acutiem: qua ratione efficitur, vt eæ partes frigidiores temaneant.

VII.

Καὶ τὴν δίαιταν τῶν ἀνθρώπων, ὁκοίῃ ἥδονται. πότερον φιλοπόται καὶ ἀριστηταὶ καὶ ἀταλαίπωροι, ἢ φιλογυμνασταί τε καὶ φιλόπονοι, καὶ ἐδωδοὶ καὶ ἄποτοι.

Tum & hominum diætam, qua communiter vtuntur, an bibaces, an lurcones, & otio dediti sint, an potiùs exercitiorum, & laborum amatores, & edaces, & paucibiba.

Inter ea, quę diligenter à medico sunt consideraoda, quoties iocognitam aliquam regionem, vel ciuitatem ingreditur, post situs aquarum, & terræ modi contemplationẽ, non ignobilem sibi communis victus ratio locum vindicat, vtpote quæ soleat vna ex priocipalib. causis morborum sb Hippocr. statui tum libro de Flatibus, tum secundo de Natura humana. Et quamuis horum librorum seoteotiæ oõ ita ex abrupto recipiendę sint ob exiguam eorum auctoritatem, cùm magni Hippocr. noo esse censeantur; hac tamen io re, cuius ratione has proposuimus aoctoritates, cum Galeno tanquam Hippocr. sententiam amplexabimur. Ad duaa igitur vniuersales, & potissimas causas morbos omnes reduxit, aërem, & diætam, illũ morborum communium, hanc particularium causam esse affirmans: sed non ob hanc solùm causam victua ratio contemplari à medico debet, sed etiã quòd soleat esse ioter iostrumenta medica curatiua: neq; enim parum interest medico cognouisse hoc, an illo victu quis vtatur: scimus enim consuetudinem ioter indicatiooes, aut contraindicatiooea ooo iofimum locũ obtinere: vnde Hippocr. 1. de Ratione victus in acutis morbis part. 17. de tractatione, quæ de victus ratione est, agens, inquit: dico speculatioοem hanc esse & pulcherrimam, & germanitate quadam quamplurimis, eisdemq; quàm vtilibus in artetsbus conuenire, vtpote quæ ægris omnibus ad sanitatem magnum quippiã potest, sanisq; ad securitatem, seseq; exercentibus ad bonum habitum, atq; ad quodlibet voluerit. Per diætam autem hoc loco, quamuis potissimùm cibum, & potum intelligat, tamẽ etiam de cæteris, quas res non naturales appellant, sed oecessarias, intelligere potest, vno tamen ambiente aëre excepto, de quo hactenus iam copiosè proposuerat: quod manifestum facit, cùm & inertiæ, & exercitiorũ vltra cibum, & potum mentionem facit; sola aũt otij, & exercitiorum enumeratione fuit contentus, vt cętera ex iis, etiã contẽplanda esse intelligerem*.

An bibaces] *φιλοπότας*, amatores bibendi appellat hîc, non aquæ; superiùs enim de potu aquæ iam egerat, sed de potu nutrieote, qualis est vini, & cereuisiæ vocatæ: multum enim ob hanc consuetudinem solent immutari corpora; alij enim cùm non multùm offendũtur, aucto sanguine incalescunt, alij econtra refrigerãtur, bibacitate accumulatis frigidis humoribus, vt de vino testatur 3. de Temper. Galen. cùm frigidoa morbos ex oimio vini potu, puta attonitos morbos, comitiales, neruorũ resolutiooes, lethargicos affectus, oeruorũ distentiones, & huiusmodi inuehi sæpe tradit.

Καὶ ἀριστηταὶ, edaces, vel lurcones] Fit enim à verbo *ἀριστάω*, id est, prandeo: vnde pransiculantes dici possint: quòd vitio verteretur antiquis, si prandium vberius fuisset: cùm cœna semper oblotiones soleret esse lautior: *ἀριστηταὶ* igitur dicentur, qui non cœna modò lauta vtebantur, sed etiam prandio: quapropter & voraces & lurcones, & gulosi, & comessatores interpretari poterunt: qui vt plurimum calido hepate, & magno præditi, frigido ecõtra ventriculo plus appetunt, quàm concoquere valeant: vnde morbis quamplurimis corripiuntur, nec longæui esse possunt: vbi enim cibus præter naturã ingestus est, morbum facit; præter naturam autẽ iogestus dicitur, cùm tantus sumitur, vt oaturam euiocat, nec ab ea supsretur, vt exponit ab auctore libri de Locis in homioe; neq; enim Hippocr. esse in præsentia dicere auderem: exemplum est de Biante 5. Epidemion, suffocatur enim calor, vnde decolores fiuot, & plerique

morbi ex cruditate, cacochymia, & vt vno verbo dicam, ex nimia repletione fiunt; vnde Hippocr. 1. Acut. 37. dicebat: quòd plus, quàm natura fert, ingestũ est, noxas parit vix emẽdabiles.

Καὶ ἀταλαίπωροι, id est, & otiosi, segnes et otio dediti] Multum etiam medico refert cognoscere, an otiosam vitam degant, an econtra exercitiis dediti sint: ex otio enim & desidia sequitur natiui caloris suffocatio, nullo motu excitato calore, imò humidis, fuliginosisq; excrementis velu ti restincto; vt ignem, quem auræ nullius motus euentilet, fumo suffocari videmus, tum & facultatum omniũ imbecillitas in agendo: torpore enim quodam ex intempestiua quiete, impedita quasi spiritus diffusione meatibus viisque ex frigidis & crassis humoribus cõstrictis, afficiuntur, vnde febres, & putredines sæpenumero excitantur: sed quod maioris momenti est, impedimento esse solet desidia, & immoderatum otium, quominùs alimentum iam confectum in ventriculo per vniuersum distribuatur, ex quo hectica illa membris accidit, quæ atrophia dicitur: vnde illud poëtæ; ignauum corrumpũt otia corpus; quod longa oratione Galen. lib. de Bonitate, & malitia ciborũ demonstrauit, cùm ex longa desidia cruditates, vitiosorum humorum abundantiam, caloris naturalis ignauiam, spirituum inertiam oriri, & ad omnes mentis, sensus, naturæq; functiones obeundas ignauiorem hominẽ reddi; tum & corpus vniuersum languidum, molle, infirmũ, hebes, decolor effici scribit. Hinc prima Problem. Sect. Problem. 46. cùm quæsitum esset, cur salubre sit laborem augere, & cibum minuere: tota solutionis problematis ratio in eo posita est, q. excrementorum multitudo tunc augetur, cùm cibi, plus quàm oportet, ingeritur, exercitium verò solitum minuitur.

Ἢ φιλογυμνασταί, vel exercitationum cupidi] Exercitatio est corporis vehemens motus, sicut pilæ ludus, saltus, disci iactus, cursus, equitatio, & id genus alia: vehementia verò horum, & gradus, non desumitur ex genere exercitij solùm, cùm sæpe contingat, vt vnus motus vni sit exercitatio, alteri autem minimè; sed idem metimur, cùm incalescere incipit corpus, & quasi sudare, tũ ex mutata respiratione. Debet igitur medicus cognoscere, an populi otiosam vitã degãt, quod priùs proposuit, an potiùs exercitiis dediti sint; cognoscet enim eorum temperaturam meliùs, naturam, habitum, & salubritatẽ, tum & morbos: quoties enim suscitatus corporum commotione natiuus calor, quem immodica quiete segniorem fieri dicebamus, atq; auctus fuerit, promptiùs concoctionẽ molietur, distribuenda vehementiùs rapta deducet, calorem naturalem fouendo, nutritionem meliorẽ efficiet, fusa corpora reddet, vt inde solidiores partes emolliantur, attenuentur humores, referenturq; meatus, & peruij fiant; qua ratione & spiritus per vniuersum corpus faciliùs permeare possint, & excremẽta exinaniri; & tum demum membra corporis mutua illa, quam inter se vsqueadeo durabũtur, vt & faciliùs in de nocumentis resistant, & ad agendum robur accipiant. Cæterùm non hac solùm ratione optimum est medico scire, an exercitiis vtatur, nécne, sed etiam vt incõmoda cognouisse possit, quæ ex exercitiis in iis possunt prouenire: est enim à natura id ferè comparatũ, vt iorempore, vsuq; rectè adhibita quædam vtiliter, eadem errore aliquo noxia euadant, eademq; sæpe sunt, ex quibus sanitas petitur, & quæ morbum inchoant: nam in rebus, quæ sunt ad aliquid, est exercitatio, quæ respectu vnius nocerant, respectu alterius prosint: nisi enim præcepta diligenter custodita seruentur, ne aut nimium, aut non satis apto tempore ineatur, aut non cuiusmodi debet, aut qualiter, aut demũ quouis alio modo minimè conuenienter tractetur, noxam statim nõ paruam inferet, vt lassitudinum omnia genera, febres, & alia.

Καὶ φιλόπονοι, & laborum amantes.] Hanc particulam non habet Græcus codex Gadaldini, & fortasse quòd eadẽ cùm superiori videatur, omissa est; sed malè, tum ex impressis omnibus, tum & ex manuscripto, & certè adiici debet: Cùm enim duplex sit exercendi ratio, vna ex voluptate, cùm ad aliquem vehemẽtiorem motum consueto vsq; ad mutatam respirationem fieri solet, altera coacta: coactam eam dico, quæ fit vel egestate, vel seruitute, aut alio quouis proposito, quàm vt se exerceat, vt equorum domitores, bellicosi, fossores, messores, remiges, aurigæ, baiuli, & id genus alij, qui quanquam vsum nonnunquam iustarum exercitationũ obtineant, tamen quoniam neq; id propositum habent; atq; quia sæpius fine frustrãtur, sed nec tempora, nec iustæ exercitationis modum aut nouerunt, aut obseruant, meliùs laboris, quàm exercitij nomen illis applicuit Hippoc. nõ negauerim tamẽ, laboris nomine quandoq; Hippocr. exercitationem intellexisse. Cùm igitur ex vsu medico sit, non solùm nouisse, an nobilea exercitiis propriè dictis vtantur, sed etiam quodnam sit vitæ institutum commune omnium hominum, an otiosum, an laboriosum; meritò hanc addidit particulam: qua etiam ratione dicebat Hippocr. 2. Aphor. 49. qui soliti sunt solita exercitia ferre, etsi inualidi sunt, aut senes, faciliùs ea ferunt, quàm qui non sunt assueti, quamuis robusti, & iuuenes; consuetudinem enim esse alteram naturam & nos indies experimur: & Galen. 2. de Motu muscul. & secundo de Temper. cap. 6. docebat, nec tamen solùm medicus debet cognoscere, an exercitiorum amatores, & laboribus dediti sint, sed simul an exercitatio hæc cibis correspondeat ex proportione; & econtrà, an ciborum multitudo exercitationi sufficiat: propterea subdit:

Καὶ ἐδωδοί, an voraces.] Dicebat Hippocr. (siue

quisquis

quisquis eius libri sit auctor) 1.lib. de Diæta, malam esse victus rationem, cùm multitudini ciborum labor non correspondet; vnde meritò ad laborum tolerantiam, & ad exercitia subdit; an ciborum sint appetentes: cùm enim ex laboribus, & exercitiis multa fiat corporis inanitio calore natiuo aucto, & proinde substantiam depascente, tum & expultricis robore, nõ mirum est, si quærendum sit, an edaces, & ciborum appetentes sint: hi verò maximè distinguuntur ab aliis, quos lurcones appellauimus; in edacibus enim naturalia est ob eas, quas ab exercitio pendere, causas, dicebamus, appetentia; in lurconibus autem illis voluptuosa potiùs, qua non necessitate aliqua impulsi, sed solùm illecebris, & gula irretiti ad voracitatem trahuntur.

Καὶ ἄποτοι, & paucibibæ] Sic si licet nũc vno verbo minùs Latino vnum verbum Græcũ referre: parum bibentes latiniùs dicemus. Cornarina cùm vertit ciborum plus appetẽtes, quàm poculorum, videtur dictionem μᾶλλον interposuisse: nos tamẽ fidem omnium exemplarium secuti legendum duximus disiunctiuè, vt posuimus. Qui cibos multos appetunt, naturali hac appetentia, non multum possunt esse potus amatores: siquidem à contrariis ferè ventriculi temperaturis famem, & sitim oriri manifestum est: neq; si quis multo cibo se repleat, multam habere potest potus appetentiam: & id nos quotidiana probamus experientia: sicut econtrà, qui multum sunt potus amatores, rarò inuenimus esse multorum ciborum appetentes. Neq; tamen hoc repugnat iis, quæ ab Hippocr. in hac particula dicta sunt, cùm otio deditis videtur adiunxisse bibacitatem, & voracitatem: siquidem per voracitatem, & per lurcones (vtitur enim dictione ἐδωδοὶ) non naturalem appetentiam, de qua nunc loquimur, sumit, sed eam, quæ voluptuosa est, quæ gulæ vitio comprehenditur: hęc enim sicut otiosis peculiaris esse solet, ita continuò bibacitatem etiam voluptuosam habet adiunctam.

IIX.

Καὶ ἀπὸ τουτέων χρὴ ἐνθυμεῖσθαι ἕκαστα.

Atq; ex iis oportet singula considerare.

Breuitatis cupidissimus cùm sit Hippoc. meritò, postquàm admonuit, quid tractet in hoc libro, & quomodo hæc necessaria sint, cùm quàmplurima alia sint medico cognitu necessaria, eadem omnino ratione, ex dictis reliqua coniicienda esse, & inuestiganda docet exẽplo desumpto ex prædictis, vt ex iis indicationes, tũ conseruandæ valetudinis, tum morborum curandorum elicere probè sciamus: hæc verò erunt facultates, qualitates sequẽtes temperaturam, à corpore excreta, & alia id gen⁹: facultates puta, quales sint in homine tum principes, tũ sensitiua, tum secũdum locum motiua, & naturalis: veluti in principibus, quomodo in intellectione, cogitatione, & memoria se habeant; in sensitiua quales sint, tum in internis sensibus, tum in externis quinq;: in motrice, vt an agiles sint toto corpore, an secundùm partem, an inertes: in vitali etiam, qualis vt plurimum sit communis arteriarum pulsus, & respiratio; & quomodo in functionibus à corde promanantibus se habeat ita, & huiusmodi: tum etiam in naturali, an bene concoquant, nutriantur, appetãt, in venerem sint propensi, & alia id genus. Qualitates etiam externæ sunt considerandæ in hominibus, puta quis color faciei, quę figura tum corporis, tum partium, qui situs; vt si prominentibus oculis, an cõcauitate inclusis, qui numerus, puta an gibbosi, an hoc vitio affecti, an prętereà asperi, an molles, pilosi, vel glabri, qua voce prædititi: accedunt alia, vt an calculo laborare soleãt, an podagra, an catarrho, aliisq; huiusmodi morbis: hæc igitur fortasse intelligit Hippocr. esse consideranda, & coniicienda ex iam dictis. Aut certè dicere poterimus Hippocr. intelligere à medico ex iis, de quibus hactenus agendum esse docuit, singula esse inuestiganda, id est, per indicationes ex iis esse colligẽdum, quid agere expediat, aut pro conseruanda sanitate iis, qui secundùm naturam sunt temperamento, consuetudine, viribus, affectionibus, sanitate, eiusq; causis, quas naturales appellant, similibus conseruando, aut pro morbo remouendo, symptomate, morbo, & eius causis edomitis adhibitis remediis contrariis.

IX.

Εἰ γὰρ ταῦτα εἰδείη τις καλῶς, μάλιστα μὲν, πάντα. εἰ δὲ μή, τά γε πλεῖστα, οὐκ ἂν αὐτὸν λανθάνοι ἐς πόλιν ἀφικνεόμενον, ἧς ἂν ἄπειρος ᾖ, οὔτε νοσήματα ἐπιχώρια, οὔτε τῶν κοινῶν ἡ φύσις ὁκοίη τίς ἐστιν. ὥστε μὴ ἀπορέεσθαι ἐν τῇ θεραπείῃ τῶν νούσων, μὴ δὲ διαμαρτάνειν, ἃ εἰκός ἐστι γίγνεσθαι, ἢν μή τις ταῦτα πρότερον εἰδὼς προφροντίσῃ.

Nam qui hæc omnia optimè cognouerit, aut certè horum plurima, eum neque latere poterunt, si in vrbem peruenerit, aut ignoti esse morbi regionis proprij, neq; communium natura, quæcunq; ea fuerit, ita vt in curatione morborum dubitare, aut aberrare nequeat, quæ verisimile est contingere, si quis non hæc ipsa sedulo edoctus fuerit.

Prosecutus hactenus est Hippoc. quid in hoc libro sit tractaturus, atq; docuit, quàm hęc medico cognitu sint necessaria; nunc eorundem etiam vtilitatem tradit, vt medicos ad hanc capessendam doctrinam alacriores, & promptiores reddat: nam qui hæc diligenter cognouerit omnia, aut certè quàmplurima eorũ pro viribus obseruauerit, nihil illum latere poterunt eorum, quæ ad cognitionem, vel curationem morborum facere possunt: neq; enim fieri po-

test,vbi quis hæc probè cognouerit, vt non cognoscat, vbi ad ignotam ciuitatem peruenerit νοσήματα ἐπιχώρια,morbos regionis ꝓprios: sunt autem morbi omnes, aut communes, generales,& vniuersales κοινότατοι, πάγκοινοι, καὶ πάνδημοι Græcis dicti,quòd omnes,aut certè complures vnus,& idem morbus, aut parum à se ipso diuersus vna tempestate,aut loco affligat:aut particulares,dissimiles,sparsi,priuati,Græcis σποράδες & σποραδικοὶ dicti,quòd hunc,illumve variè ꝓ varia,ac difformi victus,corporum,atq; humorum ratione afficiant, qua dictione vsus est etiã Aristoteles 1. Meteorolog. vbi stellas quasdam sporadas nominat,quia quasi absq; ordine dispersæ sunt;neq; vnum aliquod (licet in vnum collectæ fuerint) signũ,aut sydus alicuius momenti constituere possunt: ita hi morbi cùm à se inuicem dissimiles sint,diuersa corporis loca occupant, differentibus causis oriuntur, varios, & diuersos quouis anni tempore, quauis regione, & qualibet temporum constitutione præhendunt. Verùm communes morbi cùm non alia de causa ita appellẽtur, aut fiant apud Hippoc.lib.de Flatibus, quàm ex communi aliqua,cuius participes sint,aut omnes,aut plures, ratione & causa, qualis est aër, & aqua (iis enim vti omnes necessariò cogimur) victus ratio, quando communiter aliquæ regiones, aut ciuitates,aut necessitate coactæ, aut habitu ex consuetudine contracto eadem vtuntur:Cúmque causæ eæ omnes ad duas species reducantur, quòd aliquæ sint loci alicuius peculiares, aut à natura,aut certè cõsuetudine,aliç aduentitiæ & coactæ: duæ statim apud antiquos emersêre communium morborum species,quarum altera, quæ ab aduentitia causa communi ortum habet, epidemicos Græcis dictos morbos,nobis vulgares,seu populares,cõtinet;qui aut aëris communem labem,aut malam victus rationem, qua communiter ob famem vti necesse fuit, sequi consueuerunt, vt in penuriis communibus,in obsidionibus & bellis,in hoc à sporadicis differentes, qui & ipsi à victus mala ratione oriũtur,quòd sporadici varios, & diuersos, qui committi solent, errores sequãtur, vnde & diuersi, & dissimiles sunt inter se: illi verò vnam, & eandem in victu deprauato habent occasionem,qui & subdiuidi solent in benignos,& exitiosos,& hos iterum soleo ipse in pestẽ,& malignos sine peste diuidere,de quib⁹ aliàs: altera verò est, sub qua ἐπιχώρια, qui etiam sæpius ἐνδημικοὶ, ἐνδήμιοι, πάτριοι dicuntur, nostri patrios dixere, indigenas, vernaculos, regionales,natales, & regionum peculiares, comprehendi solent, qui natalem illam, propriamque vel spontaneam causam habent, qualis est aër, aut aqua,loci peculiares,consueta victus ratio; sicuti aliquibus locis Brixiensis soli adeò familiaris est tumor is, qui in anteriori parte gulæ exoritur,à Græcis βρογχοκήλη,quasi gutturis ramex, bocchium à modernis dictum, vt nullus ferè sit,qui eo,ac si naturale membrum esset, careat, quòd tum aëris crassi, & frigidi inspirati, tum aquarum eiusdem qualitatis epotarum ratione euenire creditum est. Hispanis,& aspera Styriç inhabitantibus,frequentissima struma; Phthisis Lusitanis,Vasconibus gibbus,Lycantropia,& vocis asperitas: Apulis Icterus: Indis Pua,morbus venereo non dissimilis:Lepra Iudæis:Romanis hæmitritæus:Atheniensibus olim podagra,nunc nobis Mediolanensibus ob cruditates ex nimio cibo, & vini potu, & otio ingestas satis familiaris, & frequens: Alexandriæ olim familiaris erat elephas,quod Galen. in victus rationem retulit: Mauritanis dracunculi in tibiis geniti, vt docet Auenz. lib. 2. sui Theisir tract.2.cap.20. Florentinis frequens est epilepsia: ij sunt,quos hoc loco Hippocr. vocat Epichorios:dixit autem [*latere, aut ignoti esse*] nõ idem significans,sed per latere intelligit genera morborum,per ignotos esse significat quiditatem, & causas eorundem morborũ: & quod ita sit,manifestum inde efficitur,quòd postquã dixit,quòd non possunt latere morbi vernaculi,subdit: [*neq; communium natura*] vt quod in primo de cognitione, quantum ad primam quæstionem pertinet,intellexit,id etiam intelligamus in eisdem morbis, & cæteris rebus medicis,quantum ad alias quæstiones. Vnde non satis hoc loco mirari possum interpretis licentiã, qui præter rationem, vt in quàmplurimis aliis locis fecit, quod vniuersaliter pronunciauit Hippocr. οὔτε τῶν κοινῶν ἡ φύσις, ad temperamentum regionis referens, sic est interpretatus: neque communis regionis natura: minùs etiam ipse recipio Gadaldini lectionem, quã in antiquo suo manuscripto inuenisse scribit: loco enim horum verborum; οὔτε τῶν κοινῶν ἡ φύσις, legit: οὔτε τῶν κοιλιῶν ἡ φύσις, id est,neq; ventriculorum natura: non enim, si ita legatur, communis proponetur huius libri vtilitas,quemadmodum si priorem retineamus lectionem : potissimum cùm etiam ventriculorum natura sub hac dictione, communium,contineatur; comprehendit .n. & hominum,& morborũ, & regionis, & victus naturam; de quibus omnibus in hoc libro agit. Nomine autem naturæ, & naturale temperamentum,& facultates, virtutesq;, quibus res illæ præditæ sunt,intelligit, has enim significationes nomen naturæ habere docebat Stephanus Atheniensis in 1.Com. 1. lib.ad Glauc. hæc autem natura,vt ibidem docet Galen.duplex est,communis, & propria, vtraq; etiam, si fieri potest, non est ignorãda. Verùm quoniam difficillimum est in vrbe incognita priuatas naturas,quæ præ multitudine,varietate, & perpetua mutatione, sub artẽ cogi non possunt, perspectas habere;debet saltẽ hoc tentare,vt communem eorundem naturam cognoscat, potissimum verò hominum: ratione enim diuersorum locorum,& situum diuersas hominũ temperaturas,& mores cognoscimus: vnde secundo

do de tuenda valetudine docebat non modò in primis qualitatibus, sed etiam in secũdis, duritie, mollitie, glabritie, vel hispiditate variari homines, cùm dicebat siccos, graciles, & veluti torrefactos in æstuosis tractibus fieri, rursus frigidioris plagæ incolas inæquali esse temperamento, cum exteriora frigidiora sint, interiora aũt immoderato calore ęstuent: quinimò quod de climate dictum est vario, de eodem, & eadẽ regione dici poterit, habita aëris, ventorum, solis, syderum, diuersitatis ratione.

Ita vt in curatione morborũ dubitare, aut aberrare nequeat.] Non possum hic iterũ nimiam interpretis licentiã non reprehendere, qui & de suo prę ter rationem addit, & malè verba Hipp. interpretatur. Cùm.n. Hippocr. sic habeat: *ὥστε μὴ ἀπορέεσθαι ἐν τῇ θεραπείῃ τῶν νούσων, μηδὲ διαμαρτάνειν*, sic ipse in Latinum transtulit: vt non possit in cognoscendis morbis dubius hærere, aut errare, sicubi ad morborum curationẽ adhibeatur: in qua traductiõe illud superflui de suo addidit, in cognoscẽdis morbis: malè verò vertitur illud, sicubi ad morborum curationem adhibeatur: quare aũt (vt sententiam Hipp. explicemus) dubitare, aut aberrare dixerit, ea est causa; q̃, quemadmodum suprà dicebamus, vt duplicem demonstraret cognitionem; simplicem, qua morbi, & cæterarum rerum essentiam; alteram compositam, qua causas, & qualitates cognoscim^9, duabus Hippocr. esse vsum dictionibus, latere, & ignoti esse, ita in præsentia duabus dictionibus idem proposuit, dubitare, & aberrare: dubitare in prima cognitione, & aberrare in curatione: erunt igitur morbi priùs cognoscendi, mox, vnde proueniant, est iudicandum, à quo teste Gal. 3. Meth. medendi prima curandi indicatio, & morborum inu sniendorum initiũ desumi solet.

Quæ verisimile est contingere.] Qui.n. naturam morborum, hominum, & cæterorum, non animaduerterit, malè instituere curationem verisimile est: dixit verisimile, quia fortuitò empiricus curare poterit, sed non ex arte.

X.

Περὶ ἑκάστου δὲ χρόνου προϊόντος, καὶ τοῦ ἐνιαυτοῦ λέγοι ἄν, ὁκόσα τε νοσήματα μέλλει πάγκοινα τὴν πόλιν καταλήψεσθαι, ἢ θέρεος ἢ χειμῶνος. ὁκόσα τε ἴδια ἑκάστῳ κίνδυνος γίνεσθαι, ἐκ μεταβολῆς τῆς διαίτης.

Vniuscuiusq; præterea temporis proximè futuri, & anni constitutionem prædicere poterit: & quæcunq; morbi cõmunes ciuitatem sint inuasuri, vel æstate, vel hyeme: & quæcunq; pericula vnicuiq; contingere possunt ex mutatione victus rationis.

Prosequitur Hippoc. hoc loco vtilitates, quę ex tractatione hac depromuntur, dicitq; medicum iis animaduersis, quæ proposita sunt, facilè posse futuram temporum cõstitutionem, & morborum naturam prædicere; tum & pericula ex immutata victus ratione imminentia pręsagire; nec certè immeritò: nam qui præsentia anni tempora, ventorum naturas, regionis situm, vrbis positionem, & habitudinẽ ad cœlũ, aquarum, & terrę qualitates, communẽ viuendi rationem cõsiderauerit, atq; mutationes eorundem saltem plurium, pręteritisq; pręsentia contemplando coniungat, atq; pręsentia futuris comparauerit, facilè ex eis futura colliget, tum & varios morborũ euentus: dixit aũt Hippocr. *χρόνου*, id est temporis, & anni, non pro eadem re ea assumens; sed sic intelligere oportet, quòd colliget futuri temporis qualitates, id est particularis, puta hyemis, veris, æstatis, & autumni, aut anni, id est, totius anni ex illis constituti, qualis futurus sit in qualitate, an totus ad frigidum, & siccum, hyemis naturam referens, an ad calidum, & siccum æstiuus, an inæqualis, autumnalis, an temperat^9 totus, seruata semper proportione, vt vernus sit; ex quib. postea colligere possit medicus, [*quæcunque morbi communes ciuitatem sint inuasuri vel æstate, vel hyeme*] vocat hic *νοσήματα πάγκοινα*, vniuersales morbos; vt ab epichoriis distingueret: quamuis enim etiam hi sint vniuersales, non tamen anni, vel temporum mutationes sequuntur: vnde intelligit omnes epidemicos morbos, siue sint benigni, vt febres tertianæ, ophthalmiæ, & huiusmodi, siue exitiosi, & ex iis siue maligni solùm, siue etiam pestiferi: hæc enim morborum genera ab anni temporibus, & à totius anni constitutione oriri solent. Miro autem artificio Hippoc. antecedentia subsequentibus coniungit: cùm enim ex explicatis pollicitus sit nos cognoscere posse, tum anni totius constitutionem futuram, tum & particularium temporum qualitates, statim duabus rebus etiã duobus propositis correspondentibus satisfacit; nam per communes morbos in ciuitate grassantes intelligit epidemicos cuiuscunque generis, qui vt plurimum per totam anni præter naturalem constitutionem solent perdurare: Cùm verò addit, æstate, aut hyeme, intelligit de communibus morbis populi, qui solent exoriri ex varia particularium temporum, autumni puta, æstatis, hyemis, aut veris qualitate: vnde meritò in procemio primi lib. de Morbis vulg. dicebat Galen. in hoc libro Hippocr. rationem eorum tradere, quæ confusè in libris Aphoris. tradita sunt, & particulariter in lib. Epidem. de Morbis vniuersalibus ex constitutionibus anni & temporum ortum ducentib^9.

Et quæcunq; particula vnicuiq; contingere possunt, ex mutatione victus rationis.] Si quis diligenter hæc Hippocr. verba animaduerterit, obseruabit vtique apud Hippocr. communium, populariúmve morborum, quos Epidemicos appellãt, siue modò sint benigni, siue maligni, non vnicam ab Hippocr. statui causam aërem, vt communiter omnes hactenus crediderunt, mori

auctoritate libri de Flatibus, & secundi libri de Natura humana, particula 3. vbi communium horum morborum causam statuere videtur vnicam, aërem: hoc enim loco manifestè agena de causis præcognoscendis ad præsagiendos morbos futuros, potissimam quidem illam statuit, quæ ex anni constitutione, & temporum mutatione oritur: non negat tamen fieri non posse ex sola etiam immutata victus ratione: vnde non satis aliquos mirari possum, qui nimium antiqua dogmata affectãtes, conati sunt vnicam tueri esse causam communium omnium morborum aërem, mutationem etiam victus rationis ad aërem reducentes; quasi verò diuturna experientia non sit obseruatum, purissimo aëre existente, & temporibus vndequaque suam seruantibus naturam in aliqua regione pestem vigere, aut commune aliquod morborum genus; quemadmodum etiam nos docuit Galenus in Commentariis ad secundum librum de Natura humana, vbi hac potissimum ratione demonstrat librum illum non esse Hippocr. genuinum; quòd ibi statuere videatur, aërem vnicam communium morborũ causam: quinimò etiam lib. de Diffic. respir. 3. ab Hippocr. grauitate librum illum longè esse alienum testatur Galenus, sicut & lib. de Flatibus, in quo non communium modò morborũ aërem, sed & priuatorum causam esse censet. Iure meritò igitur hoc loco statuit Hippocr. cùm de vtilitate loquitur, quæ ex iis, quæ in hoc libro tradita sunt, colligi potest, præsagiri facilè posse à medico in iis libris versato, qui morbi communes sint vagaturi, tum ex cognita præteriti, & futura anni, & temporum constitutione, tum ex immutata victus ratione, ad quas duas causas omnes Epidemicos morbos reducit: per mutationem autem diętæ, aut naturalem intelligere poterimus; docuit enim 3. de Diæta, & lib. de Salubri diæta Hippocr. pro varietate temporum immutandam quoque esse victus rationem; quocirca deprebensa anni, & temporum cõstitutione, & victus ratione, subsequentium temporum contemplatione, passiuis actiua applicantes, facilè populares morbos imminentes præsagire poterimus. Aut certè iam intelligit mutationem victus insignem, quæ necessitate aliqua communiter recipitur, vt in penuriis, & obsidionibus diuturnis solet accidere, in quibus panes ex milio, oryza, leguminibus, castaneis, & furfure cõfecti in cibum conficiuntur. Hæ igitur sunt mutationes victus, quas medicum oportet cognouisse, vt cõmunes morbos prædicere possit. Malè igitur Alemanus μεταβολὰς explicat mutationes vict⁹, id est, cùm cibi inuerso, & præpostero ordine sumuntur; cùm huiusmodi victus mutationes priuatos potiùs affectus efficiant, quàm communes; de quorum causis in præsentia agebat Hippoc.

XI.

Εἰδὼς γὰρ τῶν ὡρέων τὰς μεταβολὰς, καὶ τῶν ἄστρων ἐπιτολάς τε καὶ δύσιας, καθότι ἕκαστον τουτέων γίγνεται, προειδείη ἂν τὸ ἔτος, ὁκοῖόν τι μέλλει γίγνεσθαι. οὕτως ἄν τις ἐρευνώμενος καὶ προγινώσκων τοὺς καιροὺς, μάλιστ᾽ ἂν εἰδείη περὶ ἑκάστου, καὶ τὰ πλεῖστα τυγχάνοι τῆς ὑγιείης, καὶ κατ᾽ ὀρθὸν φέροιτο οὐκ ἐλάχιστα ἐν τῇ τέχνῃ. εἰ δὲ δοκέοι τις ταῦτα μετεωρόλογα εἶναι, εἰ μεταστάίη τῆς γνώμης, μάθοι ἂν ὅτι οὐκ ἐλάχιστον μέρος συμβάλλεται ἀστρονομίη ἐς ἰητρικὴν, ἀλλὰ πάνυ πλεῖστον. ἅμα γὰρ τῇσιν ὥρῃσιν, καὶ αἱ νοῦσοι, καὶ αἱ κοιλίαι μεταβάλλουσι τοῖσιν ἀνθρώποισιν. ὅκως δὲ χρὴ ἕκαστα τῶν προειρημένων σκοπεῖν καὶ βασανίζειν, ἐγὼ φράσω σαφέως.

Cùm enim temporum mutationes, & astrorum ortus, & occasus obseruauerit, quomodo singula eorum oriantur, præcognoscet vtique, qualis annus futurus sit: hoc namq; modo si quis perscrutatus fuerit, atq; præcognouerit occasiones, si plurima de singulis cognoscet, & vt plurimùm sanitatem assequetur, & secundùm rectam rationem maximè in arte procedet: Si autem hæc alicui meteorologica esse videantur, si sententiam mutauerit, discet non minimam partem conferre in arte medica Astronomiam, sed omnino quàm plurimã; simul enim cum temporibus & morbi, & ventres in hominibus mutantur. Quomodo autem oporteat singula, quæ diximus, scrutari, & explicare deinceps; dicamus manifestè.

Anni tempora, temporumq; mutationes, & varias qualitates medico diligenter considerãdas, atq; obseruandas esse superiùs, cùm huius libri vtilitatem, & necessitatẽ traderet, docuerat, nosq; longa oratione ostendimus: verùm cùm anni tẽpora cœli motu distinguantur; motus verò cœli varius modus ex ortu, & occasu syderũ percipiatur: imò cùm variationes tẽporum ex iisdem pendeant; vt cùm Sol Ariete ingreditur, ver incipere dicimus: Arcturo exoriẽte, autumnũ: Cùm Sol caniculæ iungitur, mundus immenso æstu afficitur, maria turbantur, plantæ arescunt, & omnia deniq; exiccantur. Contrà Arcturo exoriente, pluuiæ sæpenumero cadunt: vnde oẽs, qui de rebus naturalib. scripserunt, tanti fecerũt syderum, & inerrantium ortus, & occasus, vt oẽs ferè mutationes tẽporum iuxta illos fuerint emẽsi, & clarissimi medicorum, inter quos Hipp. & Gal. anni tẽpora ab iis potius, quàm à Solis locis distinxerint; ne quis absurdũ putaret medico trãscendere de genere sciẽtiæ in alterũ gen⁹. i. ad Astronomiã. In hac particula docet maximam affinitatẽ, & coniunctionẽ medicinæ cum Astronomia; docetq; quousq; medico oporteat astronomũ esse; neq; .n. postquã dixit: *& astrorũ ortus, et occasus obseruauerit*; subdit, *quẽadmodũ singula eorũ oriantur*]

præter

prçter rationem dictum esse censendũ est: Cùm enim eodem fere tempore singulis annis astra oriantur, & occidant, nisi aliunde haberẽt tempora mutationes accidentales, frustra expectaremus temporũ varietates: vnde meritò Hipp. non simpliciter dixit, obseruare nos debere ortus, & occasus syderũ, quo scilicet tẽpore oriatur canis, fidicula, equ⁹, orion &c. sed etiã quẽadmodum eorũ singula oriãtur, & occidãt, cui coniungantur, quib. opponantur, q̃modo configurẽtur. Significat aũt per astra tam planetas, quàm cœlestia alia sydera: scimus.n. quãtas mutationes in mundo hoc inferiori producãt cœlestia hæc corpora, tum per se, tum etiã vbi notabiles configurationes, & coniunctiones magnas fecerint; & prçcipuè, quç in cõtrariis sunt domibus (hæ aũt sunt quatuor; Solis, & Lunæ cum Saturno, Mercurij cum Ioue, & Veneris cũ Marte) nàm modò venti, modò imbres, modò calor ingens, modò frigus immensum producuntur. Hîc ego fera, & barbara hominũ mõstra satis admirari nequeo, qui nõ solũ artes, & sciẽtias naturæ præstantissimas dotes armis, & equis proscindere sunt conati, sed etiã obliuionem earũ, odium, atq; contemptũ venturis seculis offundere sempiternũ: quorum errorẽ occasione ex Hipp. sumpta, qui astronomiã medico necessariò iungendam ducit: hoc loco operæpretium esse duxi breuiter euertere, si modò erroris nomine, non obstinatæ potius malitiæ insigniendum credamus. Crediderũt igitur aliqui astra ornatus solùm gratia à primo opifice facta, cœlumq; tot præclaris luminibus insignitum, vt sint nobis in signa temporum: neq; enim summi illius astrologi Mosis sententiam disiunctam explicauerunt, esse nobis sydera in signa, & tempora, sed coniunctè, voluntq; præter Solem & Lunam stellas cæteras propè nihil efficere, & non aliter, atque otiosas statuas, vel indicia quædam in littore constituta nobis viã ad superos commonstrare. Vident, atque fatentur determinatum in illis ordinem, quem fortasse negarent, nisi tot eclipses, & planetarum concursus in certis horarum minutiis definiti, illorum malignitatem, & obstinaram cauillandi licentiam aliquantulum reprimerẽt, sed inesse determinatas facultates, aut partibus per se separatis, aut simul variè colligaris penitus negant. Verùm hæc horum virorum sententia non modò scientiam omnem, quæ de astris, eorumq́ue dispositionibus tractat, vt inutilem reiicere, sed continuam hanc rerum in mundo connexionem è medio omnino tollere mihi videtur: quemadmodum enim in parua hac superni illius maximi opificij tabella hominis diuersam hanc, atque admirabilem instrumentorum structuram, numerum, situm, figuram, magnitudinem, atque connexionem, non ad mundi inferioris solùm ornamentum spectare, nulla autem propria, atque peculiari facultate donari, dicemus; ita nec in corporibus cœlestibus figurarum, & colorum (si modò colores eos licet appellare) tãta varietas, & pulchritudo ad vnicum cœli ornamentum factæ esse poterunt. Sed, inquient, instrumentorum nostri corporis tantam varietatem ad animæ ministerium esse institutam: at sic in superiori mundo supremus ille rerum omnium opifex, quamuis absoluta sua agendi facultate immediatè possit operari in hæc inferiora, solet tamen vt plurimum cœlestibus vti, vt quæ iam ab æterno in mente disposuerat, actu respectu nostri producantur. Hac igitur ratione tanta lucis varietas singulis stellis est concessa, tanta figurarum, & magnitudinum diuersitas, hinc orbium pluribus orbibus implicatio, quib. errantia sydera commeantes Solem veluti ducẽ sequuntur: nequicquam enim hęc producta esse ne vulgares quidem Barbari, & Deorum cultores assererẽt: si enim in natura inferiori nihil citra proprium; & determinatum finem est institutum; vt passim philosophorum omnium schola profitetur; quomodo summũ illud artificium ad certũ finem non pertinere sanæ mẽtis quispiam affirmare vnquam poterit? neq; enim pulchritudinis, ornatúsve ratio satis ꝓ fine esse potest; cùm pulchritudinis ideã nunquã ab vtilitatis ratione esse seiunctam philosophi oẽs vno ore fateantur. At, inquient, vtilitatem esse; vt iis mediantib. distinguerentur inter se tempora. Esto, concedamus illis Solem, & Lunam, notabilesq; stellas aliquas temporibus distinguendis inseruire: sed ad id nec numerus tantus, nec tanta varietas, aut magnitudinis diuersitas potest esse necessaria, nec in planetis cæteris orbium concentricorum, excẽtricorum, æquantiũ, epiciclorũ, spectabat Labyrinthus hic inextricabilis. Quòd si hæc non conuincant; quæram præterea, an in Sole, & Luna, præter communẽ hanc lucem, quam vident, sit vis aliqua calefaciendi, exiccandiq;, hùmectandi, & refrigerandi: num præter has & altera sit magis occulta, cuius auspicio germinent, viuãt, & cõseruentur omnia, venti, & tempestates exoriantur per vicissitudines, humores moueãtur, mẽstruæ purgationes in mulierib⁹, fluxus sanguinis in vulnerib. medullæ incremẽta, decrementaq; in ossibus, in mari fluxus, & reflux⁹, æstus, feruorísve depressio, quæ vel nauita quispiam, vel bubulcus sæpè cognouerit: hæc si concedãt in Luna; quare stellis superiorib. loco, luceq́ue propria præstantioribus, & magnitudine, eandem, vel similem, si non actu perpetuo, saltẽ potestate efficaciam denegauerimus, ita vt suo accessu, & recessu ad Solem, vel cõplexu mutuo ex potentia ad actum, & efficaciam ducantur? quemadmodũ medicamenta potentia aliquid agẽtia in nobis operari, postquã à calore partiũ naturali fuerint ad actũ reducta, restant Gal. & cæteri medici. Quòd si respondeant agere quidem, sed calore solũ, & luce, obiici statim illis poterit, velintne vniformẽ hunc esse, simpliceḿ,

A & vnius solùm gradus: hoc enim ob effectuum varietatem affirmare nunquam poterunt. Secũ igitur & qualitates primas, & secundas ordine cohærere dicemus, aut saltem diuersos gradus caloris efficere, maximè inter se distinctos pro maxima signorum, lucisq; eorũ varietate, qui ignoti nobis omnino essent, nisi diuturna per eorũ effectus obseruatio per manus tradita aliquam nobis cognitionem peperisset: hæ sunt influentiæ, hæ proprietates, nominentur quomodolibet, modò effectus producant. B Et vt postremò concludam, si ex Meteoris licet colligere futuras tempestates, bellorum euentus, pestilentias, & huiusmodi similia, cur ex nobilioribus & caussis, & signis idẽ & multò certiùs colligi non posse dicemus? Verùm crediderim ipse, non hoc hos reuera credere, sed hac opinione suam ignorantiam obtegere conatos esse. Cùm enim ob varios superorum concursus, & varias motiones, difficillimum sit iudiciũ proferre, desperandi occasio nata est: C atq; cùm ex ignorantia odiũ oriri soleat, & ex odio calumnia, quid mirum si diuinam propè scientiam hanc contumeliis afficere tentarunt? cùm alioqui omnino maiori diligẽtia ad eam capessendam debuissent potiùs inflammari: cùm artes oẽs, quò pulchriores sunt, eò & difficiliores, & maiori caligine circumfusæ esse soleant. Quòd si ob humani intellectus imbecillitatem, vitæ breuitatem, & artis difficultatẽ, artes è medio sunt tollendæ, D cur medicinam etiam non reiicimus, cuius auspicio sic est præfatus Hippocr. ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, non deterrendi gratia, verùm vt iniectis stimulis ad difficilem rem intentiùs animum impenderemus. Neq; mihi ea, quę duodecim voluminibus vndiq; consarcinatis Picus Mirandulanus aduersus astrologos scripsit, obiiciant; siquidem ex iisdem prædictis principiis odio emanarunt. Cùm enim immaturam illi mortem Astrologi, vt Cardan[9] E testatur, prænunciassent, hominum temeritatẽ indignabundus ferens, quamuis adamussim euentus præsagio postea responderit, omni conatu in omnes vates, & astrologos promiscuè arma suscepit, vt plurimũ tamen artificibus vituperatis artis fundamenta nullo modo cõuellit: quòd si quando aduersus artem disputat, id ex artis ignorantia fecit: quòd non vera Astrologiæ fundamenta, quæ nobis Ptolomæus tradidit, sed satis obscurè, vt ignauũ fuci genus à F prę sepibus arceret, sed Chaldæorũ superstitiosas quasdã obseruationes, & præstigiosas conclusiones conatur euertere: atq; falsissimum illud eorundem fundamentũ, quo mentem humanam etiam ita cœlestib. subiici crediderunt, vt necessitate coacta, & cœli viribus impulsa, cogatur ad ea, quæ à cœlestibus aspectibus insinuantur: quamuis enim quæ corporeæ sunt actiones, maximè à cœlestib. possint excitari, quæ tamen suprema est in homine, & prope diuina, in se nullam recipit cœlorum actionem;

A quamuis ratione corporis, quo, vt instrumento sæpenumero vtitur, aliquã recipere possit propensionem: sunt enim in corpore vitiorũ semina quædam antiqua latè contracta, quæ vt huius, illiúsve sint generis, naturale corporis tẽpetamentum efficit, quantum ad propensionem attinet, quamuis actus in libera hominum voluntate consistant; veruntamen corporis ea temperatio, atq; subinde ad hoc, illúdve propensio à cœlestibus magna ex parte prouenit. B Saturni enim grauitas in morosam melancholiam, atq; auaritiam, & inuidiam plerunq; degenerat. Martis generosa indoles in barbaricã crudelitatem, latrocinia, &c. non quòd animũ adstringant, & ineluctabili necessitate conuertant, sed quòd ad huiusmodi propensionem faciant, quamuis actus in libera sit hominis voluntate. Est verò etiam Astronomiæ calumniatorum genus aliud eorũ, qui cõmuniori quodam modo asserũt stellas superiores omnes in C hęc inferiora agere, atq; influere, sed influentiã hanc aëri solùm participari: at verò respectu nostrûm nullo modo esse consideranda præcepta astronomica: neq; enim astrorum viribus natales hominum dies, vitam, mores, fortunam vllo modo disponi posse crediderunt, vt neque propensionem ad genus aliquod vitæ exinde velint influi, aut colligi posse, nullasq; oppositiones, coniunctionésve in validis medicamẽtis exhibendis, in secanda vena, in vrendis par- D tibus esse considerandas, sed lotio nos, & stercore marcescere malentes, tanquam terrenos sues, quæ superna sunt, aspernere voluerunt, absurdumq; putarunt, quorum proprias causas videamus, & sufficientes, & manifestas in viribus corporum inferiorum, eorum causam, aut occasionem quęrere in supernis syderibus, quæ neq; sit ibi, neq; si sit, nobis cognita, aut perspecta esse possit: Confirmant Hippocr. auctoritate 2. de Ratione vict. in ac. part. 36. vbi non E astrorum in morbis seriem, sed ipsam morborũ speciem, vim, atq; hominis naturam inspicere medicum iubet: quinimo Eudoxum, Panetiũ, Archelaum, & Cassandrũ summos astrologos, tum & Syllacem Halycarnasseum, cùm in speculatiua excellerent, prædictionis genus omne reiecisse manifestum esse ipso Cicerone teste, asserunt: Ptolomæum autem non scientia, sed opinione iudiciariam constare, credidisse: F Huius sententię fuisse Plotinũ, Auicen. Auerr. Phauorinũ, & recentiores doctissimos quosq; affirmãt, quòd, quæ in nostro sunt arbitrio, nullo modo cœlestium actionibus subiaceãt. Hoc autem exemplo duorum geminorum eodem tempore natorũ adeò trito etiam conãtur corroborare, qui cùm eodẽ prorsus temporis momento in lucem editi sint, & eodem cœlo, diuersas tamen viuendi fortunas sortiãtur, vt de Proclo, & Eurithistene Lacedæmoniorum regibus testatur Cicer. 2. de Diuinatione, qui eodem cœli statu cùm in lucem sint editi, dispari

tamen

tamen vita, fortuna, & viribus fuere. Accedit postremò, quòd absurdum videtur in cœlestib. corporib. prope diuinis quippiam reperiri, quod malũ sit, maleficumq́; reuera dici possit, cùm alioqui Genethliaci malignas stellas, configurationesq́; aliquas passim testentur. Verùm hæc (vt ab initio dicebamus) nihil ad labefactandã Astronomiam faciũt, sed solùm Chaldaicas suas perstitiones Astronomicas conuellũt, atq; malè intellecta fundamenta: Fateãtur enim ipsi, vt necessariũ est, nexum esse perpetuũ in tota hac mũdi vniuersitate, vt superiorũ cum inferiorib. continuitatis aliquam rationem cum Aristot. concedant, nosq́; vltro illis etiam assentimur, cœlestib. illis partib. nihil malefici inesse suapte natura; si quando enim maleficas stellas appellamus, tota hæc malefaciendi facultas in suscepticem materiã referri debet: fit enim vt agentibus causis etiam bonis, & ad vitiosam materiam applicatis, mala sequi possit aliqua ꝑpensio: puta siquis habitu corporis fuerit macilẽto subnigro, & melancholici humoris exuberantiam referente, si quando in Saturnũ prædominantem incidat, vbi priùs auarus, morosue, & melancholicus erat, eũ in iis maximè excedere videbimus: quãuis in hac rerũ copula actus animæ rationalis omnem excedat tum cœli, tũ corporis potestatẽ. Quapropter certior multò esse poterit prædictio in rebus cæteris, quæ ex hominũ voluntate non pendent, quàm in volũtariis, quòd in iis causa recipiens à plurib. principiis gubernatur, cœlo, & anima, & causæ effectricis vie, & potentia, per plures ordines ꝓgatur. Non igitur in iis, quæ ad hominem attinent, cæteraq́; inferiora, præter vnũ aëtem, tollenda est Astronomica diuinãdi ratio, sed compescenda Astrologorũ arrogantia, quòd ars sit difficilis, q, nulla satis industria, nulla Ingenij vi absoluta eius haberi possit scientia, q, ꝓpter ordinis longitudinem, causarumq́; cõcursum, & materiæ tum demũ variam dispositionẽ, prima fronte, quę demonstrantur, suo fine frustrari, aut etiam prorsus non fieri videntur. Reiecerunt Eudoxus, & reliqui antiquè patres Genethliacorũ deliramenta; fatemur: id & nos facimus: cùm enim multa irrepserint superstitiosa, & improba ex Arabũ officinis, vt quæ ex apparente solùm similitudinẽ, non aũt ex ipsarũ causarum viscerib. eruta de domib. cœli, de vxorẽ, de liberis, de coniugio, de mortis tempore, fortunaq́; dicũtur, in quibus multa vbiq; vanitas, fundamentũq́; vel propè nullũ, non mirũ, si viri illi in Astrologia peritissimi inanes Chaldęorum, & Arabũ fabulas ita reiecẽre. At nunquã diuinandi artem ex astris omnino sustulerunt, nisi ex iis aliqui fortasse, qui cùm ex veris principiis eam eruere non possent; vt si qui fuere, qui ante Ptolomæũ iudiciariam sustulẽre, artem sn perstitiosam indicarũt: Scim. enim Ptolomæũ primùm huius artie vera iecisse fundamẽta. Qđ verò de geminis proponunt, quod Astronomis omnib. fecit difficultatem maximam, ita solutum facilè mihi videtur, vt astrologos illos, qui promptè huic argumento non satisfecerint, vetas Astronomiæ regulas ne summis quidem labris degustasse verè dicere possimus. Nititur. n. argumentũ eo potissimùm fundamẽto, q, vnũ sit, & idem principiũ eorũ, quæ corpus, animũ, & fortunã concernũt, cùm certè corporis principiũ sit conceptus, fortuitatũ rerum, partꝰ, modò sit naturalis, animationis verò tẽpus primũ, quo mouetur. Quapropter quæ ad valetudinis statum pertinẽt, ad naturamq́; corporis, & temperamentũ, si optima adhibeat ratio & methodus, vt plurimũ præsagiri possunt, sicut & eorum, quæ ad fortunam. In iis verò, quæ ad animorum propensionem pertinent, ad hęc, illáve studia, significari interdum posse, sed maxima cũ difficultate, credimus ob animę libertatem, tum etiam ob variam parentũ indolem, patriã, educationem, consuetudinem: Etsi igitur vno partu supponantur geniti, tamen vel diuersis temporib. sunt concepti, vel materia seminis minus æquè partita, vel non iisdem configurationibus animantur. Non sunt igitur ob hæc medici adeò deprimendi, vt terrenis solùm fæcibus quasi inuoluti, ea, quę superna sunt, obseruare, & ad medicũ negotiũ trahere nequeãt. Ergo, qui seriò de morbis ex astris philosophari studet, is inprimis rerum & naturaliũ, & medicarum causas, naturas, effectus, differentias, & alia multo studio, & lõgis obseruationib. comparata veluti ad manum habere debet; deinde duodecim imaginũ Zodiaci, & septem Planetarum, necnon reliquorum astrorum insigniorum præsertim loca, vires, positꝰ, schemata, motus, tẽperaturas, radiationes, exortus, occasus, cœli mediationes, progressiones, ascensiones, descẽsiones, latitudines, declinationes, regressiones, stationes, velocitates, tarditates, climatum distinctiones, locorũ naturas, ventorũ futurorum, præsentiũ, & præteritorum regiones, regionũ situs, cœli ad easdem habitudines, stellarum ad illas inclinationes, emergentium supra orizontes, & labẽtiũ certas obseruationes, & aliorum, de quibus Hipp. in Aphoris. & Vulgarium morborum lib. & in hoc, quem præ manibus habemus, libello. Hæc qui diligenter nouerit, & philosophis, medicisq́; rebus prudẽter aptauerit, verè magnũ se, & planè admirandũ medicum præstabit; quem ex Ægyptiorum nomenclatura, qui Astrologiam medicinæ vbiq; copularunt, Ptolomęus ἰατρομαθηματικὸν, scita admodum appellatione inscribere voluit, ac si dicas Medicastronomũ. Verũ inquiet aliquis, vnde hæc noua prædicendi, & medicandi methodus? aut vbi à principib. medicis Hippocrate, & Gal. scripta, vel ꝓbata? Tamersi longũ esset loca singula ꝓferre, quę hisce de rebus annotãtur apud antiquæ medicinæ venerandũ parentem Hippoc. ne tamen in re tanti momenti nobis defecisse videamur, vnum, & item alterum

ex eiusdem libris desumprum exemplum huc proferre non grauabimnr. Primum autem locũ obtinebit series hæc verborũ, quam in præsentia ex professo explicãdam suscepimus; vbi Astronomiam nõ vtilem modò, sed necessariam medico manifestò docuit, rationeq; cõfirmat, quòd ex astris non modò temporum, sed morborum, & ventriũ colligatur mutatio: neq; verò quispiam respondeat, ab astris temporũ fieri mutationes, à quib. postea & morbi, & ventres mutantur: ostẽdit enim inferiùs in tractatione non aliter & morbos fieri quandoq;, & ventres mutari ab astris, quàm tempora, quæ nullo interecedente ab astrorum vi subiecta semper materia accedente alterantur, & fiunr. Vnde infra lib. 4. part. 1. & 2. inquit; De temporibus autem anni vtiq; quis mentem adhibens, salubrisne, an morbosus futurus sit, ita distinguat. Subdit postea, salubrem futurum esse, si signa secundũ rationem fiant in astris orientibus, & occidentibus: ne quis autem intelligeret id accidere, q. astra hæc orientia, & occideutia temporib. immutatis corpora mutent, & ventres, & morbos inducant, cùm ipse, vt mox ostẽdam suo loco, de immediata actione eorũ illis verbis loqueretnr, subdit seinngens: & an autumno aquæ eueniát, &c. salubrem verò fore testatur, si signa fuerint secundùm rationem, vt si occidentibus Vergiliis tempestas fiat: si oriente cane ingens æstus; si in æquinoctiis pluuiæ tempestiuæ, ventique nonnunquam vehementiores fuerint: si Aquila occidente flet Africus, & æstus sint maximi: & huiusmodi, de quibus Ptolomæus in libro de Inerrantium syderum significationibus: Quod si contrà accidat, morbosam anni constitutionem coniectari oportet. Sed multò manifestiùs etiam pòst in eadem sectione Hippocrates id ostendit, quum dicit: Obseruare autem oportet maximè magnas temporum mutationes, vt neque medicinas libenter exhibeamus, neque quæ circa ventrem sunt, vramus, neque secemus, priusquàm prætereant dies decem, aut plures, potissimum autem sint decem: & periculosissimæ sunt Solis conuersiones vtræque, maximè verò æstiua: periculosum etiam est æquinoctium vtrumque, sed magis autumnale. Oportet autem & astrorum exortus considerare, præcipuè canis, deinde Arcturi, & Pleiadum occasus: Morbi enim in iis maximè diebus iudicantur, aliique perimunt, alij desinunt, aut in aliam speciem, aliumque statum transmutantur, & cæt. quinimò primo de Diæta, astrorum ortus, & occasus (inquit) medicus agnoscat oportet, vt mutationes, excessusq; cauere sciat: & lib. de Carnib. adeò necessariam fatetur medico Astronomiã, vt sanitas, morbus, bonum, malum, & deniq; mors ab ea colligi possint: atq; hæc non caloris, frigorisve, & aliarum qualitatum manifestarum vi accidunt, ita vt prima illa parte quam Astologiã vocant, quæ in motuum, & situum sola consistit contemplatione conteoti, Astronomiã alteram partem, quæ est de præcognitione ex facultatibus astrorum, omnino reiiciamus: nam si caliditate, aut frigiditate nimia ortus, & occasus syderum graues putat; quare æquinoctiũ vernum, & qui ab eo non longè distat, Vergiliarum exortũ, temperatissima cùm sint (quòd veri, & æstati initium præstent) noxia esse dicit? id igitur accidit, quòd potestate quadam, virtuteq; abditiore quippiam de suo aëri & corporibus imprimant: quocirca materia disposita mali effectus quandoq; excitantur. Quòd verò non Solis modò, & Lunæ motus, & variationes mèdico considerare expediat, vt primi censuere, sed etiam reliquorum astrorum, testis est Hippocr. lib. de Morbis vulg. priori, tempestate prima, vbi exortus Vergiliarum facit mentionem: Et in secunda tempestate cùm dicit: in Thaso ante Arcturum, & sub Arcturo multi, & magni imbres, spirante Aquilone: Circa æquinoctium, & vsque ad Vergilias austrini imbres parui, & modici: Hyems aquilonia, frigidi venri, magnæ niues, iam sub æquinoctium frigora maxima: Ver aquilonium, squalores, pluuiæ paucæ, & frigidæ: Circa solstitium æstiuum imbres pauci, magna frigora vsque ad canem. A' Cane ad Arcturum vsque æstas calida, æstus magni non illi ex interuallo, & sensim crescentes, sed perpetui, vehementesque, non pluit: spirauerunt Etesiæ. Circa Arcturum veiò pluuiæ ad æquinoctium vsque vernum Austrinæ: Hac in tempestate hyeme paraplegiæ cœperunt, multosque corripuerunt, & cæt. Ex quibus quilibet potest intelligere, quantum rerum omnium bonarum parens ille Hippocr. nobis aëris constitutiones, & temporum statas, fortuitasque tempestates in morbis, & illorum prædictione, præcautione item, & curatione probauerit. Præterea quàm fuerit rerum cœli sedulus perscrutator, & emergentium, latentiumque syderum obseruator accuratus, qui & Vergilias, & Arcturum, & Canem, ad hæc solstitia, & æquinoctia, & syderum, quæ illorum statum vel regunt, vel fouent, vel excitant, non tam noscere, quàm aliis, si noscantur, vsui maximo esse, iudicauerit. Omitto nunc quamplurima, quæ libro de Flatibus, de Octimestri partu, de Insomniis, & alibi passim tam de stellis, quàm de Planerie inculcat: Quanquam illius seculo aliquid condonandum velim, in quo res cœli suam adhuc infantiam habebant: Nam multò posterior fuit Ptolomæus, qui primus, & res cœli, & cœlestes motus in harmoniam redegit, cœlestiaque medicis conciliauit. Verùm & Plato hanc artem homini vtilissimam esse voluit in Epinomide. Neque solùm de Sole, & Luna, & Stellis per solam caloris vim agentibus, vt plerique interpretantur, intelligendus est: Quomodo enim ciuilis regni mutatio-

mutationem in circuitiones cœli referre posset: quin & in Timæo ex astrorum vario concursu, circuitibus, & reuolutionibus, & ex eorundem ortu, & occasu, quid nobis proueniat, magna ex ipsorum inspectione diligentia inquirendum suadet: perfectiora item esse in cœlo, quàm in iis inferioribus elementa, & stellas quaĩdam calorem, alias frigus inducere pro comperto haberi vult: subdens, cuiuis animantum generi peculiare in cœlo subesse Astrum. An'ne igitur diuinatrix Astronomia tanquam futilis, ita ex abrupto reiicienda? an ad solam caloris, luminisque Solis, & Lunæ actionem mutationes omnes reducemus? Galeni testimonia, qui hanc Iatromathematicam passim recepit, in præsentia adducere superfluum esse duxi, cùm hac de re integros libros quasi fecerit, vt videre licet libro tertio de diebus Decretor. in expositione primi, & tertij de Morbis vulgar. libro de vsu Partium, tertio Aphorismorũ, Comment. in lib. de Natura humanã, libro de Spermate, & in libro de Infirmorum decubitu (si modò Galeni eum librum esse dixerim; quod non facilè affirmauerim.) Verùm tanquam coronidem addamus Mercurij illius Trismegisti de applicanda medicina cum Astronomia grauissimum testimonium: ia in eo libro, qui inscribitur ἰατρομαθηματικὰ ad Amonem Ægyptium ita à Mizaldo in Latinum traductus loquitur: necesse est eum, qui artem medicam exercet, dispositionem mundi nosse, ac stellas cõtemplari, & quo pacto se habeant inuicem: nam nihil in rebus humanis fit absque illarum complexu, & congressu; non acuti morbi, & præcipites, non periodici, & per statos dies recurrentes: imò nec seruatur quis à medicina, nec qui cutæ habitus est diligenti, incolumis degit, aut moritur, nisi cœlo conscio. Oportet igitur medicum exacta sedulitate, decubitum eius, qui corpore est afflicto, & infirmo, exploratum habere: nimirum qua hora, & temporis articulo morbus irruerit. Quòd si ad vnguẽ deprehendere nequeat horam, in qua morbus suum nunciauit aduentum, erigat astrologicũ thema, & obseruet, quo pacto disponatur cœlestis mundus, atq; adeò cum qua stellarum Luna rationem habeat, atque commercium, &c. quòd si auctoritatibus nõ est solùm agendum, & rationibus, experientia quoq; omnem auferet difficultatem: Constat enim, qui Saturnum, Iouem, Martem, Venerem, Mercurium, aut Lunam dominantes ex propria genesi habent, peculiares habere morbos, proprias qualitates, moresq; determinatos: necq; enim hac de re lõgiori oratione agere decreui, cùm quotidiana id experientia manifestè doceat: quibus degustatis, ad se redibunt (opinor) curæ in terrae multorũ animæ, cœlestiũ rerum inanes, à quibus venerãda rerum cœli philosophia, quam ne de limine quidem salutauerũt, perinde irridet, ac si nullũ cum medicina prorsus commerciũ haberet, contra veterũ omnium inexpugnabilia testimonia. Deinceps igitur Astronomiam, & Medicinã, ac si sorores essent, indissolubili vinculo colligari prudẽter existimandũ est; sed ita tamen, vt illa; quid futurũ sit; doctis & peritis præmonstret; hæc verò, quid faciendum sit, aperiat. Neq; tamen meã hanc de Astronomię viu, & dignitatẽ sententiãm, ita accipi volo, quasi ab ea petenda esse ducam omnia medicorum scita, præceptiones, consulta, neq; vt ab Astronomorum placitis nẽ transuersum quidem vnguem medicó discẽdere liceat: sunt enim hæc magis intelligenda de tempore consilij: tunc enim quantũ fieri potest, medicinæ præceptis astronomica sunt adiungenda: vrgẽte enim necessitate, etiamsi natura posterior cœlesti non consentiat, insequenda erũt medicorũ dogmata: nemo enim adeò insanus, aut vecors esse poterit, qui in graui, & præcipiti morbo, vbi ob imminens, iamiamq; ceruicib. impendẽs mortis periculũ, vena secãda sit, aut deiectoriũ medicamẽtum exhibendũ, Luna, vel in Geminorum signo posita, vel deliquiũ patiente, vel Saturno, aut Marti opposita, vel Soli coniuncta, in quibus aspectib. mitti sanguinem Astronomi prohibent, sumpta indicatione à morbo, à debitis remediis abstineat, donec preterierit aspectus: præualẽre enim semper oportet indicationes medicas, quæ à morbo, illiusq; causa, ægri ætate, tẽmperaturã, victu, aëris conditione, cæterisq; huiusmodi, iis, quæ ab astris sumunt, si quãdo vna alteram impediat: quamuis enim si tũe aliquid operetur medicus vrgente necessitate, cùm astra contraindicauerint, noxa aliqua sit subsecutura, cùm tamẽ maius inde alia ratione iuuamentũ proueniat, satius erit, medicas indicationes sequi: nos tamen Astronomicas obseruationes non omittẽdas dicimus, vt, quid futurum sit, præcognoscamus potissimũ: quid faciendum verò, vel non faciendũ sit, aduentitiè solùm, & secundariò demonstrant: indicationes verò medicæ, & quæ ad medicũ solùm pertinent præceptiones, vt aliquo modo, quid futurum sit, ostendunt, ita magis quid faciendum sit, quantumq; in opere progrediendum sit, demonstrare possunt. Verùm iam tempus est, vt ad institutum reuertamur, atq; sententiam Hippocr. si quid habet in se difficultatis, faciliorem, & planam reddamus: inquit igitur: Cùm enim temporũ mutationes, & astrorum ortus, & occasus obseruauerit, quomodo singula eorum oriantur, præcognoscet vtique, qualis annus futur⁹ sit. Quibus verbis Hipp. nihil aliud sibi vult, quàm medicũ, si cõsiderauerit mutationes temporũ præteritas, & præsentes, atq; ortus syderũ, & occasus preteritos, pręsentes, & futuros, atq; cognouerit horũ inerrantium syderũ significationes, & euẽtus sequi solitos, posse facilè præterita, & pręsentia, futuris copulando, pręcognoscere, qualis annus futu-

rus sit: qualitas verò hæc nõ intelligitur solùm de primis qualitatibus, caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate, sed etiã de secũdis primas illas insequentibus, puta, an pestilens, an salubris, an morbosus, tum & quę genera morborum sint vagatura, tum & an in omnibus, an in aliquibus solùm temperaturis.

Hoc namq; modo, si quis perscrutatus fuerit, atq; præcognouerit occasiones] Nomen hoc καιρὸς apud Græcos plura habet significata: Sumitur enim quandoq; pro tempore opportuno, puta auxiliorũ, vt videre est apud Gal. 3. de Ratione victus in acutis morbis, vbi nomẽ hoc, & tempora, quibus pro auxilio re aliqua ex cõsuetudine vtendum sit, significari scribit, vel tempora, quibus inurere soleant medici: & manifestiùs lib. de Sacro morbo, vbi dicit, medicum oportere cognoscere temporis occasionem in singulis, quod alterum quidem per alimentũ absoluet, & augebit, alterum verò detrahet, & minuet: & in libro de Præceptis dicit, tempus esse, in quo καιρὸς, id est, occasio est; occasio verò, in quo tẽpus breue; medela tempore, aliquando & occasione contingit: & libro de Locis in homine, & in libro de Decenti ornatu versus principium, dicit medicum debere esse oculatum ad arripiendam occasionem: sicut & in Epistola ad Crateuam (si modò sit Hippocr.) significat quandoq; apud Gręcos idem, quod apud Latinos dicim⁹ iustum esse, & debitum, vt 3. de Articulis T. C. 50. excauetur prætereà hinc, & hinc in longitudinem, ne machinamentum iusto sublimi⁹ sit: in Græco vbi est, iusto est τοῦ καιροῦ, vbi dicit Galenus, quòd Græci ita dicunt, & interdum etiã τοῦ προσήκοντος, quod significat debito, siue conuenientia; quomodo hoc loco sumptum est καιρὸς apud Hipp. Tertiò significat apud Græcos tempus morbi: quod vicissitudine temporum immutatur, vt videre est apud Galenum libro de Morborum tempor. in principio capitis primi. Verùm antequam consideremus, in quanã significatione hoc loco sumpserit nomen hoc Hippocrates, præstat nodum difficilem dissoluere: Diximus enim apud Hippocr. nomen καιρὸς significare tempus opportunum auxiliorũ: cùm alioqui libro de Morb. temporib. cap. primo Galen⁹ hoc omnino negasse visus sit; cùm nomen καιρὸς neq; tempus simpliciter significare, neque temporis occasionem, siue tempus conueniens, quo præsidia sunt adhibenda, sed morbi ætatem temporum vicissitudine inualescentẽ: quo stante corruere videtur, quod dictum est à nobis καιρὸς occasionem significare, id est, tempus opportunum auxiliorum adhibendorum. Vidit Oddus Patauinus 1. Aphoris. aphor. 1. hanc difficultatem, satisfacitq;, quòd, cùm nomen illud apud Græcos plura significet, in primo Aphor. primæ part. pro opportunitate adhibendorum auxiliorum sumpsit, libro verò de Morborum temporibus pro ætate morbi. Verùm solutio hæc omnino est extra propositum: neq; enim difficultas in eo consistit, quòd nomen καιρὸς aliter capiat primo Aphoris. primæ particulę, aliter libro de Morborum temporibus cap. primo: sed quòd in hoc libro proximè citato neget Galenus, hac dictione apud Græcos significari posse tempus simpliciter, aut tempus illud conueniens, in quo præsidia adhibenda esse consideramus, quæ est occasio. Quapropter pro recta huius nodi dissolutione illud diligẽter est animaduertendũ, antiquos medicos, aduersus quos inuehit Galen. lib. de Opt. secta, cap. 37. voluisse eadem esse tempora realiter morborum, & auxiliorum, differre autem ratione tantùm: Aiebant enim auxilij, morbique tempus in idem coincidere. nam in quodam tempore cùm sit morbus, auxilio tempus idoneum reperitur, sed differunt ratione, vt ascensus, & descẽsus per eandem viã. Contra hos duplici potissimũ augmento inuehitur Galen. primùm, quia si idem essent realiter, atq; coinciderent, tunc vigor, siue impetus morborum haberet etiam vigorem, & magnitudinem auxiliorum, contra Hippocr. sententiam 2. Aphoris. 29. Incipiẽtibus morbis si quid videtur mouendum, moue; nam in morborum vigore melius est quiescere. Accedit secundò, quòd in Vere, & Autumno vtimur quandoque auxiliis ante tempus morbi ad præseruationẽ; vt in iis, qui quotannis æstate podagra, vel febre tertiana laborare solent, purgationem in vere adhibemus, tunc enim tempus opportunum auxiliorum existit, nõ autem morbi. Hoc posito; ita tolli potest apparens in Galeno contradictio, & difficultas, quòd libro de Morborum temporibus dictionem καιρὸς non sumpsit simpliciter, sed applicatam morbis, & inquit hoc modo, neq; significare tempus simpliciter, neq; occasionem auxiliorum; Loquebatur enim tunc de temporibus morborum: non negat tamen, si sine additione morbi καιρὸς ponatur, quin significare possit tempus opportunũ, & occasionem auxiliorum. Cùm igitur hæc ita se habeant, vtaturque hoc loco Hippoc. dictione, καιροὺς, neque vsquã apud ipsum reperiatur tertia significatio, non poterit hoc loco morbi tempus significare: significabit igitur occasiones auxiliorum adhibendorum in certis temporibus: sicq; sensus erit, quòd si medicus considerauerit temporum mutationes, & ortus, & occasus syderum, & subinde qualitatem anni futuri præsentis, & si præcognouerit occasiones in temporibus adhibendorum auxiliorũ.

Si plurima de singulis cognoscet] Id est, cùm omnia ad vnguem, quę ad Medicum, & Astronomum pertinent, cognoscere, sit, aut impossibile, aut difficilimum, si omnes conatus saltẽ adhibuerit ad plurima propositorum cognoscenda.

Et vt plurimum sanitatem assequetur] Id est, actiua passiuis rectè applicando.

Et secundum rectam rationem procedet in arte] Cùm .n. finis rectè distinguatur apud Arist. 1. Rhetor.

ad

ad Theodecten ab officio, in artibus auté si artifex sit absolutus, semper rectè fungatur munere suo, quamuis aliquando finem non assequatur; meritò cùm finis medici sit sanitas, officium verò omnia facere pro sanitate assequenda; dixit Hippocr. vt plurimum sanitatem assequetur, id est, finem assequetur, & secundùm ratione in arte procedet, id est, rectè semper fungetur officio suo.

Si autem hæc alicui meteorologica videantur.] Verùm quoniam quæ ad astrorum ortus, & occasus, & eorundem coniunctiones, oppositiones, & huiusmodi ad eam scientiam, quæ de iis agit, quæ sunt in sublimi, pertinere alicui videri possent, transcenderéq; genus sciétiæ medicinæ, iis verbia admonet, sublimiora quidem esse, neq; ad medicinam pertinere: non ita tamen terminos medicinæ excedere, vt ei non sint necessaria: nam cùm multa iudicari possint ex positione astrorum de valetudine corporis, de ingeniis, & moribus, de multis in vita casibus, de tempestatibus, & mutationibus rerũ, sintq; anni tempora medico consideranda, venti, loca, & regiones, ortu verò syderum, vt dicebamus, & occasu interstinguantur anni tempora, si hæc non iudicauerit inutilia esse medico, sed & astronomicis animum applicuerit, mutabit sententiam, atq; cognoscet maximæ vtilitatis Medicinæ esse Astronomiam, atque vtranq; ita coniungi, vt vnam quasi faciant sciétiam, Iatromathematicen dictam ab Ægyptiis: quanquam superstitiosæ illæ Chaldæorum obseruationes, quæ ex horoscopo, & vocatis annorum reuolutionibus prænunciantur, & quæ cuiq; negotio peragendo, vesti vel incidendæ, vel induendæ, certas præ aliis horas præscribunt, ab omni republ. vt superiùs docuimus, cum suis auctorib. sint reiiciendæ.

Simul enim cum temporibus & morbi, & ventres in hominibus mutantur] Reddit rationé, quare medico Astronomia sit iungenda: cùm enim temporum mutationes, & distinctiones ab astris proueniant, mutentur autem morbi in hominib9, & cauitates ex temporum mutationibus; morborum autem mutatio, & omnis cognitio, tũ & cauitatum nostri corporis consideratio medici propria sit, necessariò sequetur medico Astronomiæ cognitionem necessariò esse adiungendam. Dixit autem; καὶ αἱ νοῦσοι, & morbi. In Basiliensi, & Aldino, cum & in antiquo manuscripto, non est hęc dictio. Gadaldinus tamé in antiquo suo libro adesse scribit: quod si ita est, cùm ex temporibus morbi mutétur, optimum esse duxi eam adiungere: dicebat enim primo Aphor. 12. constitutiones morborum anni tempora ostendere: qui enim biliosi sunt in æstate, & constitutionibus calidis, & siccis, aduentante autumno, sæpe in melancholicos morbos degenerant: & qui morbi longi in hyeme, & autumno erãt, vere aduentãte, & magis æstate breuiores fieri solẽt, quemadmodũ docebim9.

Et ventres] Græcè habet κοιλίαι: cùm verò dictio hæc apud Hippoc. plura significet, non ita facilè intelligi potest, quomodo ab Hippocr. hoc loco accipiatur. Erotianus in suo Onomastico quatuor apud Hippoc. scribit hãc vocem significare, primò totam latitudinem, quæ est sub septo transuerso, secundò latitudinem thoracis, tertiò ventriculum, & postremò vulnerum cauitates. Circa quam sententiam illud annotandum est, hac in re Erotianum & diminutũ esse, & cõfusum, & falsum: diminutus est, quoniam nonnulla propria significata omisit; significat enim & aluum, & quamcunq; cauitatem: Confusus, quoniam nunquam pro thorace talis dictio sumitur, nisi cum additione ἄνω. Falsus, quia nunquam talis dictio sumitur per se pro vlcerum cauitatibus, nisi in compositione, vt cùm ὑπόκοιλα, id est, subcaua vlcera dicimus. Quapropter notandum est apud Hippocr. vel reperiri hanc dictionem solam sine alterius vocis additione; vel simplicem reperiri quidem, sed cum additione ἄνω, & κάτω, vel compositam: si primo modo sumatur simplex & per se, quatuor apud Hippocr. reperio habere significata; sumitur enim quandoq; pro quacunq; cauitate, vt cùm 6. Epid. Sect. 6. part. 5. ὀδυνέων τὴν ἐγγύτατα κοιλίην καθαίρειν, αἵματος τὴν κοιλίην διαιρεῖν, quod est, in doloribus proximum ventrem purgare oportet, & sanguinis vétrem réscindere dixit, quòd proximam cauitatem, & venam significat, & 6. Aphoris. 20. si in τὴν κοιλίην, id est, ventrem, sanguis præter naturam effunditur, vbi pro omni cauitate sumi scribit in Comment. Galen. Verùm & libro de Arte cùm corpus humanum non vno præditum esse ventre asserat, sed pluribus, eosque ventres omnes appellari scribat, qui aut pelliculo circumsiti, aut carne cauitatem internam habeant, hoc modo nomen hoc assumit. Secundò sumitur pro toto ventre inferiori infra diaphragma, vt 1. Aphor. secũdo; in perturbationibus ventris: & eiusdẽ Sect. 15. vẽtres hyeme, & vere calidissimi: & sexta Sect. Aphoris. 7. dolores ventris sublimes leuiores, vbi Galenus intelligit ventrem infra diaphragma. Tertiò sumitur pro ventriculo, vt in lib. de Affectionibus pag. in Græco Basiliensi 184. versu 7. & corpus liquescit, cùm simul cibi per multum tempus ἐν τῇ κοιλίῃ, in ventre nõ concoquuntur: Et in primo de Diæta, pag. eiusdem editionis 84. versu 14. plurimus enim humor in ea parte inest, quæ κοιλίη venter appellatur: & versu 20. κοιλίην ventrem quidem maximum sicco, & humido promptuarium esse dicit, vt det omnibus, & ab omnibus accipiat: & secundo de Hum. T. C. 37. quemadmodum terra stercorata hyeme calida est, ita etiam ἡ κοιλίη venter: in quo loco Galen. (si modò commentaria ea Galeni sint, quod non ita facilè affirmauerim) exponit ventriculum. Sumitur postremò pro solo intestino colo, aut infernis intestinis crassis, vt etiam docet Gal. loco pro-

ximè citato, quomodo accepisse Hippoc. sæpe videmus, vt libro de Dentitione, pag. 53. vers. 41. quibus ἡ κοιλίη aluus multū profluit: & post duas lineas: iis ἡ κοιλίη aluus supprimitur: & primo de Morb. vulg. Sect. 2. T. 65. ἡ κοιλίη aluusque turbata fuit; & alibi passim: nimis enim longū esset omnia loca Hippoc. ad hoc probandū facientia adducere. Recentiores crediderunt etiam pro vtero quandoq; accipi, & ad hoc adducunt auctoritatem. Hippoc. 5. Aphor. 59. vbi dicit: Si mulier in ventre non concipit, velis au B tem scire, an conceptura sit, &c. Verùm in iis, quas maximè profitentur, nimis turpiter decipiuntur, dum enim Græcæ dictionis significationes apud Hippoc. inuestigamus, ipsi Latinæ dictionis significationes quærunt, neq; enim in eo Aphor. Hippoc. vsus est dictione κοιλίη: dicit enim: γυνὴ ἢν μὴ λαμβάνῃ ἐν γαστρὶ verò, & γαστήρ, quamuis ventrem, & aluum significet propriè, accipitur tamen aliquando pro vtero, vt apud Plat. ἐν γαστρὶ φέρουσαι, id est, vtero ferentes: at nus- C quam apud Hippoc. aut alium quempiam reperiri licet κοιλίην pro vtero sumi, nisi communi illa, qua in vniuersum omnes cauitates significat, etiam vterum significare dixerint. Repetio secundò hanc vocem cum adiectione particularū ἄνω, & κάτω supra, & infra, & hoc modo sumitur pro thorace supra diaphragma, vel pro ventre inferiori intra diaphragma ad pubem vsq; ; vt videre licet lib. de Affectionib. pag. 184. vers. 30. τὴν δὲ κοιλίην ventres autem cutentur τὴν δὲ ἄνω D tum superior τὴν δὲ κάτω tum inferior; & lib. de

A Carnibus, pag. 42. vers. 5. in maxilla venæ sunt, & hæ huic ossi soli inter omnia ossa ex τῆς κάτω κοιλίης inferno ventre alimentum præbent. tum & tertio de Diæta, pag. 103. vers. 15. & alibi sæpius, vt 7. Aphor. 38. destillationes in τὴν ἄνω κοιλίην, id est, ventrem superiorem in viginti diebus suppurantur; in cuius Comment. Galen. inquit: ἄνω κοιλίην ventrem superiorem nunc nominat, qui à thorace præfinitur, quem pulmo obtinet: quò fit, vt manifestè pateat Erotiani error, qui voluit dictionem hanc sine vlla additione thoracem significare, cùm hoc neque apud Hippocr. sed ne apud alium auctorē reperiatur, vt videre licet apud Aristotelem prima Problem. 42. Postremò dictio hæc simplex, siue per se, siue cum additione, nunquam pro cauitate vlcerum sumitur, vt credidit Erot. sed bene composita, vt lib. de Vulnerib. pag. 448. vers. 1. sed & in circulum ὑπόκοιλα, id est, subcaua vlcera, & suppurata magis fiunt: & lib. de Vlcer. pag. 513. vers. 40. ex vlceribus rotunda si ὑπόκοιλα fuerint excidere oportet vndequaq; in orbem ea, quæ discesserunt. Hoc igitur loco crediderim ipse dictionē hanc κοιλίη pro quacunq; sumi cauitate interna; scimus enim & ventrem inferiorē pro temporibus mutari, ita vt hyeme, & vere sint calidiores, minùs æstate: econtrà verò capitis cauitates, sic in cæteris. Hanc igitur tractationem alacri animo, & omni diligentia aggredi omnes medicos oportet, cùm ex ea tot, tantæq; vtilitates emanent. Hæc de Proœmio.

LVDOVICI SEPTALII MEDIOLANENSIS MEDICI IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE AERIBVS, AQVIS, LOCIS,

Commentarius II.

Ἥτις μὲν πόλις πρὸς τὰ πνεύματα κέηται τὰ θερμά. ταῦτα δ' ἐστὶν μεταξὺ τῆς τε χειμερινῆς ἀνατολῆς τοῦ ἡλίου καὶ τῶν δυσμέων τῶν χειμερινῶν, καὶ αὐτῇ ταῦτα τὰ πνεύματά ἐστι ξύννομα, τῶν δὲ ἀπὸ τῶν ἄρκτων πνευμάτων, σκέπη. ἐν ταύτῃ τῇ πόλει ἐστί, τά τε ὕδατα πολλά, καὶ ὕφαλα, καὶ ἀνάγκη εἶναι μετέωρα. τοῦ μὲν θέρεος, θερμά, τοῦ δὲ χειμῶνος, ψυχρά.

Si qua quidem ciuitas ad ventos calidos sita fuerit: hi autem sunt inter brumalem Solis exortum, & occasum brumalem, & huic venti sunt peculiares: à ventis autem septentrionalibus protecta ea ciuitas existit; & aqua eius multa, & subsalsa, sunt & necessariò sublimes, æstate quidem calida, hyeme autem frigida.

E POSTQVAM optimi oratoris functus munere Hippocrates ita perfectè præfatione est vsus, docuitque materiam, de qua acturus erat, multiplicemque inde emanantem vtilitatem, F aggreditur ipsam tractationem, à ciuitatum situ exordium sumens: Cumque à quatuor partibus principalibus ventorum, vnde & aëris, & situum varietatem magnam sumendam dicebamus, differentiæ deducantur, à ciuitatibus, quæ meridionales dicuntur, incipit: non appellat autem ipse meridionales, ne nos ea loca intelligeremus, quæ æquè diuisa terra ad proportionem cœli in quarta parte continetur

tur, quæ meridiem comprehendit: de iis enim vrbibus meridionalibus in præsentia agit, non quæ in meridiem quartam partem terræ, & cœli sitæ sunt, sed quæ ita dispositæ sunt, vt ventos excipiant calidos meridionales: à ventis autem septentrionalibus, qui contrarij sunt, tectæ fuerint ratione montis obtegentis: aut certè, quòd decliuem mediocriter locum sortitæ omnino ventos meridionales excipiant: meritò igitur vsus verborum circumlocutione dicit: [*si qua quidem ciuitas ad ventos calidos sita fuerit*] cùm enim venti meridionales per excellentiam calidi sint, in hacque orientales superent, meritò dixit: [*si fuerit exposita ventis calidis. Hi autem sunt inter brumalem Solis exortum, & occasum brumalem*] Sunt autem hi venti Auster, Euronotus, & Libanotus: Si igitur hos ventos aliqua ciuitas ob situm ita recipiat, vt contrarios excludat, hos ventos ea ciuitas peculiares habere dicetur. Vnde recentiorem hoc loco mirari non parum mihi subit, qui hos ventos enumerans, Euronotum, Austrum, & Africum enumerat; cùm alioqui Africus non inter Solis occasum brumalem, & exortum brumalem consistat, sed à puncto occasus brumalis veniat; quare si Africum ponere inter enumeratos hoc loco ab Hippocr. calidos ventos volebat, multò magis Eurum, seu Vulturnum debebat adiungere; cùm enim Lips Zephyri naturam referat, multò magis ab Austro qualitatibus differt, quàm Eurus: quinimò cùm inter Austrum, & Africum Libanotus reperiatur, vt dicebamus, meridionalibus ciuitatibus nō tres, sed quatuor ventos peculiares faceret, secus, quàm in reliquis describendis fecisse videamus; imò occidētalium duo solùm ventorum genera essent propria. Errandi autem occasionem inde habuit, quòd aliter Hippocr. verborum hanc seriem legerit, quàm in Græco contextu reperiatur; cùm enim Hippocr. series ita se habeat (hi autem sunt inter brumalem Solis exortum. & occasum brumalem) postremam hāc distinctionem, qua manifestè Africum excludit, omnino omisit, occasumque simpliciter intellexit, secus quàm Hippoc. fecisse videmus. Verùm quoniam non satis est, vt peculiares alicuius loci dicantur venti, ciuitatem, locúmve eos recipere, nisi cæteros saltem contrarios excludat, meritò subiunxit; [*à ventis autem septentrionalibus protecta ea ciuitas existit*] ex qua etiam verborum serie manifestum est, vrbes illas, quæ planæ sunt, & æquales ratione huius situs, de quo in præsentia loquimur, nullas habere orbis partes, ad quas versas esse dicere verè possimus: in quibus quidem ciuitatibus domos considerare debemus, quas ad aliquam ex quatuor cœli partibus versas esse necesse est: nisi fortasse maritimæ vrbes fuerint, quæ in longum protractæ sæpenumerò vnicam ferè domorum faciem reddunt, ventosque ab ea parte, etiam si planæ fuerint, suscipiunt. Hoc manifestis admodum verbis docuit ex Galen. Oribasius 9. Medicinalium collectorum cap. 10. vbi vrbium situs considerationem vsu venire dicit in iis locis, quæ altis in locis condita sunt; addere nos poterimus, & in decliuibus, in quibus pars aliqua ventis exposita est, altera autem per montes obtecta. Prosequitur deinde docere peculiares dotes harum ciuitatum, quæ ventis meridionalibus sunt expositæ, & dicit: [*& aquæ eius multæ*] Si Peripateticorum de ortu fluminū, & aquarum potabilium sententiam sequi voluerimus, facilius multò erit rationem assignare, cur ciuitates meridiem respicientes aquarū copia affluant: quàm si solam antiquissimorū philosophorum disciplinam sequamur, qui ex mari per varios alueos, meatusq; fluere aquam, & ad suos fontes refluere crediderunt. Quamuis enim fortasse earum, quæ in decliuiori loco sunt, huiusmodi aliqua reddi posset verisimilis ratio, faciliùs tamen, & magis iuxta naturalia principia satisfaciemus, si Aristotelicis principiis innixi huius rei aliquam reddere rationem tentabimus. Fontium igitur materiam ita subministrari credidit, quòd sicut in solido alioqui extrinsecus nostro corpore suę sunt internæ capacitates, spiritus, & sanguinis receptacula, quibus fluunt vndique, & refluunt, ita in solida extrinsecus terra sui reperiūtur meatus, & cuniculi, rum & viæ caoernæque, quibus aër admittitur, & aqua pluuia, ex quibus vi caloris interni (multos enim ignes intra eā contineri certum est) tum etiam vi radiorum Solis multi eleuantur vapores, qui intra meatus, & cauernas conclusi iterum vi frigoris coalescunt, & in aquam mutantur, sic vt aër eadem occasione in aquam iterum transmutatur, quæ tanquam per guttas multas in vnum quasi alueum reductæ, & continuò subministratæ fontes efficiunt, & resides, & fluxiles, qui postea fluminibus occasionem præbent: vnde in summitatibus montium, & locis eminentioribus, sæpenumero videmus scaturigines aquarum, ob magnas eius loci internas capacitates, in quibus ab initio aër inclusus, & in aquem mutatus, cùm minorem multò locum hæc contineat, efficitur, ne detur vacuum, vt aliunde petito aëre, aut aquis in infernis partibus montium, & internis sursum ettractis continuæ fiant aquarū etiam in supernis locis scaturigines. Quæ cùm ita sint, non erit mirum, si ciuitates Austrū spectantes multis aquis refertæ sint; adest enim in iis & locus, & materia, & efficiens causa aquarū: ventorum enim illorū calor peculiaris hic adest, qui & aërem internū alterando, & ex aquis vapores eleuando, aquas multas poterit producere: potissimū cùm Austri proprium sit poros terrę aperire, atq; etiam humectare; vnde vim suam faciliùs, etsi non profundiùs immittēs, humiditate etiā propria vltra caliditatem aquas facilè potest excitare. Solent præterea, quę Austris, & meridiei exposita

ſunt loca ob natiuam Auſtri humiditatem, & humida eſſe, & irrigua magis. Non igitur ab re proprietatem hanc tribuit ciuitatibus meridiē ſpectantibus, quòd multis aquis ſint refertæ: Subdit [*& ſubſalſæ ſunt*] in Grǽco eſt καὶ ὕφαλα, quā dictionem vertit Cornarius ſubſalſæ: qua in re & nos eum ſecuti ſumus: quamuis enim, cùm ſubſalſus à Grǽcis ὕφαλμος dicatur; ὕφαλος verò contentum ſignificet; hoc loco fortaſſe per ὕφαλα aquas coopertas intelligere poſſet: nihilominùs quia paſsim dictione hac vtitur Hippocr. pro ſubſalſis, vt videre licet in tractatione de aquis, vbi ὑφαλυκὰ ὕδατα aquas ſubſalſas, crudiſsimas, duriſsimasq; appellat, meritò hanc interpretationem ſumus ſecuti; maximè cum ſemel Dioſcor. 50. verſ. cap. 153. ὕφαλος pro ſubſalſo ſumat: vnde Ariſtoteles 23. Problem. Sect. Probl. 25. loca Auſtrum verſus ſpectantia aquas continere ſcribit ſalſiores: Et huius rei cauſam reddens dicit, probabiliter hanc aſsignari poſſe cauſam, quòd vi ventorum Auſtrinorum marina aqua magis per terræ cuniculos impulſa, minusq; etiam purior reddita, ſalſedinem naturalem diutius retinet: hoc verò ita intelligi debet, vt perpetuum non ſit; vtitur enim dictione Ariſtoteles comparatiua ſalſiores, vt id non abſolutè verum eſſe inſinuaret, ſed vt oſtenderet, magis in iis locis quādoq; ſubſalſas aquas reperiri, quàm in cǽteris aliò ſpectantibus: non tamen quòd id perpetuò obſeruetur: nam quāuis ex calore Solis meridiani, & ventorum auſtrinorum, qui calidiſsimi ſunt, terra aduri, & quaſi incendium pati poſsit, vnde ſalſedo, quæ ex ſicco terreno vi caloris magni attenuato, & aduſto, aquoſoq; humido permixto fit, excitari in aqua poſsit; nihilominùs hoc in noſtro climate, & locis temperatis, nuſquam ferè licet inueniri, niſi fortaſſe id accidat ex vicinia maris: in eo enim caſu ſemper verum eſt Ariſtotelis problema propoſitum, problematisq; appoſita ratio, ſi modò Ariſtoteli ea attribui debent: experimur enim in noſtro hoc temperato alioqui tractu vrbes meridiem ſpectantes à mari nō multum diſtantes aquas habere aliquo modo ſalſuginoſas: marinus enim humor effluens, aut etiam vi auſtrorū magis impulſus per ſubterraneas venas, magis alioqui eorundem peculiari ventorum proprietate dilatatas, nec lōgum terræ tractum dimetiens, cùm ſalſus ſit, ſolum etiam humoris communicatione ſalſum efficit, vnde aquæ illius loci ferè omnes ſubſalſæ redduntur, ſaltem puteales, quòd eius humoris contagione quicquid dulce eſt in aquis tranſmutetur: cùm enim non ſatis percolatæ ſint, nec longis tractibus deductæ, vitioſum ſaporem minimè exuere poterūt: quæ enim longis ductibus percolantur aquæ, dulceſcere ſolent, & quem è terra, mariq; hauſerunt ſaporem deponere: at in terrǽ tractu verè meridionali, & calidiſsimis alioqui natura ſua locis; vbi ciuitas quæpiam auſtris expoſita fuerit, notabilem ſalſedinem in aquis adeſſe incolæ maximo incommodo experiuntur.

Et neceſſario ſublimes] Affirmatiuè legendū eſſe duxi, quamuis in impreſsis Aldino, Baſilienſi, & in tranſlatione Cornarij legatur negatiuè: legunt enim hoc modo, καὶ ἀνάγκη εἶναι μὴ μετέωρα, quod eſt, & neceſſariò non ſublimes ſunt, quo etiam modo noſter manuſcriptus habet: antiquus tamen Gadaldini liber manuſcriptus caret dictione μὴ, & legit affirmatiuè, quem ſecuti ſunt & Zuingerus diligentiſs. & Baccius Baldinius, & meo iudicio optimè ſic Hippocrate, ratione, & experimento docente: Hippocr. enim in fine ferè huius libri ſublimitatem aquǽ, id eſt, quòd aquæ non ex profundis oriantur, coniungit cum hac eadem proprietate, quòd æſtate calidæ, hyeme frigidæ ſint, vbi dicit; aquæ autem valdè ſublimes, æſtate calidæ, hyeme frigidæ. Præterea ratio etiam atteſtatur: cū enim venti calidiſsimi, & humidiſsimi locum eum perflent, aquas multas oriri oportet: vbi autem multæ aquæ ſunt, ſolent & ſublimes, & prope ſuperficiem eſſe. Accedit poſtremò experientia multiplex: videmus enim multas huiuſmodi ſitum habētes ciuitates, re vera ſublimes aquas habere, vt in Arelate Narbonenſis Galliǽ colonia, & vrbe, & aliis licet obſeruare. Præterea ratione ſi æſtate calidæ, hyeme frigidæ ſunt aquæ in huiuſmodi vrbe ad meridiem ſita, neceſſariò etiam erunt ſublimes: cùm experientia atteſtetur in noſtris iis tractibus, ſi qua loca habent aquas profundas, eadem etiam æſtate frigidiſsimas, hyeme calidiſsimas habere: Econtrà vbi ſunt ſublimes, æſtate calidæ perſentiuntur, frigidǽ hyeme: experimur nos in noſtro pago Septalæ, vbi aquæ puteales adeò ſunt ſublimes, vt brachio puteis impoſito, & ſitula aquā quaſi hauriamus, & æſtate adeò calidæ ſunt, vt quaſi potui ineptæ ſint: & niſi fons agri noſtri electiſsimus huic neceſsitati ſatisfaceret, nobilibus vix hac ratione locus ille eſſet habitabilis.

Aeſtate quidem calidæ, hyeme verò frigidæ] Huic conditioni aquarum ciuitatum meridionaliū iam iam explicatæ hanc aliam annectit, tanquam neceſſariò connexam, quòd æſtate ſunt calidǽ, hyeme frigidæ, ſecus quàm expoſcat aquarum perfectio: ratio autem etiam huius rei manifeſta eſt, quia æſtate aliæ aquæ puteanæ, vbi profundæ fuerint, ſolent frigidæ eſſe, rareſactis, & apertis poris terræ, indeq; exhalatis vaporib⁹, atq; interno calore, ſi quis ineſt terræ, aduentitio: vnde naturalem ſeruat aqua & propriā naturam, & peculiare temperamentum, cùm vis Solis eouſq; pertingere nequeat: hyeme autem calidiores redduntur, ſiue per antiperiſtaſim, vt Ariſtoteles voluit, concentrato calore ex occluſis meatibus, quemadmodum & ventres hyeme in nobis calidiores teſtatur Hippoc. & Galenus, quàm æſtate: aut certè, quòd conſtipatis meatibus terræ, interno calore aduentitio eiuſdem exitum non habente, mediocriter aqua caleſiat:

lesiat: quemadmodum etiam omnia ferè, quæ occlusa remanent, cauaq; capacitate continentur: saltem enim aër, qui natura sua calidus est in multa quātitate in eo loco inclusus, seruans naturam, quòd occlusis terrę meatibus ab ambientibus extrinsecis causis frigidis non immutetur, aquam calefacit, atq; inde vapores eleuat: at in meridiem spectante ciuitate, cùm Auster ventus calidus natura, & humidus maximè perflet; cumq; aquæ sint sublimiores ratione iam dicta, & Sol magis radiis agat, facilè poterunt aquę æstate ab iis causis calefacientibus alterari, & in suam trahi naturam, potissimum cùm & dilatati sint meatus terræ, per quos & calidus ventus facilè potest permeare, & Solares radij penetrātes effectus proprios possunt producere. Quocirca non potest aqua propriā naturam æstate seruare, sed ad caliditatem trāsmutatur: Econtrà verò hyeme; cùm neq; adsit tanta constipatio prohibens, quominùs aër internè occlusus refrigescat, nec vlla adsit antiperistasis: hac eadem ratione facilè poris terræ patefactis ob ventos id operantes ambientis frigiditas pro ratione temporis potest suam aquę impertiri qualitatem, & in sui similitudinem trahere.

II.

Τούς τε ἀνθρώπους τὰς κεφαλὰς ὑγρὰς ἔχειν καὶ φλεγματώδεας, τάς τε κοιλίας αὐτῶν πυκνὰ ἐκταράσσεσθαι ἀπὸ τῆς κεφαλῆς τοῦ φλέγματος ἐπικαταῤῥέοντος. τά τε εἴδεα ἐπὶ τὸ πλῆθος αὐτῶν ἀτονώτερα εἶναι. ἐσθίειν δὲ οὐκ ἀγαθοὺς εἶναι οὐδὲ πίνειν. ὁκόσοι μὲν γὰρ κεφαλὰς ἀσθενέας ἔχουσιν, οὐκ ἂν εἴησαν ἀγαθοὶ πίνειν, ἡ γὰρ κραιπάλη μᾶλλον πιέζει.

Et homines capita humida, & pituitosa habere par est: ventretq; ipsorum crebrò exturbari pituita à capite defluente, & naturas ipsorum vt plurimum imbecilliores esse, neq; ad edendum, aut bibendum satis esse appositos: nam qui capita debilia habent, non sunt boni potatores, crapula enim magis grauat.

Hic liber in Græcis exemplaribus, quos viderim, adeò deprauatus est, & huius loci adeò variæ sunt lectiones, vt potiùs coniecturis agendum sit, & diuinandum ferè, quàm quòd certi aliquid in medium proferri posit: maxima enim huius libri pars incuria librariorum in librum de Vulnerib. Capitis irrepsit, vt optimè interpres Cornarius animaduertit; & in illo adeo confusa est totius illius partis series, & ita inuerso ordine posita, vt mirum sit, quomodo ad rectam rationem reduci possit: nam in Aldino, & Basiliensi impressis, postquam ea, quę peculiaria sunt tractationis de Vulneribus capitis prosecut⁹ est, ponit ea verba, ἔτι τὰ πεχύτατα, quæ posita sunt in Basiliensi Græca editione, pag. 451. lin. 37. in Latina verò Iunctarum editione, cap. 5. vers. finem, cùm legunt, eò quòd id quod est crassissimum, &c. seriatimq; in Gręco exemplari progreditur vsq; ad illa verba, quæ in lib. de Aëribus, &c. posita sunt post particulam primam proximè expositam καὶ λειεντερίαι, quæ verba sunt in Latina traductione Iunctarum, cap. 6. vers. medium, & Leienteriæ: mox reuertitur ad illa verba, καὶ ὁκόσαι μὲν τῶν πολίων, id est, quę verò vrbes bene sitę sunt ad Solem, vsq; ad finem. Cornarius meliori vsus exemplari, post particulam proximè expositam legit, ὁκόσαι μὲν τῶν πολίων, quæ verò ciuitates bene sitæ sunt ad Solē, & ventos, &c. & ita seriatim progreditur eo ordine, qui apud ipsum conspici potest vsq; ad illa verba, καὶ λειεντερίαι, & intestinorum læuitates: quam lectionem is manuscriptus, de quo suprà facta est mentio, etiam habuit. Gadaldini autem manuscriptus in hoc libro disponendo multò ab vtrisq; dissimiliorem habet lectionem, quam in ea parte, quę ad hanc particulam attinet cum superiori coniungendam, & nos insecuti sumus; quamuis in reliquis omnino simus discordes: nam post illa verba, τοῦ μὲν θέρεος θερμά, τοῦ δὲ χειμῶνος ψυχρά, id est, ęstate quidem calidæ, hyeme autem frigidæ, legendum credit: τούς τε ἀνθρώπους τὰς κεφαλάς, id est, homines q; capita humida, & pituitosa habere par est. Illa autē verba, quæ apud Cornarij traductionē inter primam particulam huius sectionis, & secundam, quam nunc interpretamur, posita sunt, καὶ ὁκόσαι μὲν τῶν πολίων, id est, quæ verò ciuitates bene sitæ sunt ad Solem, & ventos &c. collocat in fine tractationis de Positionibus ciuitatum ad quatuor cœli plagas, & ante tractatione de aquis: Sed non totam illam seriem hoc loco à nobis omissam eo loco interponit, sed solùm vsq; ad illa verba εἰ μὲν τὸ θέρος αὐχμηρὸν, id est, si verò æstas sicca fuerit; quæ verba aliò reponenda esse censet: reponit enim illa in fine totius transpositæ orationis ante illa verba, & leienteriæ, &c. ratio totius huius ordinis ea esse potest: q. cùm de situ locorum loquatur Hippocr. dum de meridiem spectantibus ciuitatibus primùm cœpisset agere, non erat, quòd illis verbis, καὶ ὁκόσαι μὲν τῶν πολίων, quibus non de meridiem spectantibus vrbibus, sed de optimè ad omnes plagas dispositis loquitur, seriem totam interturbaret; sed potiùs omnibus ciuitatum positionibus expositis, de optimè, & pessimè dispositis postremò agere debebat. Verba autem postrema τοῦ δὲ χειμῶνος ψυχρά (si modò addenda essent, ψυχρά potius ad aquas referendo esse legēdum censet) superflua credit, quòd nihil in tota serie illa verborum significare possint, quodque iam superiùs sint posita. Hæc Gadaldinus. Ego verò quamuis diu, multumq; hac in re anceps fuerim; postremò tamen neq; omnino recipiēdam hanc Gadaldini opinionem censui, neq; omnino reiiciendam; quod enim malè hoc loco cohęrere scribit totam illam seriem, optimè dicit; at cùm illam in tres partes diuidit, quarū

primam in fine tractationis positionum locorum collocat, alteram in medio capitis 6. ante ea verba: [*Et lienteriæ ex omni occasione, &c.*] ita vt constituat partem ad constitutionee temporũ pertinentem, vt dicemus suo loco, & postremã superfluam: hoc est, quod nullo modo recipi potest; cùm enim quispism locum aliquem eo natur emendare, aut resarcire, debet eniti quantum potest, vt quàm minimum aut scripturam vitiet, aut interrumpat, sed seruata quantum posibile est litera, illud solùm emendare debet, quod iudicio corrigentis minimè consistere potest: hic aũt tripartito diuiditur, cùm vnica serie passim legatur. Subtrahitur etiam postrema portio, & à reliquis diuellitur, secus, q̃ in omnibus fiat, & præterea quod superfluum credit, etiam deprauatum dicit: cùm alioqui sublata hinc, & aliò, vt dicemus, reposita, & optimè cohęreant, & postrema verba ita integra seruanda sint. Quid igitur dicendum erit? certe illud primò supponendum, totam illam seriem, quæ tum in Aldino, tum Basiliensi Græcis impressis libris post primam particulã iam expositam vsq; ad principium secundæ, quam modò interpretamur, quę incipit: *Τοὺς τε ἀνθρώπους τὰς κεφαλὰς*, non hoc loco bene sitam esse, sed reponi debere immediatè ante illa verba, quæ lib. de Aër. aquis, & loc. post longã illam transpositam orationem in lib. de Vulnerib. cap. sequuntur, *καὶ λειεντερίαι*, quæ leguntur in Iunctarum editione, cap. 6. versus medium: vbi si tota series simul ponatur, & optimum habebit sensum: neq; erit vlla causa, cur diuidatur, aut superflua credatur, aut deprauata in fine: Sed de hac re suo loco. Solùm hoc loco mihi docendũ est, quomodo hæc particola optimè superiori cohæreat; quomodoq; verba, quę apud omnes codices interseruntur, hoc loco minimè bene disposita sunt. Ea verò facilè cognosci possunt ex aliis positionibus locorum, in quibus primo loco ponit formam positionis, & subsequẽter etiam ventos illarum peculiares, tum & aquas, quibus explicatis ad peculiares naturas, & mores hominum descendit, mox verò morbos patrios eorundem aggreditur, quod etiam in præsenti positione describenda præstitisse dicere poterimus, si eo modo disponatur, vt nos fecimus in præsentia. Expositis enim iis, quæ ad peculiarem naturam loci meridiem respiciẽtis faciebant, puta positione, ventis, & aquis, aggreditur ea nobis tradere, quæ ad proposita insequi solent, puta naturas hominũ, mores, tum potissimum morbos peculiares. In pręsenti eu cem particula ab hominum naturis, & morib. explicandis initium ducit, cùm dicit: [*Homines humida, & pituitosa capita habere par est.*] Si quæ de Austri natura in prima parte huius libri à nobis tradita sunt, diligenter considerare voluerimus, non ita erit difficile horum omniũ, quæ in meridiem spectantibus ciuitatibus hominibus quasi congenita sunt, certam, & demonstrationem reddere rationem: quamuis enim si principia suę generationis spectemus, frigidus sit, & siccus; quoniam tamen vastum ibi mare est, vastæq; paludes sæpe, vnde vapor plurimus humidus admiscetur, Solisq; ibidem prępotẽs vis, ob quam exhalari vapores multi excitãtur, nec dissipari tamẽ possunt ob multitudinem, sed per tantum terrarum veluti cumulatim cõgesti ad nos deferuntur, meritò caloris, humorisque dominio excellunt: quemadmodum ex Hippocr. lib. de Sacro morbo (si modò liber is Hippocr. Magno attribui potest; quod non facile affirmauerim) quilibet potest colligere: & Galen. 3. Aphor. 3. reddẽs rationem Aphorismi, quomodo scilicet Austri auditũ hebetãt, in natiuam illius venti caliditatem, & humiditatẽ, causam retulit: Sicuti etiam lib. 3. Comment. in lib. de Humor. Com. 13. si tamen Galeno ea commentaria attribui debent, non autem recentiori alicui, in eo inquam loco docẽs, quomodo auditum grauiorem reddat Auster, perspicuum est, inquit, ipsum, scilicet Austrum, calida, & humida natura esse: quæ verò sunt huiusmodi, ea vim replendi capitis habent omnia: quid igitur mirum, si in ciuitate meridiem spectante capita humida, & pituita referta homines habẽt: humefacto enim, & calefacto aëre magis, quàm par sit, corporibusq; nostris addita qualitatis superfluitate, capite grauamur, auditu, visoq; obtusiores fimus, torpemus, resoluimur viribus. Etenim in cerebrum neruorum fontem attracto naribus aëre, graui, crasso, humidoq;, sed & eodem aliunde occultè fallentibus nos viis inuecto, repletisq; ita ventriculorum cauitatibus spiritu impuriore, caput potissimum humidum reddi, pituitaq; affluere necesse est, cæteraq; omnia humescere, vnde sensus, sensiteriaq; omnia instrumentis & per se, & spirituum impurorum transmissione imperfectis vsa hebescere, mentisq; aciem remitti necessariò opus est: quomodo enim caput suũ anima tanto humore greuata in altum attollere poterit, quæ vt *νοητικὴ* sit, *ξηροτέρα* priùs fit oporteat? aut quomodo eandem ob causam caligantes spiritus, animæ instrumenta, munia sua rectè exercebunt; quibus expeditè obeundis limpidos eos, illustresq; esse necesse sit? Iam ex paulò magis madido cerebro madida simul, ideoq; densior facta neruorum substantia, pręter id, quod turbidioris, vt diximus, spiritus progressum impediet, humore etiam ita resoluta contentionem motuum facere haud vllam fortem poterit, vt meritò segne inde, languidúmque ad sese mouendum, quasiq; resolutum reddatur corpus totum: quam rem sequi necessariò docuit Hippocr. lib. de Humor. Sect. 3. cap. 13. vbi etiam Commentator *ἀναγκαίως* dominari explicat: quòd vt in hominibus hæc præstare possit flatus Austrinus, diutius debet flare. Cũ verò meridiem spectantes ciuitates peculiarẽ habeant Austrum, & quasi continuò flantem, natura-

naturalem hanc habitudinẽ corpora eò degentia habere verisimile est. Neq; verò negotium vllum nobis facessere potest locus Galen.3.in tertium de Morb.vulg. Comment.3. vbi aliquẽ Austrum siccum, imò & frigidum esse asserit, atq; Homeri testimonio confirmat Iliad.φ. qui siccum Austrum,& purum nominat: quod imitatus Poëta noster Lyricus Ode 7.primi libri apertè demonstrauit, non semper Austrum humidum esse, sed quandoq; siccum, & serenum, cùm dicit: Albus vt obscuro detergit lumina cœlo sæpe Nothus, neq; parturit imbres perpetuos: Sic tu sapiens finire memento tristitiam, vitæq; labores molli Plance mero. Quinimò Hippocr. lib.de Humor. siccitates aliquas Austrinas ponit: & primo de Morb.vulgar.Tempest.1.T.8.Cùm esset totus annus Austrinus,& squallidus,per squallidum siccum intelligens: & lib.2.Sect.3.T.1. Circa Solstitium fere æstiuũ Perinthum venim⁹; facta autem est hyems sicca,& Austrina.Quin & huius sententiæ Aristotelem fuisse lib.1.Problem.23.& Sect.26. Probl. 49.vbi quærit,cur Austri sicci febres generent: quæ omnia si diligenter consideremus, facilè dubia reddent, quæ à nobis in reddenda eorũ, quæ in hac particula ab Hippocr.dicta sunt, ratione,sunt proposita: Supposuimus enim Austri naturam calidam esse, & humidam: Hanc enim difficultatem Galenus dissoluit tertio libro de Humor.C.13.vbi duplicem ventum Austrinum describit, alterum mitem, & blandum (& huiusmodi magna ex parte Auster esse solet)& hunc scribit semper & calidum,& humidum,alterum vehementem, qui & frigidus, & siccus esse potest: quòd si quis hanc auctoritatem tanquam satis dubiam, non ita æquo animo recipiat; is sciat saltem consentaneam esse iis,quæ in germanis Galeni libris scripta repeDiuntur: nam primo de Morb.vulg. Tempest.1. Comment.1.docet Hippocratem calidos,& humidos ventos appellasse, qui remissius spirãt, quiq; frequentiores sunt: Cõtrà verò frigidos, qui violenter perflant,iis verbis:nam in nostro tractu Aquilo frigidus est, feruens Auster, nisi fortè (quod rarum est) ineũte vere frigidus sit, aut alio quopiam anni tempore, vbi aliquantisper magis spiret: atqui ne tum quidẽ Aquilone est frigidior: quibus verbis apertum nobis fit frigidum Austrum appellasse,qui violentius spiret: humidus pariter (inquit) nobis venit, quotiescunq; mitis,blandusque est: dum verò procellosus extiterit, siccus interim videtur, quoniam aëris humiditates, atque etiam ipsos imbres dissipat,& pellit: Hinc etiam Homerũ videmus Iunonem describentem impetuosos, furentesque Austros à Vulcano impetrasse,qui frigidi,sicciq; essent. Amplius Auster humidus est, tum natura sua, tum calore suo humiditates particulis corporis inhærentes liquando,vt docet Galen.4. Aphorif.17. Siccus tamen dici poterit,nõ quia exiccet, sed quòd aquæ expers sit, nec pluuias secum ferat: quocirca inaquosum huiusmodi Austrum vocauit Aristotel.26. Probl.49. quomodo etiam difficultatem hanc dissoluit Galen.3. in 3.Epid.3.

Ventresq; ipsorum crebrò exturbari pituita à capite defluente] Eadem propemodum est ratio, quã hic tradidit Hippocr. cur, qui in locis meridionales ventos excipientibus degunt, facilè alui profluuio capiantur, quę à Galeno proposita est 6. Sect.Aporis.34. cùm quærit, cur balbi alui profluuio facilè corripiantur: dicebat enim, quòd, cùm caput eorum maximè repletum sit pituita,cùm hæc ad palatum defluit, balbutiem inuehit; cùm verò ad ventrem, alui profluuium. Cùm igitur hos capita, imò & vniuersa corpora humida habere dixerim⁹, quid mirum, si hac eadem ratione crebrò alui profluuio corripiantur? Non loquitur autem adhuc de alui profluuio,quod ita præter naturam est, vt morbum faciat, sed de eo, quod etiam sanis euenit, cùm lubricam nimium aluum aliquem sanum habere dicimus.

Neq; ad edendum, aut bibendũ satis esse appositos] Nõ esse multùm edaces, neq; multa appetere eosdem docet in præsentia: quòd tunc appetẽtia deiicitur, cùm suctionis sensus tollitur: tollitur autem, tum quia sensus eius hebes est, sicut & aliarum partium, tum ratione materiæ pituitosæ à capite defluxæ: cùm enim ventriculus humoribus pituitosis refertus est, non trahit à vicinis partibus. Præterea cùm natiuus calor ventriculi, & cæterarum partium sit imbecillis, non multam substantiam potest consumere, qua ratione fit suctus: ad bibẽdum etiam iueptos esse scribit; tum quòd cùm potus ob sitim sumatur, hæc verò frigidi, & humidi appetitus est, cùm capita multa pituita referta sint, ea ad infernas partes delapsa humidum os ventriculi reddit, vnde non potest tam vehemens sitis excitari. Sed quamuis hoc verum sit, tamẽ non hoc sibi voluit tantùm Hippocrates, sed per hæc verba, multi vini citra insignem valetudinis noxam potatores esse non posse, nobis significauit; quod patet ex ratione, quam attulit, cùm dixit: [*Nam qui capita debilia habent, nõ sunt boni potatores*] Cùm enim vinum calidã habeat naturam, & penetrabilem substantiam ob subtilitatem partium, promptissimè omnia permeat, atq; subintrat, neruosumq; genus facillimè replet teste Galen.5. Aphoris.5.& caput imbecillum maximè ferit, vt docet idem 1.de Tuenda valetud.& in Comment.ad 3.Sect.de Ratione vict. in acut. 1. propter caliditatem enim facilè ad supernas partes fertur, ferentesq; secum humores trahit, præsertim si vinum sit polyphorum; vnde pueros, & senes faciliùs à vino lædi videmus; hi ob defectum caloris, illi ob excessum. Cùm igitur homines huiusmodi loca incolentes, qualia iam descripsimus, capite infirmo, & multis humoribus pituitosis referto esse diximus, non mirum, si non sunt

boni potatores. [*Crapula enim magis grauat*] his verbis tradi ab Hippocr. rationem crediderunt interpretes, cur sint ad edendum non multùm appositi, quòd crapula apud nos Latinos videatur potius excedentem cibi assumptionem significare. Verùm si obseruassent quę à Galen. 5. Aphoris. 5. scripta sunt, facilè in nostram venissent sententiam: Nomine enim crapulæ non ciborum ingestorum excessum, sed omnem noxam, quæ ex vino fit, significari eo loco apud Græcos scribit.

III.

Νοσήματά τι τάδε ἐπιχώρια εἶναι. πρῶτον μὲν τὰς γυναῖκας νοσερὰς, καὶ ῥοώδεας εἶναι.

Morbos verò hos vernaculos esse: primùm quidem mulieres morbosas, & fluxionibus obnoxias esse.

Credidit Alemanus, qui primus, & solus (quod sciam) inter recentiores commentaria in hunc librum edidit, hoc loco Hippocr. docere morbos patrios, id est, plebi accidere assuetos in regione Austrum spectante, hyeme frigida æstatē pluuiosam insequente: Cùm enim nō animaduertisset verba illa in principio contextus secundùm suam diuisionem posita: [*Si verò hyems frigida sit*] superflua esse, nec rectè subsequentibus verbis annexa, neq; proprium locum dedisset aliis sententiis duabus, aut tribus præcedentibus, sed collocasset eo modo, quo etiam Cornarius, non mirum fuit, si hoc loco etiam decipitur: Errare enim in intentione huius particulæ, & subsequentium, quæ vnica apud illū sectione longissima decimanona ordine comprehenduntur: inde fit manifestum, quòd nos iam ex Hippocr. & Galeni sententia superiùs demonstrauimus, ἐπιχώρια νοσήματα morbos significare regioni peculiares, & proprios semper ob natiuam, atque congenitam aliquam in eo loco causam: cùm verò hoc loco de Epichoriis morbis loquatur, dici non potest eum de morbis agere, qui mutatione temporum adueniunt, qui non epichorij, sed epidemici sunt: cùm potissimum omnibus liceat manifestè apud Hippocr. intueri morbos istos, quos enumerat peculiares esse, & quasi perpetuos omnibus locis austrinos ventos excipientib. Quapropter dicendum erit hoc loco Hippoc. postquàm natiuas hominum naturas, & temperaturas, quæ tamē morbum non inducerent, tradidisset, iam aggredi morbos vernaculos, peculiaresq; locorum Austrum excipientium tradere, non aliter, quàm in locorum tradendis positionibus secundùm alios tres situs ad cœlum inferiùs fecerit. Inquit igitur: [*Primùm quidē mulieres morbosas, & fluxionibus obnoxias esse*] Primùm autem mulieribus cōmunes passiones docet, quòd cùm viris frigidiores, & humidiores sint, Hippocr. 3. de Diæta etiam id attestante, multò etiam magis pituitosis excrementis refertas esse necesse erit, subsequenterque faciliùs, & promptiùs morbis corripi solent: Cùm enim ventis austrinis maximè alterent corpora, atq; pori vniuersi corporis magis recludantur, mulieres verò corpora & rarioris texturæ, & laxiora à natura sint sortitæ, magis etiam ambientis alterationes persentiant, languidumq; earum corpus tum alteratione, tum excrementorum pituitosorum internis partibus adhærentium liquefactione. Hinc etiam fit, vt fluxionib. sint magis obnoxiæ: Cùm enim omnes ferè capita humida, & multa pituita referta habeant, facilè fluxionibus ad subiectas particulas, nares, oculos, thoraces, fauces, vertebras, ventrem inferiorem, intestina, tum & maximè ad vterum, totamq; carnem tentari poterunt: & hoc magis mulieribus accidere solet, tum ob connaturalem humiditatem, tum ob earum maiorem, vt diximus, quàm in viris, laxitatem: quæ omnes causæ ambiente adiutæ faciliùs crescere, & terminum præternaturalē attingere poterunt, vnde morbi ex fluxionibus oriuntur.

IV.

Ἔπειτα πολλὰς ἀτόκους ὑπὸ νόσου, καὶ οὐ φύσει, ἐκτιτρώσκεσθαί τε πυκνά.

Deinde multas steriles esse ex morbo, non à natura, & frequenter abortire.

Si quæ ab Hippocr. tum libro de Sterilibus, tum lib. de Muliebri natura, cum potissimum 5. Aphoris. 62. ad memoriam reuocentur, non erit difficile reddere rationem eorum, quæ hoc loco de sterilitate breuissimè dicta sunt: Quum enim multæ causæ referātur sterilitatis, de quibus in præsentia non est nostrum agere, inter illas non infimum locum sibi vindicauit humiditas excedens, nō quidem sine materia (nam vterus ob neruosam suam substātiam adeò humidus reddi non potest, vt ineptus conceptui reddatur, & talis intemperies sine materia vix vspiā reperitur) sed ob humiditates superfluas à capite, & cæteris supernis partibus ad locum generationis transmissas; vnde in vtero non aliter extinguitur genitura, ac in terra palustri cerealia semina, vt docet Hippocr. & Galen. 5. Aphoris. 62. quocirca cùm à nobis statutum sit, eos omnes, qui ciuitates Austrum spectantes incolunt, & capita humida, multaq; pituita referta habere, tum præterea vniuersum corpus molle, humidum, languidum, atque ad omnes fluxiones suscipiendas maximè idoneum; nō erit mirum, si vterus morbosis huiusmodi fluxionibus deprauatus conceptum nullo modo admittat, semine genitali eo loco marcescēte, aut ob multam humiditatem foras elabente, aut etiam quòd ob rarefactos nimium, & dilatatos poros, multoq; sanguine excrementitio, & aquosa materia aliunde ad vterum defluxa, menses citati magis fluant, quàm par sit, à quibus causis sterilitatem euenire solere demonstrarunt

ſtrarunt Hipp. & Gal. locis propoſitis, tum & Græci oẽs Oribaſius, Paulus, Aëtius, tum & Auicen. propriis hac de re capitibus.

Ex morbo, non à natura] Quoniam fœcundę naturæ paſsim ab Hippoc. cenſentur, quæ calidæ ſunt, & humidæ, ita tamen vt naturæ terminos non excedãt: Cùm verò vterus natura ſua frigidus ſit, & ſiccus, in locis ad Auſtrũ ſpectantibus ad temperiem quandam ad fœcunditatẽ aptiſsimam reduci poſſet, caliditate, & humiditate aëris, & ventorum adiuuante, niſi aduentitia, & morboſa cauſa aliũde defluẽte ſterilis fieret.

Et frequenter abortire] Eædem propemodũ cauſæ, quæ ſterilitatem inducũt, frequentiorũ abortuum cauſæ eſſe ſolent: ſi .n. capita humida, & pituita multa referta huiuſmodi mulieres habere diximus, ſi præterea laxũ, rarum, languidumq́; corpus ſortitæ ſunt, & alui profluuiis facilè tentant, tum & copioſis nimiũ menſib. afficiuntur, quis non animaduertat has oẽs abortus cauſas eſſe? docuit Hipp. & cum eo Gal. 5. Aphor. 45. abortũ frequẽter etiam ſine manifeſta occaſione in iis fieri, quib. multis mucorib. vteri acetabula referta ſunt: ligamenta præ humore graue onus ferre nequeũt, ſed diſrumpũtur. Cùm igitur caput mucoribus, & pituita refertũ ſit, ad infernas tranſmittat partes neceſſe eſt. Cùm verò vterus ca[illegible] ſit, eò etiã affluat oportet; vnde etiã cotyledones emolliti facilè diſrumpuntur, abortusq́; ſequitur: quemadmodum docet Hipp. lib. de Morb. mulierũ, nu. 41. auget etiam rei huius occaſionẽ, q̃ vniuerſum corpus laxũ eſt, ſpina aũt debilis, apertaq́; fatis omnia vaſcula, ex qua occaſione etiam abortũ ſuccedere par eſt, id dicente Hipp. lib. de Morb. mulierũ, nu. 40. & ratione, hiantes .n. vteri facilè quibuſcunq; externi aëris mutationib. ſubiiciũtur. Quòd ſi copioſiores, q̃ par ſit, & frequentiores fluxiones & menſtruorũ, & albę materię in iis ob eaſdẽ cauſas ſolent cõtingere, abortus ſequi ſolent. Sic etiam docuit Gal. 2 in 3. lib. de Morb. vulg. 8. vbi ſanguinẽ ex ceruice vteri profluentem abortus cauſam eſſe ſcribit: q̃d etiam ex Hipp. confirmari poteſt 5. Aphoriſ. 31. vbi ſecta vena mulieribus abortũ euenire facilè dicit, & 60. eiuſdem, morboſos debilesq́; reddi: cùm præterea facilè alui proſluuio tẽtari homines, qui talem ſitũ ciuitatis ſortiti ſunt, inferiùs doceat Hipp. non eſt obſcura ratio, cur mulieres abortiant: q̃ docuerit Hipp. 5. Aphor. 34. mulierem vtero gerentem aluo plurimũ fluente abortire: quod repetit & 7. Aphor. 27. in defectumq́; alimenti cauſam refert, nos autem etiam laxationem partium vteri addemus.

V.

Τοῖσι τε παιδίοισιν, ἐπιπίπτειν σπασμοὺς, καὶ ἄσθματα, καὶ ἃ νομίζουσι τό τε θεῖον ποιέειν, καὶ ἱερὴν νοῦσον εἶναι.

Pueris verò accidere cõuulſiones, et aſthmata, & quæ putãt et Deũ efficere, et ſacrũ morbũ eſſe.

Poſt peculiares morbos mulierum enumeratos, ad eos tranſit, qui puerorũ ſunt proprij: iis igitur conuulſiones, aſthmata, ſiue, vt Latinè loquamur, anhelationes ſuſpitioſas, tum & morbos comitiales accidere ſcribit. Quid verò hoc loco puerorum nomine intelligat, an infantes ante deutitionem, quos puerulos vocãt, an potius vſq; ad pubertatem totam pueritiam, non ita facilè eſt intelligere. Zeuſis enim vnus ex antiquis Hipp. expoſitorib⁹, vt videre licet apud Gal. 3. in 6. de Morb. vulg. textu 5. dum explicat particulam illam: infantiũ fulgores cum pubertate nonnunquam mutationes habent, per infantes non modò primam illam infantiã intellexit, ſed vſq; ad ętatem 14. annorum, quem ſecutum eſſe Herophilum ibidem teſtatur Gal. Quapropter ſi hunc locũ interpretati ſunt hoc pacto viri ij doctiſsimi, nullo modo dubitandum eſt, hoc etiam modo pręſentem ſententiã eſſe intellecturos, cùm eo loco de eodem morbo loquatur, quomodo Alemanum expoſitorẽ hic feciſſe videmus, qui per pueros ætatem integram ab egreſſu infantis ab vtero ad annum vſq; 14. intelligendũ eſſe dicit. Verùm mihi magis Galeni expoſitio ſequenda videtur, qui loco citato *νήπια* infantes intelligit vſq; ad quintum, vel ſextum annum, cùm loquatur de morbo comitiali puerorũ peculiari; quinimò hunc locum adducens docet puerulorũ hunc affectũ eſſe proprium, & hanc eſſe Gal. ſententiã, apertè eius verba in eo cõmentario propoſita oſtendunt. At mihi, inquit, quid per *νηπίων* ſignificari videatur, & antea quidem dixi, & nunc iterum manifeſtiori ſermone repetam. Comitialis affectus aut à naturali intẽperie prouenit, cùm humidum valdè cerebrum eſt, tuncq́; morbus iſte puerilis appellatur, quemadmodũ ipſe in libro de Aquis, Aëribus, & Locis ita ſcribens ſignificauit: Pueris accidere conuulſiones, & aſthmata, ſiue anhelitus, quæ putãt puerilem efficere, & ſacrum morbum eſſe. In his verbis clarè patet illi dictioni puerilem, ſubintelligendũ eſſe affectũ, vt locutio ita ſe habeat, quæ putant puerilem affectũ efficere, & ſacrum morbũ eſſe. Accidit aũt hic idem affectus pueris etiam ob errata, medici curationem poſtulans, quando verò ob humiditatem oritur, planè infantes ſtatim inuadit, definitq́; ætatis conuerſione nullũ nobis negocium faceſſens. Quapropter quoſcunque pueros non à prima ſtatim ætate, cùm adhuc ſunt infantuli, ſed annorum progreſſu vexare inceperit, proculdubio ob peccata in victus ratione commiſſa, aut ob aliam quampiam cauſam exortus eſt; in quibus ætatis conuerſionẽ præſtolari non cõuenit, ſed factum morboſum affectum diſcutere: hucuſq; Galen. Quibus verbis duas morbi comitialis cauſas mihi feciſſe viſus eſt: altera eſt naturalis cerebri humiditas, & qui ab hac efficitur morbus comitialis, infantium verè peculiaris eſt, nullaq́; mediri opera tolli debet, ſed ſola ętatis conuerſione ſolui-

tur: altera aduentitia, quæ adolescentium, & iuuenũ est propria, medicisq; curatione tolli debet. Totam aũt hanc Galeni verborum seriem adducere placuit ob recentioris cuiusdam sententiam, qui in commentariis in sextum Epid. dum præscriptam Hippocr. sententiam interpretaretur, non modò ex propria sententia per νήπια pueros ad annum vsq; decimumquartum exposuit, sed hanc etiam Galeni esse sententiã apertè admodum asseruit; cum alioqui aduersus Zeuxis opinionem ipse infantes potiùs intelligendos voluerit. Sed age rationibus agamus, demonstrantes per νήπια infantes intelligere Hippocr. in lib. tertio Aphorism. 25. dum morbos puerorum, qui iam dentire incipiunt, proponeret, inter alios conuulsionem enumerat, quam puerorum hoc loco peculiarem esse dicit. Per pueros igitur ætatem ante septimum annum intellexit: in reliquis enim Aphoris. morbos postea enumerat, qui in aliis ætatibus accidunt: accedit & experientia, qua obseruatum est, post annum sextum rarò pueros conuulsionibus, anhelationibus, aut morbo comitiali laborare, nisi confirmatus in totam ætatẽ velit produci: & quod postremò omnem tollit difficultatem, est dictio, qua vtitur Hippocr. in 6. Epidem. loco citato, vbi de eodem morbo etiam Galeno teste loquit, νήπια, quæ dictio Græcis, quando ad ætatem refertur, infantes significat, quasi νὴ ἔπος, qui adhuc fari nequeunt: infantes igitur significat. Pueris igitur conuulsiones accidere scribit: loquitur verò hoc loco de iis, qui in locis degunt meridionales ventos excipientibus: nec certè abs re: cùm enim in conuulsione vniuersali caput ipsum neruorum origiem læsum esse necesse sit, vt docet Galenus 3. de Loc. Affectis 6. & 10. cumq; conuulsio omnis aut ab inanitione, aut à repletione fiat, vt docet Hippocr. 6. Aphorism. 39. facilè hæc affectio, quæ ex repletione oritur, quæque puerorum alioqui peculiaris est ob natiuã eorum humiditatem, multas cruditates congestas, neruosarumq; partium mollitiem, pueris in huiusmodi locis degentibus frequẽtius accidet, accedente insuper aduentitia tum in capite, tũ in vniuerso corpore humiditate, ac mollitie: Austris enim frequenter perflantibus neruosas partes madefieri magis, magisque irrigari necesse est, ita vt iis in tumorem eleuatis præter naturam, & secundùm latitudinem dilatatis, atque in longitudinem decurtatis conuelli, & versus proprium principium partes inde trahi necesse est.

Καὶ ἄσθματα] Latinè cum Celso vertere poterimus lib. 4. cap. 4. anhelationes suspiriosas, siue densas: hæ autem tum ob virium imbecillitatem, tum ex inflammatione viscerum spiritualiũ, tum ex impedita via respirationis, quæ ex multis, crassis, viscidisque humoribus à capite defluentibus ad partes thoracis efficitur, vt docet Galen. 4. de Locis Affectis, cap. 7. pueris huiusmodi loca inhabitantibus ob postremam hanc causam potissimùm eueniunt asthmata, cùm vltra peculiarem capitis humiditatem aduentitia quoque multa ob ventos accedit, qua & capita replentur, & spirituales partes ad recipiendum magis fiunt idoneæ, aëria & ventorum humida natura eliquationem, & fluxum adiuuante.

Quæ putant & Deum efficere, & sacrum esse morbum] Cùm ad hunc locum peruenissem, diu anceps, dubiusq; animo fui, quid de hac sententia mihi esset sentiendum: an contextus esset deprauatus: & si correctionem expostulabat, quomodo esset castigandus: multa enim erant, quæ locum deprauatum ostendebãt. Primùm, quòd diuersa esset lectio in Basiliensi ab ea, quã nobis tradiderat Aldus: sic enim Basiliensis habet, ἃ νομίζουσι τὸ παιδίον ποιεῖν καὶ ἱερὴν νοῦσον εἶναι. Aldinus autem liber addit in principio καὶ, quæ maximam varietatem efficit: nam si sine ea legamus, postquàm pueris conuulsiones, & asthmata superuenire dixisset, subderet ex iis duobus vnum morbum constitui, qui puerulus diceretur, & sacer existimatur. Quam sententiam secuti sunt Cornari*, qui vertit hoc modo; pueris verò incidere cõuulsiones, ac anhelationes, quæ morbus puerorum, & sacer esse putantur: Et Zuingerus, qui sic: qui morbi puerorum, & sacri esse putantur: & Baldinius, qui hoc pacto: qui puerulum efficere, & sacrum morbum esse arbitrantur. Solus Caluus Aldinam sequitur, cùm interpretatur: Et eo quod puerile malum esse putant, sacrum comitialémve morbũ: quibus verbis morbum ab illis duobus distinctũ videtur addere. Sed neque tunc vllum sensum haberet sententia: sic enim ad verbum esset vertenda: Et quæ existimant puerilem efficere, & sacrum morbũ esse: relatio verò ἃ nihil habet, cui referatur: & si subaudienda νοσήματα dicemus, vt proculdubio dici oporret, quomodo morbi innominati nominatum morbum efficiunt: quòd si, vt in Basiliensi, legamus sine dictione, καὶ, quemadmodum etiam legisse videmus Galenum 1. in 6. Epidem. C. 5. vbi ad verbum hanc sententiam exscripsit, alium habebit sensum, qui erit talis; Pueris accidere conuulsiones, & asthmata, quæ, id est, quæ duo existimant efficere puerilem, id est morbum, & sacrum esse: sicque relatio habebit, quibus referatur. At ne sic quidem satia constat, quomodo morbum aliquem puerilem nominet, quòd nusquam apud Græcum vllum scriptorem reperiatur, παιδίον morbum significare: quod forrasse animaduertens Aldus diligentissimus asterisco dictionem παιδίον signauit. Verùm cùm Galenus loco proposito hanc animaduerteret difficultatem, censuit subintelligendum esse πάθος, sicque dictio παιδίον, nomen erit adiectiuum. At cùm nusquam reperiatur adiectiuam esse dictionem, cẽsendum erit dictionem παιδίον, tum apud Hippocr. libros, tum apud Galenum

num citato loco esse subrepticiam, quapropter hoc loco dictioné παιδίον asterisco notauit. Auget autem suspicionem, quòd locus ille Galeni vario modo legitur: nam Basiliensis bis eo loco legit παιδίον, & sic esset accusatiuus singularis, & bis παιδίων, & erit genitiuus pluralis. At Aldinus liber semper habet παιδίων: quòd si παιδίων legamus, facilius quidem erit illi subintelligere, quòd Galenus dicit νόσος; sic enim esset sensus: quę existimant efficere puerorum, id est morbū, & sacrum esse: quod Latinè optimum habet sensum, & constructionem. At qui Græcè sciunt, non satis amplexabuntur hanc lectionem: quòd articulus τὸ non posśit accommodari dictioni παιδίων, quæ est genitiui pluralis: neq; solent Græci articulum ponere, quòd dictioni subintellectæ correspondeat, sed positæ iam accommodatur. Quocirca dici potest locum Galeni deprauatum esse, magis tamen à vera lectione abesse Basiliensis libri lectioné, vbi παιδίον scriptum est bis: certum est enim articulum τὸ nullo modo illi posse accommodari: quæ verò Aldi est, quamuis & ipsa deprauata sit: nihilominus quia terminationem seruat, & articulus optimè illi adaptatur, magis est recipienda. Atqui cùm nullus sit morbus, qui παιδίον dicatur: cúmque sit substantiuum nomen, cui non potest accommodari, quod subintelligendum esse censet Galenus, νόσος, cẽsendum erit, neq; illam lectionem mendo carere. Cùm verò duo sint adiectiua nomina à τῶν παίδων deriuata, quæ adiectiua cùm sint, facilè dictioni νόσος accommodari possunt παιδικὸς & παίδειος quæ puerile significant, alterutram ex iis loco dictionis παιδίον substituendam esse facilè censerem, & ob maioré similitudinem etiam magis ꝓbatur postrema, vt παίδειον legamus, quòd solùm vna litera, ε, sit superaddita, & eandem terminationem habeat: vt sensus sit Galeni eo in loco, túncque morbus iste puerilis appellatur, vt ipse libro de Aëribus, Aquis, Locis indicauit iis verbis: pueris accidere conuulsiones, & asthmata, quæ putant puerilem efficere, & sacrum morbum esse: in qua oratione planum est subaudiri oportere affectum, vt sic legatur: quæ puerilem affectum efficere, & sacrum esse morbum existimant: quod non animaduertẽs Crassus, qui eos libros in latinum vertit, ita est interpretatus: túncq; morbus iste puerilis appellatur, quemadmodum ipse libro de Aërib. Loc. Aq. ita scribens significauit. Pueris accidere conuulsiones, & suspiria, siue anhelitus, quæ putant puerilem efficerem, & sacrum morbum esse. In his verbis clarè patet illi dictioni puerilem subintelligendum esse affectum, vt locutio ita se habeat. Quæ putant puerilem affectum efficere, & sacrum morbum esse. Rasarius autem Basiliensem lectioné secutus vertit non puerilem, sed puerorum. Hæc cùm aliquando cum doctisśimo viro Zacharia Caimo, vt moris mei est, conferrem, hanc loci Galeni castigationem quàm maximè probabat, at tamen correctionem, vel potius explicationem loci Hippocr. à Galeno traditam nullo modo recipiebat, quòd non videret, quid (si eo modo Hippocr. locū intelligamus) sibi velit, cùm dicit: Et quæ existimant puerilem efficere, id est, morbum. Relatio enim ἃ, id est, quæ, nihil habet, cui referatur: & sensus esset; pueris accidere cõuulsiones, & asthmata, & eos morbos, quos putant puerilem affectum efficere: nulli auté sunt morbi, qui puerilem affectum efficiant, id est, constituant. Præterea dictio, existimant, significat vulgi opinionem, quę de causis illius morbi alia est. Propterea censebat ipse locum quidem hunc Hippocr. esse deprauatū, & loco παιδίον legendum esse τὸ θεῖον, sicq; optimum habebit sensum: & quæ, id est, νοσήματα, vel q̃s morbos existimant Deum efficere, & subdens signum, & sacrum esse morbum. Hanc lectioné coniecturis assequebatur, quod libro de Morbo sacro qui vel Hippoc. est, vel ab hoc libro ex parte depromptus, hanc habeat iisdem verbis sententiā. Hęc opinio ita mihi arrisit, vt quamuis prius Galeni sentẽtiæ essem assentitus, placuit tamen mutare sententiam: quod vt efficiā alacriùs, duo sunt, quæ me inuitant: primùm q; verbum νομίζειν, significare mihi videtur hominum opinionem. at verò vulgaris erat hominum opinio Deum hunc morbum immittere, & propterea illum sacrum appellabant: alterū quod Zuingerus doctisśim⁹ siue ope antiquorum exemplarium, siue & ipse sola coniectura ductus in margine hanc lectionem annotauit; quinimò coniunctionem τι addidit hoc modo: τίτι θεῖον, quæ efficit, vt faciliùs lapsus is accidere potuerit: nam eandem fere habent terminationem, τὸ παιδίον & τίτι θεῖον. Non negauerim tamen Galeni explicationem huius loci, si castigetur eo modo, quo diximus, vt scilicet loco παιδίον, legamus παιδικὸν, vel παίδειον, posse admitti, modò legamus sine coniunctione καὶ, vt Basilienses libri, & Zuingerus habent: maximè cùm Galenus loco citato tum in Aldina, tum in Basiliensi Græca impresśione nulla adsit copula: hoc enim significabit, Pueris superuenire conuulsiones, & asthmata, id est, per se: quę existimant puerilem affectum efficere, id est, constituere, vbi iunguntur simul, & sacrum morbū esse: maximè cùm relatio illa ἃ referatur ad νοσήματα, quare non erit difficile Hippocr. statim cùm dicit puerilem efficere, intelligere morbum. Quæ me mouent, vt credam cõcedi hanc lectionem posse, plura sunt: Primùm, quòd nõ hoc loco solùm, sed alibi idem Galen. ex hoc libro puerilem hunc morbum esse, & vocari, collegit, vt 5. in 6. de Morb. vulg. 26. & 6. in 6. eiusdem, C. 7. Secundum argumentum, quo quis Galeni opinionem tueri poterit, est, quòd Hippocr. tertio Aphoris. quandoque sub duobus illis nominibus conuulsiones, & asthmata, comprehendit morbum hunc puerilem, nempe co-

mitialem. Cùm enim eo loco recenseret morbos omnes, qui puerorum sunt peculiares, nullam morbi comitialis facit mentionem, nisi sub duobus illis morbis comprehenderetur. Quòd si eo loco hoc præstitit Hippocr. facilè etiam hoc loco illi fuit post duos illos positos morbos pueris superuenire solitos, subdere, quæ existimant puerilem morbum efficere, & sacrum morbum esse. Accedit postremò, quòd Erotianus in suo Onomast. morbi facit mentionem, qui ab Hippocr. πάθος παιδικὸν dicitur: quod nisi hunc locum intelligamus, credo difficile esse apud illum hunc morbum ita dictum vspiam inuenire. Illud solùm obseruandum erit, si Galeni explicationem sequamur; iis quas diximus, rationibus, non esse addendam copulam καὶ: quòd si aliam correctionem sequamur, Aldina hac in parte erit sequenda, & addēda erit copula καὶ: liberum tamen cuique sit, vtramlibet earum sequi. Hic verò affectus est, qui à Græcis ἐπιληψία, quasi supprehensio dicitur, tum & Herculeus morbus, vt videre licet apud Galenum 6. Epid. Sect. 6. Com. vltimo, à nostris comitialis morbus: hunc autem morbum eundem sacrum ab aliquibus putari scribit: quæ denominatio si intelligatur facta, quēadmodum primi illi nominū impositores crediderunt, meritò reprehendi debent, quemadmodum fecit Hippocrates, lib. de sacro morbo (si modò illi attribui debet, quod in præsentia non cōtenderim.) Sic enim appellarunt, quòd diuina ope solùm, puta, incantationibus, magicis expiationibus, non humana, tolli posse crederent. Dici tamen optima ratione aliquando potest sacer morbus, siue quòd nobilissimā partem, & sacræ quasi rei animæ domicilium caput offendere soleat: aut certè (quod & verisimilius) ob affectus magnitudinem, siquidem Græcia sacrum pro magno vsurpat; vt cùm os sacrum dicūt, & nos sacram ancoram dicimus, id est, maximam, & validissimam, quam tantū mittunt, cùm extremo laborant discrimine: quomodo Celsum intellexisse libro tertio, capite 23. videmus, vbi morbum hunc morbum maximum appellat: quomodo etiam morbum hunc sacrum appellari testatus est Aret. libro j. cap. 4. Sunt & qui sacrum, id est, execrabilem dictum putent, quòd qui illo laborant, saltem in accessione abominabiles sint omnibus. Vnde Plinius libro 10. Naturalis histor. capite 23. inquit, hunc morbum despui solitum, proinde ac si contagione ipsos esset inuasurus: hinc Plauto sacerrimus homo, id est, scelestissimus dicitur. Puerilis verò dicitur, quòd ita puerorum sit familiaris, vt rarò vltra illam ætatem accidat, quemadmodum docet Hippocr. libro de Sacro morbo: à quo mutuatus est Aristoteles 10. Section. Problem. 50. rum & 32. Problem. 56. & 27. tantæque familiaritatis existit, vt propter hanc causam nō nisi post septimum diem pueris olim nomina imponerentur, quos eo morbo interire ante hunc terminum tradit, tanquam saluti puerorum iam magis credamus. Hæc igitur cùm ita se habeant, si quis rectè, quæ à nobis de naturali locorum habitudine dicta sunt, considerauerit, non ita erit difficile reddere rationem, quare pueri, qui in huiusmodi locis degunt, maximè morbo comitiali laborent: nam cùm epilepsia fiat meatibus cerebri, vnde spiritus hinc inde transfluunt, à crassa, viscidaque pituita, aut etiam atro humore obstructis; vnde & subita quædam accessio oritur, crassis solùm iis humoribus vehementem hanc, atque subitaneam obstructionem producere valentibus, & subita solutio impetu magno spiritibus materiam illam impellentibus, vt docet Galenus 2. de Causis sympt. vlt. & 3. de Locis Affectis 7. mutuatus verò est hæc omnia ab Hippocr. lib. de Morbo sacro, vbi dicit: defluit autem pituita à cerebro, quæ si à viis exclusa fuerit, quas diximus, & in venas defluxum fecerit, mutus fit, suffocatur, & spuma ex ore defluit: Sicut & 4. de Ratione victus in acutis 27. Cùm igitur natura sua pueri humidissimi sint, potissimum autem capite tum ob naturalem temperaturam, tum ob edacitatem, multam quoq; pituitam in capite potissimum aggregari necesse est, vt docet Galenus 1. in sextum Epidem. C. 5. si præterea ratione loci, aërisque ambientis aliqua accedat occasio, omnium facilimè in hunc morbum incident: accedunt enim austrini venti, qui etiam Hippocr. lib. de Sacro morbo solent comitialē morbum producere: huc enim spectat etiam, quod ait Auicen. septentrionalibus comitialem morbum non euenire, quia sunt introrsum sani, & calore præpotenti: quòd si quandoq; euenit, atrocissimum esse, quia causa est præpotens: vnde cap. 10. T. 5. Fen. j. primi libri Canonum reddit huius Hippocraticæ sententiæ rationem, cùm dicit, propterea quòd mouent humores, & implent cerebrum, & subtiliant eos, & eleuant eos ad cerebrum. Ex iis igitur patet, quomodo vera sit Hippocr. sententia. Quocirca non possum cum Galeno tertia Aphorism. 29. non multum Hippocr. demirari, qui cum tertio Aphoris. lib. cuiuscunque ætatis peculiares morbos ad censum reuocaret, dum puerorum proprios recenset, omissa epilepsia, solius conuulsionis faciat mentionem: Cùm verò iuuenum morbos proprios 29. enumerat, inter alios morbum comitialem collocat, secus, quàm hoc loco faciat, vbi nun modò infantium peculiarem facit, sed etiam puerili nomine eum insigniuit; inter iuueniles autem nullo modo recenset; imò libro de Sacro morbo puerorum peculiarem esse scribit, quē alibi cum pubertate immutari scribit: Nisi dixerimus ab experientia sumpta solutione, quòd cùm infantibus neque vehemens, neque cum grauissimis illis accidentibus, neque ita iteratò eueniat hic morbus, inter

puerilea

pueriles eum non seiunxit à conuulsione: At quamuis iuuenibus rariùs eueniat, cùm tamen acciderit, per totam ætatem perseuerat, frequẽtiores habet paroxysmos & vehemẽtiores, inter peculiares iuuenum collocauit.

VI.

Τοῖσι δὲ ἀνδράσιν δυσεντερίας, καὶ διαῤῥοίας, καὶ ἠπιάλους, καὶ πυρετοὺς πολυχρονίους χειμερινούς, καὶ ἐπινυκτίδας πολλάς, καὶ αἱμοῤῥοΐδας ἐν τῇ ἕδρῃ. πλευρίτιδες δὲ, καὶ περιπνευμονίαι, καὶ καῦσοι, καὶ ὁκόσα ὀξέα νοσήματα νομίζονται, οὐκ ἐγγίνονται πολλά. οὐ γὰρ οἷόν τε, ὅκου ἂν κοιλίαι ὑγραὶ ἔωσι, τὰς νούσους ταύτας ἰσχύειν. ὀφθαλμίαι τε ἐγγίνονται ὑγραί, καὶ οὐ χαλεπαί, ὀλιγοχρόνιοι, ἢν μή τι καταλάβῃ νόσημα πάγκοινον ἐκ μεταβολῆς.

Viris autem dysenterias, & fluxus ventris, & epialas, & febres longas hybernas, & epinyctidas, id est, nocturnas pustulas multas, & hæmorrhoides in sede. Pleuritides autem, & peripneumoniæ, & febres ardentes, & quicunq; morbi acuti putantur, non multùm proueniũt: non enim fieri potest, vt hi morbi vigeant, vbi alui liquidæ existunt. Lippitudines autem exoriuntur humidæ, non graues, breuis temporũ, nisi ex mutationibus morbi aliqui communiter affligant.

Cùm tertio lib. Aphoris. docuisset Hippocr. quamplures morbos vnicuique ætati peculiares, inter quos etiam Aphor. 30. eos posuit, qui viris, consistentibusq; sunt peculiares, ne quis crederet hos eosdem iis viris, qui ciuitates, locaq; incolunt meridiem spectantia, omnes accidere: docet hoc loco, quos morbos ex illis is situs locorum in viris admittat, quósve respuat, atq; aliquos etiam addit peculiares ratione situs.

Viris autem δυσεντερίας.] Nomen hoc Græcum si Latinum reddere voluissemus, difficultates intestinorum, aut magis Latinè cum Celso libro quarto, cap. 15. tormina verteremus: significat verò hoc dolorosum sanguinis per aluum profluuium cum intestinorum exulceratione, nomine sumpto, vt optimè docet Galenus 2. Methodi medendi c. 2. à læsa particula; cùm ἔντερα intestina à Græcis dicantur, & à difficultate officij, vt docet Cælius Aurelianus lib. 4. cap. 6. vnde optimè difficultas intestinorũ, & tormina diceretur, quòd exulceratione torqueantur intestina dolore. Verùm iure merito Græcum nomen in præsentia retinuimus: difficultas enim intestinorum, & tormina Latinis dicũtur de vera exulceratione intestinorum cum sanguinolento fluxu; nunquam verò de cæteris citra exulcerationem eorundem sanguinis per sedẽ excretionibus, vt hepatico sanguinis fluore, & cæteris: at dysenteriæ nomen, quamuis reuera propriè solum de eadem dicatur, vt docet Galen. 6. de Locis Patientib. cap. 2. circa principium, & secundo eiusdem cap. 5. & tertio de Sympt. caussis, cap. 2. & Alex. lib. 8. cap. 7. Antiquiorum tamen nonnulli non eam solùm, sed aliam quoq;, quæ cruenta dicitur ob excretorũ speciem dysenteriam appellant; inter quos est etiam quandoq; Hippocr. vt videre licet quarta sectione de Articulis, part. 40. vbi dysenteriæ vocabulo vsus est, non pro intestinorum exulceratione, sed pro cruenta ex intestinis proluuie, vt ibidem docet Galenus. Cùm igitur credam ipse dysenteriæ nomine omnes sanguinolentas excretiones per aluũ significari, hoc loco retinendum esse Græcum nomen duxi: nec certè immeritò: nam cùm dysenteria, quæ propriè sic appellatur, sit Galeno teste locis propositis rheumatismus intestinorum cum exulceratione: Cumq; peculiarem virorum hunc morbum esse testatus sit Hippocr. 3. Aphor. Aphor. 30. si ad hoc aduẽtitia aliqua caussa accedat, magis etiam in eis euenient. Cùm verò statutũ sit, homines in huiusmodi locis degentes capita humida habere, ac multa pituita referta, cùm aduenientibus Austris & repleantur magis, & incalescãt, putredinem, & subinde salsedinem pituitam contrahere oportet, vt docet Galen. 3. Aphor. 12. potissimum in ætate illa calida, qua postmodum in intestina deriuata ob grauitatem, fluxus alui sanguinei cum exulceratione intestinorum generantur salsa pituita intestinorum internis tunicis adhærente, & abradente; tum & bile illi admixta: vt docet Hippoc. 3. de Diæta, num. 12. Aliæ autem etiam sanguinis per aluum excretionis huius ætatis hominib. facilè poterunt accidere, puta quæ ex sanguinis solita aliqua fluxione impedita oriẽ, vt hæmorrhoidibus suppresis, & menstruis retentis; de quibus Gal. 5. de Locis Patientib. cap. 7. & quæ hepatica dicitur, cùm ob iecinoris imbecillitatem aquosus humor deiicitur, quem loturæ carnium similem esse videmus: cùm enim laxatis partibus omnibus debiles in operationibus redditæ sint, & excrementis sanguineis vniuersum corpus scatebit, & facilè naturali iecinoris facultate languida reddita, excrementoso sanguine, & incocto multo genito passio hæc excitabitur: vnde Hippocr. lib. de Affectib. num. 24. inquit: dysenteria tunc fit, cùm bilis, & pituita in aluum decubuerint, & in venas; ægrotat quidem sanguis, & corruptus secedit, ægrotat & intestinum, & raditur, & exulceratur.

Καὶ διαῤῥοίας.] Nos cum Celso fluxus ventris vertimus lib. 4. c. 19. est enim diarrhœa frequẽs humidorum cuiuscunq; generis excrementorum deiectio citra cruentam fluxionem, tensionem, & ciborum cruditatem, vt docet Galen. 2. in 1. Epidem. C. 36. Cùm igitur humida, & pituita referta capita homines habeant, si tanta non accedat caliditas, quæ putredinem concitet, salsedinemq; faciat, aut multam bilis ad-

mixtionem non efficiat, non dysenteriæ, sed diarrhœæ excitabũtur, quas à simplici, nõ mordaci pituita à capite defluxa sæpe scribit excitari Hippocr. lib. de Affectionibus: vnde septima Aphoris. 30. spumosa excrementa in alui profluuiis significare scribit pituitam eorum causam esse à capite defluxam: quæ etiam in causa est, vt balbi facilè longis alui profluuiis teneantur. 5. Aphoris. 32. hæc verò hac ætate potissimum accidunt, quòd morbos huiusmodi virorum proprios esse testetur etiam tertio Aphorismorum 30.

Ἠπίαλοι.] Vertit Germanus interpres febres leues; sed malè, cùm non omnes febres leues hoc nomine comprehendantur, sed illę solùm, quę à pituita vitrea semiputrefacta generantur, in quibus vno, & eodem tempore secundùm omnes partes frigus, & calor simul persentiuntur: cùm enim vitrea pituita omnium humorũ frigidissima sit, si omnino imputrefacta manet, sed partibus sensibilibus adhæreat, rigorem citra febrem facit: si verò vndequaq; putredinẽ contraxerit (quod ob summam eius frigiditatem rarò accidit) febres quotidianas excitat: cùm verò ex dimidio computruerit, nõ per totam suam essentiã æqualiter, febres epialæ excitantur, in quibus ægri simul rigent, & simul febriunt, quòd humoris imputrefactæ partes per venas dispersæ, vel etiam per vniuersum corpus ob frigiditatem naturalem rigorem excitent, putrefactæ verò febrem accendant: vt docet Galen. 2. de Diff. feb. cap. 7. & Aëtius 2. Quater. Ser. 1. cap. 82. vnde Paulus lib. 2. cap. 26. ex eius natura nominis etymologiæ rationem reddit: sic enim dici scribit per metaphoram ἀπὸ τῆς ἠπίας ἁλὸς φαινομένης, id est, à mari leni, & placido apparente; cùm alioqui, cùm turbatur, plenum sit timoris, & periculi, vel παρὰ τὸ ἠπίως ἀλεαίνειν, vt & Paulus loco citato, & Act. lib. 2. Meth. cap. 1. quod est ab eo, quòd blandè, & leuiter calefacit. Verùm notandum est, ne, dum errorem interpretis euitamus, vsi Græca dictione, in maiorẽ incidamus: nam quamuis à Græcis omnibus ea statuatur epiala febris, quæ à nobis ex iisdẽ descripta est: Auic. tamen lib. 4. Can. Fen. 1. Tract. 2. cap. 50. non hanc epialam nominat (hanc enim cap. 52. innominatam relinquit, quamuis signis circumscribat) sed aliam, quæ omnino lipyrię contraria est, in qua scilicet externa aduri videntur, interna verò frigidissima persentiuntur, in hoc Mesuei filium imitatus, vt videre licet apud Razem 30. lib. Contin. tract. 11. cap. primo, in qua re deceptos esse credimus, cùm dari talem febrem vix credere possimus. Cúmque hac in re à Græcis omnibus, & Mauritanis dissentiant, vt videre licet apud Razem loco citato, vbi tum ex propria, tum ex aliorum sententia hanc opinionem impugnat, & Aliabatẽ tertio Pract. cap. 18. Epialam igitur Græco more intelligo, quæ viris in huiusmodi locis degentibus facilè accidit, quòd cùm pituitosa capita habeant, vniuersumq; corpus hac ratione affluat, accedentibus causis putredinem excitare aptis, vt austrinis flatibus, in illa putredo excitatur. Verùm cùm non vndequaq; ob repugnantem naturam putredinem cõtrahere possit, calor, & frigus simul in partibus persentitur, ille quidem ob putredinosum, febrilemq; calorem, hic ob frigidum humorem per venas, vniuersasq; corporis partes dispersum.

Et febres diuturnas hybernas.] Eædem propemodum causæ reddi possunt, quare in viris huiusmodi febres eueniant, quæ etiam de epialis dictæ sunt; à pituita enim, vel sola, vel aliis humoribus crassis mixta in intestinis, vel circa ventriculum, visceraq; caua coërcita putrescente fieri solent, diuturnæ quidem ob humoris tum multitudinem, tum crassitiem, quæ à natura iis rationibus non nisi longo pòst tempore superari possunt: Qua ratione & hybernæ sunt. Quamuis autem has peculiares puerorũ grandiorum statuat Hippocr. tertio Aphor. 27. nihilominus cùm ex ambiente similem pueris aliò degentibus temperaturam viri nacti sint, meritò hoc loco inter proprias virorum huiusmodi collocauit.

Καὶ ἐπινυκτίδες πολλαί.] Nomen hoc etymologiam secuti vertere poterimus nocturnas pustulas: docuit enim Galenus 2. Meth. med. cap. 2. versus finẽ, sic dictas esse, ὅτι νύκτωρ ἐφύοντο, id est quoniam noctu enascuntur: sunt enim pustulæ, quæ nascũtur, in eminentibus partibus potissimum noctu, vt docet Celsus lib. 5. cap. 28. Sect. 14. vnde etiam nomẽ ipsis impositum esse scribit. Neq; dissentit ab iis Paulus lib. 4. cap. 9. & Aëtius quarto Quater. Ser. secũdo, cap. 61. vbi nõ ab eo, quòd noctu oriantur, sed quòd per noctẽ vehementiùs affligant, sic nominari crediderunt: eadem namq; hora, qua ortũ habent, etiam exacerbari ob refluẽtes succos, & ob condensatam eo tẽpore cutim est verisimile: quid verò sit tumoris, & qualis sit, à Galeno definitum non legimus: libro enim de Tum. præter naturam, cap. 16. de Epinyctide agens, eius definitionem tanquam eo tempore notissimam prętermittit. Cornel. Celsus loco citato, eã pustulam esse scribit pessimam, colore sublucidã, vel subnigram, vel albam, circa quam vehemẽs est inflammatio, & cùm adaperta est, reperitur intus exulceratio mucosa: colore est humori suo persimilis, dolor ex ea supra magnitudinẽ eius est; neq; enim ea faba maior est: atq; hæc oritur quoq; in eminentibus partibus, & ferè noctu: vnde etiam Plin. lib. 20. cap. 6. circa princip. epinyctidas pustulas esse scribit liuentes, & noctibus inquietantes: & Pollux in Onomast. pustulas subliuidas, modicè tumescẽtes, & plenas sanguine in tibiis, & pedibus ferè noctu maximè infestantes. Paulus verò lib. quarto, cap. 9. & Aet. loco citato multò diuersimodè eas definiuerunt, atq; signis circumscripserunt, siquidem epinyctides vlcuscula esse sua

sponte

sponte erumpentia, φλυκταινώδη, id est, phlyctę-nis, bullisq; similia, subrubra, quibus disruptis cruenta sanies defluit, per diemq; non magnopere excruciant, per noctem verò grauiter, magis quàm pro ratione vlceris dolore torquēt. In qua definitione, & à Celso diuersos esse, & à vero deuiasse crediderim: Celsus sub tumoribus collocauit; Paulus sub exulceratione: ille colore subliuidas, aut etiā subnigras, & albas: quib. adapertis mucosa intus conspiciatur exulceratio, atq; eo colore prædita, quo humor, vnde pustula. Paulus autem subrubra vlcuscula, ex quibus subrubrum ichorem emanare voluit: rationi verò etiam meo iudicio aduersatur, nam si nocturnæ pustulæ sunt, quomodo à bile, sanguineve originem ducent, quorū interdiu maior, vehementiorq; esse solet exagitatio: quòd si album, subnigrū, vel subliuidū tumorem statuamus, manifesta est ratio, quare nocte potiùs oriantur, cùm à pituita, vel atra bile oriantur, quorū motus, & exacerbationes acriores, & vehementiores esse solent in nocte: at quæ à Paulo, & Aëtio epinyctis definitur, potius ἰονθοις, diarius nempe affectus dici deberet: quoniam, quæ à bilioso humore oriūtur affectiones, aut à sanguine, solent in die vehementiùs, & sæpius hominem molestare; quanquam etiam nocte aliquando affligere possint, quemadmodū & veræ nocturnæ pustulæ interdiu aliquando afficiūt. Harum igitur pustularum, vel potiùs tuberculorum causa potissima est pituita vitrea, cuius ratione albus tumor conspicitur, vel etiā melancholicus succus cōmutata per adustionē bile, quæ, vt facilius ad externas partes pituita ferri possit, admisceri debet, in atrum humorē, pro cuius maiori, vel minori admixtione color subliuid⁹, liuidus, vel subniger producitur: ob maiorem tamen pituitæ copiam adaperta pustula (vt Celsus ait) mucosa exulceratio intus reperitur: hæc cùm ita sint, non multū erit difficile reddere rationem, cur in huiusmodi situm habentib. locis in virili ætate constituti homines maximè epinyctidib. corripi soleant: cùm enim iam statorū sit ambitum totius corporis in his locis esse laxum, atq; languidū: cumq; capur multa pituita refertū sit, austris aduenientibus ad inferna descendit, quæ à calore ambientis excalefacta, salsa reddita ad locum à natura ad id institutum sæpenumero expellitur, cuiusmodi cutis est: humores enim excrementitij cùm ad corporis nutritionem ex natura sua inepti sint, & ad alimoniam illi præbendā, vel quadam naturę prouidentia certi alicuius vsus gratia in conceptacula quędam relegantur, vel foris ad extimas partes propulsi, tumores, pustulas, cutisq; defœdationes excitant, aut insensibiliter per cutim expirant, aut etiam sensibiliter per sudorem emittūtur: q̄ si intra retineant, febres putridas excitant: hanc igitur excrementitiam pituitā, quæ natura sua nocte potiùs mouerí solet, facultas etiam post somnū validior facta tanquā noxiā tentat expellere, atq; ad cutim transmittit. Verùm cùm ob eius crassitiem non ita facilè possit expelli, validiusq; cuti adhęreat, & quoniam nocte ob aëris frigiditatem cutis densior facta est, cutis in tumorem eleuatur, atq; pustulæ generantur.

Et hæmorrhoides in sede] Cùm sanguinis melancholici copia ob adustionem esse soleat magna in ætate cōsistenti; qua ratione huius ætatis peculiarem hunc morbū esse voluit Hippoc. 3. Aphor. 30. non erit mirū, si iisdem in ciuitatibus hunc situm habentibus frequentior sit, nouis ad hanc occasionem accedentib. causis, calida, scilicet aëris constitutione apta magis melancholicum sanguinem efficere, & austrinis ventis vniuersum corpus, venasq; potissimū aperientibus. Quòd si modum, quo excitantur, ab Hippoc. lib. de Hæmorrhoidib. propositū cōsiderauerimus, facilius erit huius rei rationē reddere, dicit enim, q̄ hoc modo fit hæmorrhoidū morbus, cùm bilis, vel pituita ad venas recti intestini decubuerit; sanguinē enim, qui in venis est, calefacit, calescentes aūt venæ ex vicinis venulis sanguinem attrahūt, & vbi replentur, interna sedis pars intumescit, & capita venarū sū pereminent, & partim dum à stercore exeunte comprimuntur, partim dū à coaceruato sanguine cogūtur, sanguinem eiaculant, atq; hoc quidem maximè cū stercore, aliquādo verò etiam sine stercore, aliasq; etiā cæcas facit, alias apertas. Cùm igit̄ ratione ætatis sanguis adust⁹ generetur, & bilis ratione ambientis nos aëris, pituita aūt salsa ex capite ad inferna descendat, q̄ vel primaria hui⁹ symptomatis, vel certè coadiuuās, & aduētitia causa esse solet, vt docet Galen. 2. ad Glauc. c. 10. tertio in 6. Epid. 37. & 5. in 6. Epid. 25. tum & lib. de Atra bile, c. 4. sequitur, vt facilè affectione hac viri loca meridionales ventos excipientia incolentes tententur.

Pleuritides autem, peripneumoniæ, febres ardentes, & quęcunq; morbi acuti putantur, non multum proueniunt] Docuerat tertio Aphorís. 30. virilis ætatis multos esse peculiares morbos, quorum cùm nonnullos docuisset esse etiam virorum peculiares in locis meridiē spectantibus, ne illos omnes in 30. Aphorismo propositos eisdem conuenlare sibi persuaderet aliquis, ex illis nōnullas eximit hoc loco vtpote minus huiusmodi situi cōuenientes, pleuritides, id est, inflāmationes mēbranę costas succingētis à bilioso sanguine factas, peripneumonias, pulmonis s. inflammationes, ardētes febres ex biliosa materia in incendiū, putredinēq; versa, cor, & pręcordia obsidēte, & adurēte, factas, tū & morbos quoscūq; q̄s antiqui putarūt acutos. Cur aūt dixerit hoc loco, q̄s antiqui putarūt acutos (intelligit aūt eos, q̄s materia biliosa sedē aliquā firmā habēs solet pducere) nō ita facilè intelligi pōt: Aliqui .n. hac nostra ætate viri clarissimi, q̄s etiam aliquando habui præceptores, dum conarent̄ loca Hippocr. & Galeni inter se contradicentiā

cõciliare, quòd aliquando omnes acutos cum febre, aliquando verò aliquos etiam citra febrẽ acutos reperiri scripserint, hac freti Hipp. sententia, tum & alia primo de ratione Victus in acut. octauo, crediderunt, cùm omnes acutos cum febre statuit, ex antiquorum sententia id asseruisse: vnde loco citato, dum ex mente antiquorum acutos enumerat, eos solùm proposuit, qui cum febre sunt continua, pleuritim, peripneumoniã, causum, & huiusmodi, sicut hoc loco, & in lib. de Affectionibus: hoc enim, inquiunt, non probat Hippoc. cùm doceat se aliquando cognouisse acutos sine febre, vt primo Prognost. 25. tertio Prognost. 34. tertio Aphor. 19. quinto Aphor. 30. sexto Aphor. 54. & septima Aphoris. primo: qualis est tetanus, apoplexia, epilepsia, quos acutos reuera statuit, cùm alioqui careant omnino febre. Verùm meo iudicio econtrà omnino sese res habet, repugnat enim è directo Galeno hæc sententia; is enim tertio de diebus Decret. cap. vltimo, tum & tertio Prognost. Comment. 10. non ex mente antiquorum loquitur, sed ipsius Hippocr. cui etiã attribuit voluisse febrem cõtinuam proprium esse accidens acutorum: imò distinguens Hippocratis opinionem ab illa Archigenis, qui dicebat, quod acuti morbi propter celeritatem sunt periculosi: At (inquit) Hippoc. volebat periculosos esse, quia sunt cum febre continua: Scio quid clarissimi viri in hac dissoluenda difficultate dicant, verùm illud recensere ob longitudinem in præsentia superfluum duxi, solumq; illud proponam, quod ipse hac de re sentio: quod vt commodiùs pręstare possim, nonnulla prænotare oportet. Acuti morbi in duo summa genera diuiduntur; alij enim propriè acuti dicuntur, aliqui verò impropriè. hęc distinctio quamuis voluntaria fortasse videatur, & talis, vt per hanc, vel similem omnes difficultates tolli possint, ex Galeni tamẽ penu deprom ptam, & rationi maximè consentaneã esse manifestum faciam. nam tertio de difficultate Respirationis, cap. 9. reddens rationẽ, quare Hippocr. mentionem non fecerit inæqualis respirationis, qualis duplex intro reuocatio: respondet, quòd in Aphor. & in lib. Prædictionum de acutorum signis loquitur, qui propriè, & verè acuti sunt, accidens verò illud respirationis sequitur conuulsionem, quæ reuera acutus propriè dici non potest, quia aliquando est sine febre: at verè acuti sunt, qui sunt omnino cum febribus acutis, vt voluit primo de ratione Victus in acut. 8. dicens: Sunt autem hi acuti morbi, quos nominant antiqui pleuritim, phrenitim, peripneumoniam, causum, & alia quæcunque ex iis acutis febribus inngũtur. Igitur qui morbus continuam febrem non habet, licet acutus sit, non tamen propriè talis esse poterit. Verùm quare talis distinctio maximè in acuti nomine vera sit, ea est causa: quoniam acutus morbus est, qui velociter sese mouendo breui tempore absoluitur, cum periculoq; existit: nõ enim quòd breui tempore absoluatur, acutus est, quia diaria febris citò absoluitᷣ, & tertiana intermittens, tamen inter acutos non sunt: vnde fit, vt breuis temporis morbi nõ omnes sint periculosi, sed illi solùm, qui breuitatẽ ex motus velocitate sunt adepti. Exemplo eorũ, qui, quòd veloci motu ferantur, ne cadant, periculum subeunt. Qui verò morbi citra periculum fuerint, acuti non sunt, sed breues, quemadmodum docet Galen. 3. de diebus Decret. vltimo, & secundo eiusdem cap. 12. sicut & 2. Aphor. 23. Cùm igitur talis sit acutus morbus, duplici etiam ratione huiusmodi esse poterit, vel ratione partis, quam afficiunt, vel ratione propriæ essentiæ: ratione partis, quando pars aliqua ex principalibus ita læditur, vt virtutes principales deiiciat; sic est apoplexia, morbus comitialis, angina, pleuritis, peripneumonia, quia citò periculũ inuehunt magnitudine sua, cùm principes facultates animalem, & vitalem lædant: Ratione partis etiam bifariam sunt acuti, quidam enim habent febrem continuam, vt angina, pleuritis, & peripneumonia, cùm inflammationes sint: quidam sunt citra febrem, vt apoplexia, & morbus comitialis: ratione etiam propriæ essentiæ acutus erit morbus tum ratione materiæ, tum ratione formæ: materiæ quidem calidioris, tenuiorisq;, tum etiam acris, furiosæ, mordacis, citoq; mobilis, vniuerso corpori communis: hanc distinctionem acutorum docuit Galenus 2. Aphor. C. 19. vnde fit, vt multi sint morbi, qui ratione suæ essentiæ diuturni sunt, ratione tamẽ, qua principes partes lædunt, acuti quandoq; dicuntur, vt apoplexia, morbus comitialis, & cæteri frigidi affectus principes partes affligentes: nam ratione suæ essentiæ, puta materiæ, & formæ sunt diuturni: materia siquidem pituitosa est; quæ frigida, & humida cùm sit, longos morbos solet producere, qui vt plurimum senes comitantur ad mortem, vt testatur Hippocr. 2. Aphor. quia ob eius crassitiem, frigiditatem, & humiditatem, non nisi longo temporis tractu potest cõcoqui, & attenuari: quòd si materia hæc principes facultates læserit, periculumq; fuerit subitę extinctionis, & mortis, vt si cerebrum petierit, obstructionemq; fecerit in eius ventriculis, vt omnes nerui, qui & sensum, & motũ per vniuersum transferunt, obstructi sint, quam ob causam apoplexia fit, cùm periculum sit extinctionis, & suffocationis caloris naturalis; nec possit virtus motiua thoracis musculos mouere, vt pulmo præparatum cordi aërem pro interni caloris refrigeratione, & vẽtilatione trãsmittat, acuti hac ratione diei possũt: & hoc fortasse præ se ferebãt Galeni verba quarto de causis Pulsuũ, cap. 12. vbi morbi comitialis accessiones acutas esse dicit, morbum tamen ipsum fore diuturnũ; ratione enim accessionis, quia periculum imminet, ne subitò vires principes

pes destruat,& vitam, quæ citra respirationem esse nequit, sicut nec econtrà ex Galeni sententia 6. de Locis Patientibus, cap. 4. acutus morbus dicitur, ratione tamen materiæ,& formæ diuturnus est. Hac igitur ratione fit, vt alios acutos propriè appellet tertio de difficultate Respirandi, capite nono; alios verò impropriè, quoniam cùm tota acutorum natura in eo consistat; vt velociter moueantur, eaque velocitas magnitudinem semper, & periculum inuehat, efficitur, vt is reuera acutus propriè censeri debeat, qui, quòd velociter moueatur, periculum,& magnitudinem habet: quod cùm eorum morborum solùm sit proprium, qui ex humore calido originem habent, quiq; secum habent febrem continuam adiunctam, quorũ proprium est tam ratione materiæ, quàm formæ, velociter moueri, qua ratione periculo non carent. Quòd si qui morbi fuerint, qui hæc omnia habeát præter motus velocitatem, puta periculum, magnitudinemque, vt si materia aliqua, quæcunque fuerit, princeps aliquod membrum occupet, acuti quidem dici poterunt, quia citò & ipsi terminantur,& periculosi, magnique sunt: sed quoniam velociter non mouentur, impropriè hoc nomine denominantur, qua etiam ratione aliquando diuturni dicuntur. Hinc fit, vt aliquando epilepsiam, attonitum morbum, & huiusmodi morbos febre carentes ab acutis excludat, aliquando verò acutorum numero ascribat Hippocr. Cùm verò antiqui omnes solùm ad velocitatẽ hanc motus, vnde periculum breui impendet, respicerent, quòd ea acutiem in morbis inferat, solùm eos morbos, qui à materia calida,& acri fierent, quique cum febre continua sunt, acutos nominarunt, vt patet libro de Affectib. & primo de Ratione victus in acut. Comment. 8. & hoc loco, vbi videtur ab acutis secludere morbum comitialem, cùm acutos morbos hominibus consistentibus iis, qui in meridiem spectantibus ciuitatibus degunt, raró aduenire scribit, epilepsiam autem peculiarem eorundem testatur: reddit postea rationem, quare iis morbis, qui illius ætatis sunt peculiares, vt docet Hippocr. tertio Aphorism. 30. ij non corripiantur; cùm dicit: [*Non enim fieri potest, vt isti morbi vigeant, vbi alui liquidæ existunt.*] Docebat enim libro 6. Aphorism. Comment. 33. Galenus reddens rationem, cur qui acidum eructant, minimè morbo intercostali corripiantur: quia (inquit) vbi abundat pituita, præsertim si salsedinem, aut acredinem sibi adiunxerit, huiusmodi morbi non vigent; talis enim intestina mordens, irritat ad deiectionem: ac tunc contingit non solùm pituitam, sed plures quoque superfluitates excerni; confirmatque suam sententiam hac Hippocr. lib. de Aëribus, Aquis, & Locis, quam nunc explicamus, sententia; vbi etiam in fine commenti subest mendũ; nam vbi adducens hanc sententiam dicit, qui ventrem natura humidum habent, morbo laterali, atque aliis morborum generibus minimè corripiuntur, legendum est, & aliis acutorum morborum generibus, vt hoc loco habet Hippocr. qua etiam ratione ab Hippocrate dictum est: qui hæmorrhoides habent, neque morbo laterali, neque pulmonario, neque phagedæna, &c. laborant: raró enim accidit in aliquo corpore duo aliqua membra æqualiter esse debilia; in plurimis enim vnum esse huiusmodi deprehenditur, in quod, siue plenitudo, siue alij humores aggregati sint, omnes tanquam ad debilius fluunt: vnũm autem si hæc occupauerint, reliqua membra in sanitate permanẽt: Cuius rei causam Galenus tertio de Facult. naturalibus, capite 13. iis verbis manifestam fecit: Ergo (inquit) sicut inter se particulæ altera ab altera nutrimentum trahunt, ita altera in alteram, quod superuacaneum est, à se deponit,& sicuti trahentium ea vincit, quæ erat valentior, sic & à se deponentium: Estque hæc vocatarum fluxionum causa: habet enim particula quæq; natiuum quoddam robur, quo quod superuacaneum est, persequitur. Vbi igitur earum aliqua affectus cuiuspiam ratione imbecillior est reddita, ex omnibus in illam confluere, quæ superuacanea sunt, necesse est: ea namque quæcunq; pars valentissima est, in vicinas omnes reponit, earum rursus singulæ in alias: idq; eatenus longissimè procedit, quoad ex omnibus fugatum superfluum in vnam quampiam maximè imbecillarum procumbat; hinc namque in aliam transfluere nequit, vtpote nec valentiorum aliqua id recipiente, nec laborante ipsa à se pellere valente: fit enim in corporis nostri partibus idem, quod in mala Republica, quam Aristoteles in Polit. oligarchiam vocat; in qua qui plus possunt, imbecilliores opprimunt,& hi rursus alios, donec ad infimam plebem deuentũ sit, quę omni potestate destituta; alios opprimere nó valens, sola oppressa remanet: Sic in corpore nostro, nobiliores partes, q̃ validiorib. facultatib. naturalib. præditæ sunt, ad ignobiliores superflua transmittunt, & hæ ad alias,& successiuè quousq; vel ad ignobilissimam,& proinde debilissimã partẽ decubuerit, vel tandẽ extra corpus pellatur. Noluerim tamẽ ita Hippoc. hoc loco intelligi, vt nunquã cum pleuriti, peripneumonia, aut huiusmodi alui profluuiũ esse possit: posse.n. ad huiusmodi affectus alui profluuiũ sequi docuit 6. Aphor. 16. nam cùm vna pars ita laborat, vt alias etiá & vniuersum corpus in cósensum trahat, non est absurdũ vna parte laboráte, alias etiá pati: vnde meritò malũ esse signũ dicebat loco citato: raró tamẽ cótrà accidit, vt aluo lubrica existẽre, corpus iis passionib. corripiat, nisi tanta adsit humorũ copia, vt vna pars cótinere eam nequeat, tuncq; solent etiam mortem minari natura oppressa: Vnde meritò hoc locõ dixerat non multum prouenire, quia aliquando fiunt.

Lippitudines autem oriuntur humidæ, non graues, breuis temporis, nisi ex mutationibus morbi aliqui communiter affligant.] Ophthalmia, lippitudo Latinis dicta, vt Galenus etiam testatur 4. de Compos. medicamen. per loca, cap. 2. est inflammatio eius tunicæ oculi, quæ adhęret tunicæ corneæ, quã Græci ἐπιπεφυκότα, Latini adnatã, & barbari coniunctiuam, & albam dixerunt: Cuius species pro duplici causa duæ positæ sunt ab Hippocr. in quarum altera cùm acris, biliosus, tenuisque sanguis è temporum, angulorumque venis in obscura, latentiaque oculorum vasa irruat, ab Hippoc. passim sicca appellatur, vt 3. Aphor. 12. 14. & 16. & alibi sæpius; quamuis Gal. 3. Aphor. 16. interdum vocet phlegmonem siccam, feruorem citra humoris affluxũ: quòd si pituita, sanguisve pituitosus bili tamen mixtus eam excitet, humida vocabitur, qualem describit Hippocr. 2. Sect. 1. lib. Epid. T. C. 6. hanc comitantur grauitas insignis, caliditas parua, rubedo non multa; secundam hanc iis, sed debilem aduenire scribit: Et certè iure merito: cùm enim fluxionibus ij facilè ex natura sua corripiantur, cumque caput eorum humidum natura sit, pituitaq; refertum: cùm præterea Austrini flatus particulas omnes rarefacientes potissimum oculis sese offerant, meritò hac passione tentari poterunt. Dixit autem *non graues, breuis temporis*] quia humida intemperies non multum dolorem natura sua solet inferre, sed potius grauamen. Quòd si quis obiiciat Hippocr. 1. lib. de Morb. vulg. Sect. 2. T. 6. humidas lippitudines dolorificas constituisse, is sciat Galenum eo loci non ratione lippitudinis humidas voluisse fuisse cum dolore; sed cùm constitutio illa Aquilonia frigida, & pluuiosa fuisset, ambientis frigiditas cùm natura sua oculis sit inimica, vbi defluxam ad illos materiam repererit, eam compingendo dolorem solet augere: aut profectò dicendum est, quòd graues natura sua essent huiusmodi lippitudines, quia pituita grauitatem, & molestiam non mediocrem infert, cùm tamen alui profluuio facilè, & sæpe corripiãtur, à quo huiusmodi morbus aut solui, aut leuior fieri solet, vt docet Hippocr. 6. Aphor. 17. meritò nõ graues dixit. Hac etiam ratione breues esse dicit, quia, licet ob crassitiem materiæ soleant humidæ lippitudines esse longæ, vt docet Hippoc. 2. Sect. 1. lib. Epidem. T. 6. vbi etiam Galenus reddit rationem, dicens esse longas propter maturationem difficilem, & frigus; maturationes enim fluxionum ab insito calore fiunt, difficili autem negotio fiunt, vbi pituitosa est materia; & vbi languidus est calor, nihilominùs in huiusmodi locis breues sunt, tum quia sæpius corripiuntur alui profluuio, & humidæ sunt alui: lippientem autem ab alui profluuio corripi bonum dicebat Hippocr. 6. Aphoris. 17. & in Coacis pręnot. quia humoris abundantia simul euacuatur, & ad inferna retrahitur: tum etiam quòd cùm partes omnes ratione austrinæ constitutionis rariores redditæ sint, vnde etiam fluxionibus humorum suscipiendis maximè sunt obnoxiæ: facile tamen iis receptis euaporant ob raritatem partium, quæ ad dissipandos facilè humores solet esse auxilio. Accedit postremò, quòd materiei frigidæ admixta est bilis notabilis portio ratione ambientis calidi, quę morbos ex materia pituitosa solet breuiores efficere: quod tertiana notha ad quotidianam comparata ostendit: neq; enim breues absolutè potuit intellexisse, cùm de particularibus locorum positionibus, & morbis in illis euenientibus loquatur, inter se illos comparans: inquit igitur breues esse non absolutè, sed respectu materiæ frigidæ, quæ longos morbos efficere solet.

Nisi ex mutationibus morbi aliqui communiter affligant.] Cùm docuisset viris degentibus in locis Austrinis humidas lippitudines peculiares esse, non graues, & breues: statim subiicit, id intelligendum esse, nisi fortasse contingat ob mutationem aliquam in temporibus, pura, si ęstas fuerit sicca, & aquilonia, autumnusq; sequatur siccus, & aquilonius, viris siccæ lippitudines accident, vt docet Hippocr. 3. Aphor. 14. neq; enim hæc verba referenda sunt ad omnes morbos propositos, quòd illi rarò eueniant, hi verò peculiares sint, nisi fortè contrà accidat ratione constitutionis, & mutationis temporũ: superfluitatis enim esset arguendus Hippocr. qui exacto sermone de morbis propriis cuicunque ætati, in hac ciuitate vniuersaliter hoc repeteret. Nun placet verò ea additio ad hãc particulam, quæ posita est à recẽtioribus, qui proximè commentaria in hunc librum ediderunt, ex Parauino libro desumpta, quæ sic habet: Nisi aliquis morbus omnibus communia à magna mutatione, quæ in cerebro fiat, regionem occupet: quòd nullum omnino sensum habeãt ea verba, nec morbus aliquis communis reperitur, qui ex aliqua magna mutatione cerebri producatur, quin à temporis, & aëris ambientis constitutione proueniat.

VII.

Καὶ ὁκόταν τὰ πεντήκοντα ἔτεα ὑπερβάλλωσι, κατάῤῥοι ἐπιγινόμενοι ἐκ τοῦ ἐγκεφάλου παραπληκτικοὺς ποιέουσι τοὺς ἀνθρώπους, ὁκόταν ἐξαίφνης ἡλιωθέωσι τὴν κεφαλὴν, ἢ ῥιγώσωσι.

Et vbi quinquagesimum annum transgressi fuerint, defluxiones à capite aduenientes, homines paraplecticos faciunt, vbi caput repentè insolatum, aut frigore affectum fuerit.

Postremam ætatem, eiusq; tandem peculiares morbos in ciuitatibus meridiem spectantibus tradidit in præsenti particula Hippocr. per quinquagesimum enim annum trãsgressos intelligit seniores: in duplici enim differentia senectutem antiqui posuerunt: vt docet Galenus 3. Apho. 31. quarũ prima est, ad quam qui peruenêre,

nêre, πρεσβῦται, id est, senes dicuntur, quæ à trigesimoquinto anno ad quinquagesimum usq; pertingit, de qua hoc loco non loquitur, altera ab hoc termino ad finem vitæ perdurat, ad quã qui peruenerũt, γέροντες dicuntur, nos seniores vertere poterimus, quæ senectus in tres quoq; partes diuiditur: prima eos continet, qui viridi adhuc senectute constant, qui commodè ciuilia obire negotia possunt: Secunda eos continet, qui difficilè negotia ciuilia obeunt: tertia est, in qua existit extrema virium imbecillitas. In hac igitur particula de tribus iis senectutis speciebus agit: virorũ enim nomine superiùs primam illam senectutem intelligebat. Seniores igitur istos dicit facile corripi paraplexiis, aduenientibus à capite defluxionibus, vbi id aut insolatum, aut frigore affectum fuerit. Paraplexiæ apud Hippocratem sunt particulares partium resolutiones, in quibus sensu, & motu partes omnino priuantur: vnde Hipp. quarta sectione libri de Ratione vict. in acutis. T. 27. dicit; epilepsiæ, & paraplexiæ fiunt, si cõtinentes locos fluxiones inuaserint, atque spiritibus exire nequeuntibus exaruerint: & Galenus in Com. nam quòd eas, inquit, quę apoplexia, vel epilepsia ad aliquam ex non præcipuis partem irruunt, paralyses, id est resolutiones Hippocrates ita appellet, est demõstratum. Interdum quoque & facta absque conuulsione apoplexia nonnullis affectus in partis resolutionem finiuit, qui paraplexia appellatur: quod & antiquior Galeno Aretęus Cappadox lib. primo de causis & signis diuturnorum morb. cap. 7. manifestissimè ostendit, cùm apoplexiam quandam particularem paraplexiam esse apud Hippocratem docet: Sicut enim in illa totius est corporis in sensu, & motu resolutio: ita hæc eorundem est in membro vno remissio. Vnde si quando Hipp. crus apoplecton, id est attonitum dixit, illud tamquàm mortuo simile, inutile, & insanabile vult appellari: quod enim in toto corpore vehemens est apoplexia, illud in crure paraplegiam vocat. Hac eandem sententiam habet Galenus 2. Prorrhet. Com. 50. & tertio eiusdem Com. 26. & 68. vbi paraplexiam vnius partis, particularem esse apoplexiam, id est, sensus, & motus priuationem. Quare verò hæc senibus accidant in locis meridiem spectantibus, manifesta est causa: cùm enim morbus ille senum alioqui peculiaris sit, vbicumque degãt, vt videre licet tertio Aphor. 31. quoniam partes ad caput attinentes facile in iis fluxionibus tentãtur, destituto capite alioqui natura sua frigido calore suo naturali: Cùm præterea, qui in huiusmodi locis degunt, in quacumque ætate fuerint constituti, capita humida, & multa pituita referta habeant, quid mirum, si in senio tanta adsit pituitæ copia, vt accedente ambiente calido, & humido austrino, rarefactis poris omnium partium, aditus pateat humori, vt ad aliquam partem resideat;

Cùm verò in senibus incoctiles sint humores pituitosi ob caloris imbecillitatem, vt docebat Hippocr. & Galenus secundo Aph. 40. paraplegiásque docuerit Hippocr. quarto de rat. vict. in morb. acut. T. 27. fieri, cũ humores frigidi porissimum in loca recipientia defluxi fuerint, nec expelli, aut concoqui possint, vnde spiritus minimè transfluere possunt, vt animæ cuius sunt instrumentum, inseruire possint, meritò huius ætatis peculiares esse dixit: quod confirmauit etiam primo de morb. vulg. sect. secunda. T. 59. cùm inquit: natu maioribus autem, & quos iam calor deficit, paraplegiæ, aut insaniæ, aut cæcitates: & Galenus ibidem.

Vbi caput repente insolatum] Quamuis fortasse possint etiam per se huiusmodi morbi in his locis senibus accidere; faciliùs tamen aduenient, Sole materias pituitosas in capite existentes colliquante, & fundente:

Aut frigore affectum fuerit] Aliam causam efficientem paraplegiarum in senibus horum locorum ponit frigiditatem, quæ quasi comprimendo materias pituitosas capitis, siue potiùs exprimendo fluxiones parat. Vnde 60. secundæ Sectionis primi lib. Epid. cùm dicit Hipp. in hac tempestate paraplegiæ cœperunt, multósque corripuerunt, ex quibus nonnulli moriebantur. Galenus exponens, reddénsque rationẽ dicit: paraplegias in hyeme dicit Hippocrates fuisse, capite scilicet læso ventorum afflatu, qui ea tempestate spirauerũt frigidi, maximè verò, quòd totus annus calefecerat, & irrigauerat ipsum, atque simul repleuerat.

IIX.

Ταῦτα μὲν τὰ νοσήματα αὐτοῖσιν ἐπιχώριά ἐστι, χωρὶς δὲ, ἤν τι πάγκοινον κατάσχῃ νόσημα ἐκ μεταβολῆς τῶν ὡρέων, καὶ τουτέου μετέχουσιν.

Hi quidem morbi sunt iis vernaculi. Et si quis vniuersalis irruat morbus ex temporũ anni mutatione, sunt ij illius quoq; participes.

Docuerat Hippocr. hactenus morbos peculiares eorum, qui loca austrum spectantia incolunt: ne quis autẽ existimaret alio genere morborum corripi eos nõ posse, statim subdit morbos enumeratos esse regionales, patrios scilicet illius loci ex accidentali aliqua, firma tamẽ, & difficulter amouibili causa originem ducentes eo modo, quo à nobis superius est demonstratum: quòd si ex mutatione aliqua notabili temporis aliam subeat ambiens qualitatem, alios alterius generis morbos procreari videbimus ab aliqua accidentali causa præter naturã productos, quos epidemicos Greci, nos populares, siue vulgariter vagantes appellamus, & hi nulla habita ratione ætatum, aut sexuum, omnis generis homines, & omnis ætatis, quandoq; inuadunt vltra iam dictos morbos: hanc sententiam tanquam Hippocraticam, & ex hoc lib. desumptam proposuit Galenus in Proœmi

ad primum lib. Epidem. vnde fit certam partẽ hanc huius lib. reuera transpositam esse, & malè collocatam lib. de Vulneribus Capitis.

IX.

Ὁκόσαι δὲ ἀντικέονται τουτέων πρὸς τὰ πνεύματα τὰ ψυχρὰ μεταξὺ τῶν δυσμέων τῶν θερινῶν τοῦ ἡλίου καὶ τῆς ἀνατολῆς τῆς θερινῆς, καὶ αὐτῇσι ταῦτα τὰ πνεύματα ἐπιχώριά ἐστι. τοῦ δὲ νότου καὶ τῶν θερμῶν πνευμάτων σκέπη, ὧδε ἔχει περὶ τῶν πολίων τουτέων. πρῶτον μὲν τὰ ὕδατα σκληρά τε καὶ ψυχρὰ, ὡς ἐπὶ τὸ πλῆθος γλυκαίνεται.

Quæcunq; autem iis ex opposito sita sunt ad ventos frigidos inter occasum Solis æstiuum, & orientem æstiuum, etiam ipsis ij venti sunt indigenæ: ab Austro verò, & calidis ventis sunt protectæ. Et de iis vrbibus sic res se habet. Primùm quidem aquæ, & duræ, & frigidæ magna ex parte dulcescunt.

Cùm ea omnia, quæ de vrbibus meridiẽ spectantibus, quantum ad medicum negotiũ pertinet, tum ventorum naturæ, & aquarum consideratione habita, tum & hominum naturalis, & pręter naturam dispositionis, dici poterant, hactenus summa diligentia sit prosecutus, aggreditur in præsentia, vt, quod ab initio pollicitus erat, perficiat tractationem vrbium opposito modo in situ se habentium, earum scilicet, quæ Septẽtrionem ita respiciunt, vt ab oppositis ventis sint contectæ: quod vt facilius præstare possit, docet primò quæ Septentrioni versæ ciuitates dicantur, quique venti, & quales perfl[illegible] vt plurimum in iis, tum prætereà cuiusmodi aquis irrigentur: hinc enim facilè postea etiam quales sint, & naturales, & præternaturales earum dispositiones peculiares facile explicare nobis poterit, nobis autem earundem causas reddere commodiùs licebit. Vtitur autem circumlocutione ad describendas ciuitates Septẽtrionem respicientes, quod sint opposito modo sitæ, ac eæ, quæ iam expositæ sunt, quòd scilicet ventos à Septentrionali plaga flantes frigidos excipiant. Sunt autem ij, qui inter occasum Solis æstiuum, & Orientem æstiuum perflant: Est autem æstiuus Solis ortus punctus cæli, vnde Sol æstate emergit: occasus verò æstiuus, vbi Sol æstiuis diebus occidit: excludit autem ventos ab iis punctis duobus rectà perflãtes, sed solùm eos comprehendit, qui intermedij sunt, id est eos, qui à puncto Septentrionis directè veniunt, & duos laterales, vt in præsentia Aristotelis sequamur diuisionem omissa Galenica, & Geographica, de quibus superiùs: Sunt autẽ ij tres Aparctias, Meses, & Thrascias, qui omnes frigidi sunt: Boream inter hos collocamus, quẽ nos Aquilonem dicimus, siue cum Aristot. eundem cum Aparctia constituamus, siue cum Gal. Astrologis, & Geographis fere omnibus eundem cum Mese, nihil ad rem facit. Hos igitur tres dicit esse illis ciuitatibus patrios. Verùm quoniam non satis est, vt vernaculus, patriusue dicatur alicui loco ventus, eum per locum hunc perflare, nisi is locus ita à contrariis cõtegatur, vt aut nunquam, aut certè rarò admodum illos possit excipere, non ab re adiunxit [*ab Austro verò, & calidis ventis sint protectæ*] Quomodo autem à ventis protectæ ciuitates dicantur, quomodoque ventos aliquos excipere, abundè superiùs est demonstratum.

Et de iis vrbibus sic res se habet. Primùm quidem aquæ & duræ, & frigidæ magna ex parte dulcescunt] Miro quodam ordine, postquã essentiam rei demonstrauit, scilicet, quænam dicantur ciuitates Septentrioni expositæ, aggreditur qualitates earum: & primò ab aquarum qualitatib. incipit: nec certè immeritò, cùm vno excepto aëre, quẽ continuò inspiramus, nihil sit homini in loco aliquo aqua communius, quodq; sæpius in vsum traducatur: dicit igitur duras esse aquas: multa hic de aquarum natura, variisq; qualitatum earum causis consultò prætereo, quod postea de iis abundè cum Hippoc. ex professo sim acturus: illud solùm hoc loco dicendum est, q̃d ad huius loci explicationem facit: quòd igitur duras dicit, dupliciter potest intelligi, vel ad tactum duras appellat, quòd incoctæ sint, neque eas Sol elixando concoquat, vnde frigiditate concretæ duræ euadunt: damnabat enim hoe nomine inferiùs aquas è Septentrionalib. defluentes, quòd à Sole cùm sint contectæ, nimiũ frigescant: aut certè duræ dicuntur, quòd difficilimè à calore nostro interno vincantur; sed in ventre, & hypochõdriis firmatæ diutius vix ob crassitiem, & duritiem transitum inuenire possunt: hac etiam ratione frigidas eas statuit; cùm enim Solem obuersum habeant, non multùm excoqui, calefieriq́ue poterunt. Hoc verò intelligendum est de aquis fluuialibus, & detectis: subterraneæ enim quamuis fortasse crudiores sint, & duræ, vt naturæ terrę vnde scaturiunt, ex parte respondeat, calore tamen interno, & spiritu igneo visceribus terræ incluso, calefieri poterunt. Cùm verò dulcescere huiusmodi aquas scribit, intelligendum est non de vera dulcedine, siquidem hanc à calore potiùs moderato fieri certum est, quem alioqui in huiusmodi negauit Hippoc. cùm frigidas esse dixerit, sed per dulces insipidas, nulloq́e sapore præditas intelle[illegible]; cuiusmodi etiam optimas esse debere in[illegible]ùs ostendet: Sed quomodo hoc esse possit, anq; per dulces insipidas quandoque intelligat, suo loco abundè demonstrabimus.

X.

Τοὺς δὲ ἀνθρώπους εὐτόνους τε καὶ σκελιφροὺς ἀνάγκη εἶναι. τούς τε πλείους τὰς κοιλίας ἀπεργμένας ἔχειν καὶ σκληρὰς τὰς κάτω. τὰς δὲ ἄνω εὐρευστέρας. χολώδεας τε μᾶλλον ἢ φλεγματίας εἶναι.

Homines

Homines verò & robustos, & siccos esse necesse est: & plures ventres infernos duros, & siccos habere, superiores autem fluidiores, biliososq; magis, quàm pituitosos esse.

Naturalem hominum in Septentrionem spectantibus locis degentium habitudinem corporis in præsentia aggreditur explicare, & inquit: [*homines verò & robustos, & siccos esse necesse est*] neq; mirum: nam si Septentrionales venti è directo contrarij sunt austrinis, horum verò ꝓpriũ est corpora laxando imbecilliora reddere, certum erit Septentrionalium, vtpote qui frigidi, & sicci sunt, proprium esse corpora vniuersa solidiora reddere, & ad motum, superuacanea omnia, quæ sunt in corpore, consumẽdo promptiora reddere, animales, naturalesq; actiones validiores efficere: vnde Hippocr. 3. Aphor. 17. Aquilonem ventũ adstringere corpora nostra testatur, in vnumque ea cogere densando substantiam, & ob id tum naturæ, tum animæ meliores reddi operationes, corporaq; inde effici robustiora, facilè mobilia, bene colorata, & rectiùs audientia scribit. Cùm igitur virium robur in eo consistat, quòd corporis substãtia durior effecta, & magis condensata calorem internum viuidiorem habeat, meritò robustos esse hos necessariò dicit, & siccos ob hanc eandem peculiarem Septentrionalium ventorum naturam: vnde populi Septentrionales, quos veteres neq; cognouerunt, neq; iis in locis ob frigidissimi aëris iniurias habitationem esse voluerunt, agilissimi sunt, & adeo sicci, vt Lapones antiquis penitus incognitos, corpore vsque adeo agili esse scribant, vt accincti pharetra, & arcu, transmittant sese per circulum diametri cubitalis.

Et plures ventres infernos duros, & siccos habere] Potest dictio ἀτεράμονας verti crudos, vt Germanus interpres facit; hoc enim dictio illa potest significare, & tunc ventres erunt crudi, non ratione ventorum, aut situs, sed propter assiduũ vsum aquæ tardi transitus, & circa præcordia adhærentis. Verùm cùm in præsentia potius respiciat habitudinem corporis, situs, & ventorum, præstabit fortasse vertere duros, vt nos fecim⁹: hoc verò significat apud Celsum adstrictos. mox subdit, & siccos, id est, sicca excernentes: hoc verò accidit propter loci naturã, quæ cùm ad siccum tendat, ventosque excipiat frigidos, siccos, & adstringentes, meritò adstrictas aluos efficient: eademq; ratione quod excernitur siccum est; tum etiam quia in corpore toto exsiccato venter ad seipsum trahit humidiores partes in alimentum; vnde tota ferè consumpta humiditate fæces sicciores remanent: imò fæcum siccitas ad alui adstrictionem sequitur; iis enim diutius retentis maior fit exsiccatio, & fuctus: quod in nobis ipsis quotidie experimur in aquilonia temporis constitutione, & Hipp. 3. Aphoris. 5. & 17. tum à ventis Septentrionalibus, tum à borealibus temporum constitutionibus aluos exsiccari scribit: sicut etiam lib. de Humo. Sect. 3. T. C. 13. vbi Galen. hanc eandem rationem reddit.

Superiores autem fluidiores.] Superiores ventres hic intelligit non cauitates superiores omnes puta capitis; cùm enim ventri additur præpositio ἄνω, & κάτω, semper duas cauitates intelligit infra caput, supra & infra diaphragma, quemadmodum suprà demonstrauimus. Hic igitur per ventrem superiorem intelligit cauitates supra diaphragma, & infra collũ: has enim laxiores esse necesse est, & magis apertas: hanc enim dictionem εὐροωτέρας, sic in præsentia interpretamur: Cùm enim calidissimi sint, quòd ꝑ antiperistasim calor innatus ad propria principia repellatur, & pectus dilatari, & thoracis meatus latiores reddi necesse est, & maximè virtute formatrice coadiunante: aut certè εὐροωτέρας fluidiores interpretabimur: sicq; quemadmodum si laxiores vertamus, aduersatiua erit dictioni duros, id est, adstrictos, quam ventri inferiori addidit: ita si fluidiores interpretemur, aduersabitur dictioni siccos; sicq; per hanc dictionem intelligemus, quòd sæpius fluxionib. tentabuntur: nec quidem abre: siquidem docuit 3. Aphoris. 5. & 17. tum & 3. in lib. de Hum. 13. Septentrionalium ventorum, & cõstitutionum proprium esse tusses excitare, & fluxiones à capite: nam quamuis vbi non multa adsit materia, aut simplex calida intemperies, aptus sit ventus aquilonius excremẽta absumere, & intemperiem illam auferre, vbi tamen capiti admodum replato occurrat (quod non rarò ob natiuam capitis, & cerebri temperiẽ accidit) condensando, ac veluti comprimendo humiditates exprimit, & in pectus impellit.

Biliososq; magis quàm pituitosos esse] Non ab re in vniuersi corporis temperia & calidos, & siccos, & biliosos statuit huiusmodi homines: quoniam cùm calor internus ex frigiditate ambientis adstrictis etiam cutaneis poris ab externis partibus ad internas per antiperistasim tendat, vel potius impellatur, calidiora etiam reddi viscera oportet: quæ cùm principalia sint in corpore, tota quoque corporis temperies inde pendebit: vnde calida, & sicca viscera cùm sint, non parum biliosi humoris generabunt, calore plus, quàm par sit, excalefaciente, & concoquente: pituitosi autem nõ fiunt nisi rarò; quoniam hæc ex dimidiata coctione ex imbecilli calore producitur.

XI.

Τὰς δὲ κεφαλὰς ὑγιηρὰς ἔχουσι καὶ σκληράς. ἐδωδούς δὲ ἀνάγκη τοὺς τοιαύτας φύσιας εἶναι, καὶ οὐ πολυπότας. οὐ γὰρ οἷόν τε ἅμα πολυβόρους τε εἶναι καὶ πολυπότας.

Capita verò sana habent, & dura: Edaces autem tales naturas esse necesse est, & non

multùm bibaces : non enim possibile est simul esse multùm veraces, & multùm bibaces.

Ventum septentrionalem aërem expurgate torbulentum, nubilosumq; exceroere, pellucidum, atq; illustriorem reddere scribebat Hippocr. lib. de Sacro morbo, & proindè sanum esse, quod ex omnibus rebus, potissimum verò ex hominibus colligit: proinde subdit ibidem ab aquilonibus necesse esse in corporibus, qđ sanissimum est compingi, & contineri : quod verò morbosissimum est, & humidissimũ, excerni. Manifestum igitur est, quamobrem statuat hîc homines, qui loca ventos septentrionales inprimis excipiẽtia incolunt, sana capita habere, & duta: nam cùm caput natura sua humidissimum sit, cauum, rotundum, & in eminentiori corporis parte constitutum à natura: qua ratione etiam præter naturalem aduentitia quoq; humiditate maximè affluere oportet, borealibus ventis accedentibus, qui, vt ex Hippocr. docoimus, omnia exsiccare, firmare, iodurare solent, humiditatesq; excrementitias consumere, sana reddi, & ad naturalẽ sibi symmetriam reduci capita oportet: docebat enim Hippoct. 3. Aphor. 17. eorum proprium esse hac ratione, & vim formatricem validiorẽ reddere, & actiones omnes tum animales, tum naturales robustiores efficere : dura verò etiam fiunt consentiente cum vniuerso corpore etiam capite ; imò magis exiccato, quooiam magis aëris impressionibus subiicitur : Nam cùm aquiloniam coostitutiooem doceat Hippoc. & Galenus 3. Aphor. 17. corpora densare, & intendere, & auditum magis expurgare, non alia id ratione fieri docet Galenus, quàm exsiccando so perfluas humiditates; qua ratione robur, & durities producitur: ex qua duritie etiam sanitas conseruatur, quòd minùs externis ioiuriis pateat aditus, vbi durior facta sit cutis capitis, vehementiusq; resistat: & hæc est rario, qua quis Hippocratem à vitio superfluitatis defendere potest; quòd cùm vniuersum corpus robustũ, & siccum dixerit habere homines huiusmodi loca incolentes, iterum idem de capitibus eorundem tepetat; si eoim sicca sont, etiam dura esse oportet, & si robusta, sana ; quamuis enim vniuersum corpus sit huiusmodi, caput tamen alioqui natura sua humidum, & excrementis scatens, quòd magis ambientis impressionib. obiiciatur, inter reliqoas partes magis exsiccatur, atq; durescit.

Edaces autem tales naturas esse necesse est, & non bibaces] Hanc sententiam hoc loco disponendam esse duximus, sicut & eam, quæ in sequenti sententia continetur, quamuis inferiùs collocentur in vulgatis omnibus codicibus. Ea verò verba, quæ communiter legontur post iam explicata, *ἐγχυματίας τε οἷαίν ὅτι τὸ πλῆθος*; inferiùs in loco, vbi hęc continetur sententia, collocaui hac ratione, quòd videam Hippoc. io iis describendis locis, & hominibus, hũc seruasse ordinem, vt in vniuersum veotis descriptis, qui illis sont peculiares, naturales hominũ habitudioes doceat, mox noo naturales, vt in primo, tertio, & qoarto colligi potest; quapropter & in hoc secundo situ delcribendo nulla erat ratio, que cũ in vniuersom ventos descripsisset, qui eorũ locorum suot peculiares, cumq; naturales hominum temperaturas tradere aggressus esset, immisceret præternaturales, & morbosas dispositiones, ecôtrà autem motbosis, & iis, quæ sunt præter oaturam, ea admisceret, quæ & naturales sunt, & omnioo ad sanitatem attinentes: quaptopter has sententias, ita vt nos fecimus, dispositas esse ab Hippocr. credimus, sed librariorum culpa, sicut quàmpluta alia in hoc libro ita fuisse transpositas. Inquit igitur esse edaces tales naturas, & non bibaces: nec certè abs re: nam fames naturalis, qua homines edaces redduntur, in nobis excitatur, tum ex defectu humidi ipsius ventriculi, à quo fouetur, & qoasi alitur calidò interno consumente, tum ex communi, & per soccessionẽ facta ab vnioersis corporis parriculis à vẽtriculo tanquam ex totius promptuario attractione: nam cæterę parriculæ à venis alimentum suum exsugunt, venę verò cùm ioaniuntur, à iecore, vnde ortũ habeot, id petũt, iecur per venulas Mesenterij, tanquã per manus à veotriculo, & intestinis alimentũ quærit; & si in eis aptum inueniat alimentom, illum exugens in sanguinem cõuertit, ex quo tum ipsum, tum reliquæ particulę alendę sunt. Sin autem defuerit in venticulo cõmunis soccus, proprium, & naturalem humorem exugit; quò fit, vt in eo secuta penuria, & sucto, cùm insigni sensu præditus sit, cogitur appetere naturaliter alimentum, quò euacuata materia reponatur, qui postea fames, & sitis appellatur pro humidiore, aut sicciore materia consumpta, & appetita. Hæc igitur cùm ita sint, facilè etiam intelligitur, quare, qui aquilones excipiunt, naturaliter voraces sunt: cùm enim ob ambientis frigiditatem naturalis calor validior sit, & robustior, multò magis materiam in alimentum propositam poterit consumere, vt docent Hippocr. & Galenos prima Sectione Aphor. vnde & maior suctus, & appetentia necessariò sequitur: edaces enim dicuntur, qui & plura ingurgitant, quàm cæteri communiter soleant, & citra noxam eadem concoquunt.

Et non bibaces] Cur autem subiecerit, non esse bibaces, nõ ita facilè potest intelligi: siquidem sexto Epidem. Sect. 4. particula, & Comment. 15. percalido naturæ scribit refrigerationem, & aquæ potum conuenire: certom autem est ex iis, quæ à nobis statuta sunt, huiusmodi homines calidos natura esse concentrato interno calore; vnde & biliosos esse magis, quàm pituitosos testatus est, hos verò siti sępios premi, & bibaces esse manifestum facit experientia; & ratio ex sitis natura desumpte, quæ est appetitus frigidi,

frigidi,& humidi; vnde cùm calidi ſint,& ſicci; facilè hoc appetitu premi poterũt. Verùm ſi ſitis naturam conſiderauerimus, facilè huic difficultati ſatisfaciemus: cùm enim ſit appetitus humidi,& frigidi, eo modo, quo fames ſolidioris ſubſtantiæ ex eiuſdem defectu, bibaces eſſe non poterunt, humiditati deficienti aſſumpto cibo ſatisfacientes, & frigido inſpirato internæ caliditati: non dixit tamen parum bibere, ſed non eſſe multipotas, quaſi innueret bibere quidem & ſatis mediocriter, at non ita eſſe bibaces, ac voraces, quòd aëris frigiditas vices ex parte ſuppleat potus frigidi. Quod verò ab Hippocr. ſcriptũ eſt, percalidas naturas aquæ multo potu indigere, intelligendum eſt non de naturali caliditate, ſed de ea, quæ aduentitia eſt, & præter naturam: quod manifeſtum fecit Galenus in Comment. calidas, inquit, & ſiccas naturas non ſolùm, quæ à primo ortu tales ex ꝓprio temperamento ſunt, ſed etiam quæ deinceps ex calida, ſiccaque victus ratione, & plurima motione, vigilia, triſtitia, cura, regione calida, & ſicca, tempore æſtiuo, & cœli ſtatu calido, ſiccoq́; fiunt huiuſmodi, quod verba Hippocr. manifeſtè oſtendunt, cùm percalidas ſcripſit, vt aduentitiam, & acrem caliditatem innueret: quocirca cùm Septentrionem excipientes, moderatè, & naturaliter calidi ſint, ab ea ſententia Hippoc. eximuntur. Verum eſt, quòd magnam hac in re facit difficultatem Ariſtot. auctoritas 3. Sect. Problem. 7. qui robuſtos viros, quos alioqui omnes habitu calidiore eſſe conſtat, vinoſos eſſe aſſerit, & exemplũ de Scythis affert, qui Septentrionales ſunt: imò nos ſcimus gentes omnes Septẽtrionales, Germanos, Anglos, & præterea qui inſulas, terramq́; Septentrionalem antiquis incognitam incolunt, quamuis agrum vini feracem non habeant, adeo eſſe bibaces, & potiſsimum vini, vt nulla ſit gẽs, quæ eos bibacitate ſuperet. Niſi dixerimus bibacitatem duobus modis in hominibus accidere ꝓ duplici ſitis cauſa: aliquando enim ſitis oritur ex conſumpta alimẽtali humiditate, aut diminuta; aliquando autem ex victoria caloris aduentitij, & præternaturalis tunicas ventriculi, & adiacentes partes excalefacientis, & exſiccantis, ex qua appetitus frigidi, & humidi excitatur. Hìc negat Hippocr. eos, qui loca incolunt Septentrionales ventos excipientia, multum bibaces eſſe ob eam ſitim, quæ quaſi præternaturalis eſt ob caloris, & ſiccitatis aduentitiæ actionem: quæ potius aquæ potu, aut vini oligophori ſedatur, quàm vini potentis: Cùm enim hoc calidum ſit potentia, & ſiccum, huic ſiti, non modò non ſatisfaciet, ſed eam potius augebit: vnde fit, vt cùm quis potenti vino ebrius factus ſit, magis ac magis prematur ſiti: cùm verò iis, qui Septentrionem ventũ ſæpius excipiunt, naturalis potius inſit caliditas, facilè conſtat non multùm ſiti laborare, quæ præter naturã eſt, nec hoc modo eſſe bibaces, quo

A modo dicit Hippocr. hoc loco: Ariſtot. autem loco citato vinoſos eſſe dicit Scythas, & populos Septentrionales, qui robuſti ſunt; quoniam cùm calido naturali interno abundent, nõ parua humiditas conſumitur, quò fit, vt naturalis ſitis excitetur, & bibacitas ſequatur, & amor vini, & quidem potentis, rubri, & craſsioris ſubſtantiæ, cuiuſmodi citò conſumptam humiditatem reſtaurare poterunt, vt docet Hippoc. & Galenus 2. Aphor. 21. vnde reprehendendus ve
B nit Petrus Aponen. in Commen. illius Problematis Ariſtot. cùm oppoſito modo intelligendum eſſe Ariſtot. teſtetur, Scythas ſcilicet eſſe bibaces ob ſitim præternaturalẽ; cùm alioqui, qui tali ſiti premuntur, non vinum appetant, ſed limpidiſsimas aquas, qui verò altera, vinũ, vel quippiam ſimile, quale quam vocãt cereuiſiam, aut birram: Ariſtot. autem loquitur de vinoſis, & potatoribus vini: accedit experientia, quæ docet Scythas, Germanos, & huiuſmodi
C Septentrionem ſpectantes gentes, eſſe aquæ oſores. Illud tamen etiam in verbis Ariſtot. locò citato eſt animaduertendũ, non repugnare verba Ariſtot. ſententiæ Hippoc. quam in præſentia explicamus, ſi diligenter illius verba conſiderauerimus: quærit enim, cur pueri, cùm calidi ſint, non ſint vinoſi, Scythæ autem viri & robuſti calidi cùm ſint, ſunt etiam amatores vini: vbi manifeſtũ eſt non loqui de bibacitate multa etiam vini, ſed de deſiderio vini, & dicit ro-
D buſtos eſſe amatores vini, qui amor poteſt ad mediocritatem etiam gubernari.

Non enim poßibile eſt eſſe ſimul multũ edaces, & multum bibaces] Hanc particulam qua reddit rationem immediatè præcedẽtis propoſitionis Hippocr. aliqui codices manuſcripti non habent; & fortaſſe poſſet eſſe ſuſpecta, quòd ſæpenumero videamus aliquos multùm edaces, qui etiã multùm bibunt. Verùm crediderim ipſe & retinendam eſſe, & experientiæ non aduerſari, q;
E propoſitiones huiuſmodi veritatem habent vt plurimum: quod experientia oſtendit, & ratio: videmus enim, qui multa ingurgitare ſolent, non multùm eſſe bibaces, & econtrà: & omnes in nobis id hyeme experimur, quo tempore cũ plura ſoleamus comedere, parum admodũ vino delectamur: æſtate autem contrà: nec ab re: ſiquidem hyeme cùm calor innatus maximè vnitus ſit, humiditates omnes conſumendo, & famem, & ſitim naturalem excitat: vnde multa
F comedim⁹, aucta ob frigiditatem inſpirati aëris fame, & bibimus quantum pro natura oportet, aduentitia cauſa non accedente, ſcilicet calore, & propterea non ſequitur bibacitas, quæ non ex hac ſpecie ſitis fit, ſed ex altera, calore ſcilicet acri, mordaci, & limites naturæ excedente, humiditates conſumente, & exiccante; qui calor cùm in æſtate magis augeatur, magis etiam bibaces, & ſiticuloſos reddit. Cùm verò ij, qui Septentrionales ventos excipiunt, naturam ferè eandem nacti ſint, qualis eſt noſtra ld

hyeme, manifestum, esse magnos comestores, non verò multum bibaces, quamuis satis mediocriter vini potui indulgeant, quia ventriculi capacitas solidioribus cibis repleta, vix potui locum relinquit, nisi aliquibus, quibus magna à natura data est capacitas, contrà aliquando accidat: hi enim voluptuoso vini appetitu indulgentes, etsi multa comedant, vini tamen multam quantitatem ingurgitare non verent.

XII.

Μακροβίους δὲ τοὺς ἀνθρώπους τούτους μᾶλλον εἰκὸς εἶναι ἑτέρων. καὶ τὰ ἤθεα ἀγριώτερα ἢ ἡμερώτερα.

Longæuos verò magis, quàm alios, hos homines esse par est, moresq; magis agrestes, quàm mitiores.

Quare præsentem particulam huic loco apposuerimus, superiore commentario explicauimus: nunc reddamus rationem, quare [*longæuos magis, quàm alios, hos homines esse*] dixerit: cùm vita nostra natiuo calore, & humore conseruetur, eò longiorem esse oportet, quò duo ij diutius durabunt, & eò breuiorem, quò breuiori tempore consumuntur. Cùm verò Septentrionales primogenio humore abundēt, & eo quidem crassiori, non ita citò consumi, aut desiccari poterit. Accedit ad hoc, quòd cùm durioris sint habitus, vt iam docuimus, difficiliùs dissolui substantia poterit, sed diutius calor internus in penetralibus corporis cōseruabitur: vnde cibis multis ingestis humiditates, quæ necessariò in tam magna caloris actione dissoluūtur, facilè restaurantur, vitaq; diutius protrahitur, & tardiùs ad senectutē ij solent peruenire.

Quàm alios] Id est, de quibus actum est meridionalibus: & meritò; cùm non possint ij diutius internum calorem viuidiorem conseruare, & natiuam, radicalemq; humiditatem tueri; externo enim calore excedente, apertis nimium cutaneis poris, & internus calor dissipatur, & euanescit, & humidum natiuum consumitur. Hinc dicebat Auicen. 2. primi, habitantes in regionibus frigidis multò audaciores esse, coloratiores, & longioris vitæ, quàm degentes in calidis, in quibus anno trigesimo senium incipere testatur. Est tamen hac in re Aristot. multiplex auctoritas, quæ huic Hippocr. sententiæ non paruam facit difficultatem, ille enim lib. de Long. & breuit. vitæ duobus in locis, tum Sectioo. 14. Problem. 9. & 10. asserit multò diutius viuere animalia in calidis locis nata, & degentia, quàm sibi similia in specie in frigidis locis. Difficilima sanè hæc est difficultas, quæ doctißimorum Aristotelis interpretum animos in diuersas traxit sententias: crediderunt enim antiquiores quidam ita facilè Aristotelem conciliari posse Hippocr. & experientiæ, si duplici constituta morte, accidentali, quæ vel à putredine, vel à caloris extinctione per frigiditatem contrariam fit, & naturali, quæ per defectum alimenti extincto calore naturali fit, dixerint habitantes in regione calida Aristot. statuisse longioris esse vitæ respectu mortis accidentalis; qui verò in frigidiori regione habitant, longioris esse vitæ respectu mortis naturalis. Verùm repugnat hæc solutio Aristot. & rationi: Aristoteles enim Sectione. 14. Problem. 9. & 10. non vno mortis genere voluit degentes in calidis locis longæuos esse magis, sed vtroque, naturali, & præternaturali: nam in nono de præternaturali loquens, problemati satisfacit, in sequenti sumpto argumento à naturali morte, eidem quæstioni satisfacit. Alij, vt Albertus Alemanus, & Nicolaus Leonicus per calidam intellexerunt temperatam, quam dicunt Hippocr. comparare regioni frigidißimæ, respectu cuius, quod temperatum est, calidum dicitur; causamq; afferunt, cur in temperata regione diutius vita producatur, quàm in frigidißima; quoniam in illa non reperitur calor adurens, aut nimium corporis nostri poros aperiens, sed potius internum calorem faciens: tum etiam quoniam sicut se habet temperatum corpus ad intemperatum, ita & temperata regio ad intemperatam: corpus autem temperatum diutius viuit, quàm intemperatum: temperata igitur regio longæuos homines magis efficit, quàm intemperata. Verùm neque hæc sententia vllo modo satisfacit: siquidem dum Aristotel. ij excusare tentant, in peius vitium lapsum esse fatentur, qui in re clara dubitet, & comparet ea, in quibus nulla est similitudo: nam comparatio debet esse inter lapsa à temperato in hac, illàve qualitate: quis enim nesciat temperata corpora in simili regione posita, longæua magis esse, quàm in frigida regione degentia. Accedit, quòd Aristot. 14. Problem. reddens rationem, cur qui in calida regione degunt, viuaciores sint, quàm qui in frigida: Respondet, quia habent etiam humidum siccius, sicque minus putrescibile; ex quibus vi detur comparare re vera calidam regionē, quæ etiam siccitatem aliquā in humido nostro inducat: quinimò libro de Longitud. & breuit. vitæ dicit, quòd ob eandem causam, ob quam masculi sunt longioris vitæ, quàm fœminæ, etiam qui in calidis locis degunt, sint viuaciores; masculi autem reuera fœminis sunt calidiores. Augustinus Suessanus in Comment. ad librum de Longitud. & breuit. vitæ Aristot. videns hanc difficultatem, asserit Aristot. conclusionem, qua asserit degentia in locis calidis diutius viuere, quàm in frigidis locis degentia, non esse vniuersalem, sed solùm intelligendam esse de hominibus frigidè, & humidè temperaturæ: quòd in calidis locis eorum frigiditas, & humiditas à contrariis ambientis qualitatibus facilè corrigatur; comparat autem, inquit, calidas ad frigidas, modò æquè à temperata

rata vtraque distet. Et quòd hoc modo intelligendus sit Aristot. probat ex eo, quòd in lib. de Longitud. & breuitate vitæ, statim atque dixit in calidis locis homines diutius viuere, subdit; ob eandem causam frigidorum animaliũ secundùm naturam magnitudo, in calidis locis est maior: non dixit autem omnium animalium, quoniam homines in calidis locis minores conspiciuntur, quàm in frigidis. Verùm & hæc multò maiores patitur difficultates; primùm quoniam absolutè locutus est Aristot. vtrobique; nam cùm dixisset, viros diutius viuere, quàm fœminas, quia calidiores: statim subdit, eadem animalia specie esse viuaciora in calidis locis, quàm in frigidis, ob eandem causam; mox subdit, tanquam reddens huius rei rationem, exemplum de lacertis, & huiusmodi frigidis animalibus, quæ ob caliditatem etiam eadem maiora fiunt in locis calidis. Quapropter satius est meo iudicio asserere Aristot. loqui de calida regione distemperata in hac qualitate; in passiuis tamen humiditate, & siccitate temperiem non multùm excedente: nam si homines in huiusmodi locis degentes comparemus cum iis, qui loca frigida incolunt, semper verũ erit viuaciores esse eos, qui in illa degunt, ob eas, quas Aristot. 9. & 10. Problem. causas adduxit, quod & humidum naturale sicci⁹, id est, minùs aqueum est, & putredo, quæ mortis altera est proxima causa, non ita facilè excitatur: tum etiam quoniam diutius cõseruatur naturale humidum, quòd calor internus, nec ita retrocedat, aut vniatur, vnde maior sequi solet consumptio: cùm verò caliditas vbi excedat, iunctam semper habeat siccitatem: lapsus hic caliditatis in regione hac, de qua locutus est Aristot. nõ potest esse magnus, cùm iam supponamus aut parum in siccitate excedere, aut certè in passiuis adesse temperiem: Et quòd ita intelligendus sit Aristot. patet; quia cùm eandem statuat causam longitudinis vitæ in regione calida, quam attulit maioris lõgitudinis vitæ in viris, quàm in fœminis, non potuit multum caliditatis excessum intellexisse: homines autem in calidissimis locis degentes, quæ etiã siccissima esse oportet, tantùm abest, vt diutissimè viuere possint, vt potius breuissimæ vitæ eos esse oporteat, quòd ab ambientis calore, & interno etiam acri humidum consumatur, aduraturque: non tamen diutiùs viuunt, qui in frigidissimis, & humidissimis locis vitam degũt; non naturalis enim mors facilè accedit, externo frigore calorem internum quasi extinguente: huius etiam sententiæ fuit Petrus Aponensis cognomento Conciliator in Comment. ad Problem. Aristot. quibus positis facilè erit nobis Hippoc. & Aristot. inter se conciliare: Cùm enim locorum, non regionum, describat status Hippocr. dixit homines degentes in ciuitatibus Septentrionem spectantibus esse longioris vitæ, quàm eos, qui illas inhabitãt, quæ meridiem respiciũt: hic non est excessus ille summus, qui consideratur in regionibus, & climatibus, sed moderata quædam frigiditas, & siccitas: præterea Hippocr. supponit meridiem spectantes ciuitates calidas, & humidas esse, & in humiditate excedere, & propterea dicit non posse ibi multùm homines esse longæuos. Aristoteles autẽ loca calida, in quibus longæuos homines magis esse scribit, aut temperata sunt, aut potius ad siccitatem inclinantia: Cùm verò Hippoc. frigiditatem locorum adiuuare longitudinem vitæ dixit, intelligit non frigiditatem in summo, qualem habent Lapones, Islandi, Grotlandi, & huiusmodi Septentrionalis plagæ populi, sed medioctem, qualem ex situ acquiri videmus, & hæc non extinctionem parit caloris, sed vigorem, & robur.

Morésque magis agrestes, quàm mitiores] Non ab re & hanc particulam superiori coniũximus, eam verò, quæ intermedia est apud omnes tam Græcos, quàm Latinos codices, sustulimus ab hoc loco, quòd cùm de naturali tam corporis, quã animi habitudine hoc loco agatur, non erat, vt etiam superiùs admonuimus, vt quæ ad vlcera, & morbos pertinent, admisceret. Inquit igitur eos, qui ciuitates incolunt Septentrionẽ spectantes, moribus præditos esse agrestioribus potius, quàm mitioribus. Mores sunt vel animi habitudines genitæ, quæ nos ad agendum proniores reddunt, vel habitus agendi ex consuetudine acquisiti; hi ex præceptis philosophiæ, educationeque oriuntur; illę ex primo ortu, quæ corporis temperiem bona ex parte, nisi per habitum philosophicum gubernẽtur, sequi solent; de congenitis hoc loco locutus est Hippocr. quòd ij solùm locorum mutatione immutati soleant. Si enim ex varia victus ratione immutatis humoribus mores sæpè immutantur; quis negauerit ambiente in nostra corpora perpetuò agente, mores diuersos in hominibus excitari? quod manifestum fecit Galenus lib. quod animi mores, &c. cap. 9. vbi nixus auctoritate Platonis, Aristot. sed potissimùm Hippoc. hoc libro pluribus in locis, tum & rationibus hanc sententiam tuetur. Non absolutè autem dixit, sed comparatiuè agrestiores, quàm mitiores; quoniam cùm non loquatur hic de habitantibus plagam reuera Septentrionalem, vt sunt Germani vlteriores, Thraces, Scythæ, Mosci, & huiusmodi, qui agrestibus absolutè moribus sunt, sed de habitantibus ciuitatem Septentrionem spectantẽ; dixit agrestiores potiùs, quàm mitiores, vt ostenderet ad naturam reuera Septentrionaliũ accedere. Cur verò ita sint, ea est (meo iudicio) causa, quòd calor vnà cum sanguine in viscera, & ad profundum ab extrinseco, & vincente frigore, fugetur quodammodo, interna plurimum incalescere, externa verò frigore tentari necesse est: quò fit, vt coarctato, agitatoq; interno calore, atque feruente, animosi fiunt,

audaces, iracundi, præcipitisque consilij, vnde agrestiores, id est, magis feri, & rudes efficiuntur, magis quàm mansueti. Est enim consuetudo animi constantia aduersus iræ impetum immobilis: hi verò, cùm nihil ob motum interni caloris prudenter faciant, præcipites sunt in consiliis.

XIII.

Νοσεύματα δὲ αὐτόθι ἐπιχώρια, πλευρίτιδές τε πολλαὶ, αἵ τε ὀξεῖαι νομιζόμεναι νοῦσοι. ἀνάγκη δὲ ὧδε ἔχειν, ὁκόταν κοιλίαι σκληραὶ ἔωσιν, ἔμπυοί τε πολλοὶ γίνονται ἀπὸ πάσης προφάσιος. ῥηγματίαι τε εἰσὶν ἐπὶ τὸ πλῆθος. τούτου δὲ αἴτιόν ἐστι τοῦ σώματος ἡ σύστασις καὶ σκληρότης τῆς κοιλίης. ἡ γὰρ ξηρότης ῥηγματίας ποιέει εἶναι, καὶ τοῦ ὕδατος ἡ ψυχρότης.

Horum autem morbi communes hi sunt; & pleuritides multa, & qui appellantur morbi acuti: necesse autem est ita habere, cùm ventres duri existunt, suppuratiq; multi fiunt ex omni occasione, & plerunque vasorum rupturæ excitantur. Huius autem causa est corporis distentio, & vasorum durities: siccitas enim, & aquæ frigiditas vasorum rupturas efficere solet.

Νοσεύματα ἐπιδήμια legitur in contextu Græco; sed asterisco notatur: Latinus interpres morbos Epidemicos interpretatus est, & Alemanus verè Epidemicos intellexit. Ego autem potiùs crediderim legendum esse ἐπιχώρια, cùm enim hîc agat de morbis, qui communes sunt ratione loci, non erat, quòd de Epidemicis ageret hoc loco, qui non ratione locorum, sed ratione nouæ alicuius constitutionis populariter vagantur morbosque communes peculiares locorum potiùs inuertunt. Et quòd hoc ita sit, patet, quoniam infrà explicatis morbis iis communibus subdit: atque hi quidem virorum morbi sunt vernaculi, siue patrij: vtitur autē dictione ἐπιχώρια, & subdit, nisi quis morbus alius ex temporum mutatione contingat: ecte quòd hoc loco docet nō epidemicos morbos, sed epichorios, siue patrios trādidisse, imò epidemicus ait immutare naturam communium horum morborum, de quibus egit: vnde in Græcia codicibus quibusdam ἐπιδήμια, in aliis ἐπιδημεῖ scribitur, & in omnibus asterisco notatur: ex quo facilè coniectari licet deprauatam esse lectionem, & legendum esse ἐπιχώρια, sicq; tota sibi similis, atque correspondens hæc erit tractatio: in superiori enim australium locorum tractatione, post naturas, moresque consideratos aggreditur tractationem morborum epichoriorum, & in sequentibus idipsum etiā seruat. Hunc igitur etiam ordinem in hac tractatione ab Hippoc. seruatum esse censendum est: quod Alemanus non animaduertens, epidemicos verè intellexit.

Pleuritides] Cùm enim pleuritis inflammatio sit præter naturam membranæ costas succingentis à sanguine potissimum bilioso facta, aut certè pituitoso, bili tamen admixto, manifestum erit eos, qui ciuitatem incolūt, Septentrionales ventos excipientem, facilè ea tentari: cùm enim originis eius in humano corpore ea sit occasio, quòd vbi tenuis, biliosusque sanguis abundauerit in corpore, ad externas partes ob earum condensationem, & refrigerationem ratione ambientis non facilè possit transmitti, necesse est internas partes magis occupare, magnoque impetu hinc inde moueri, maximè aëre frigido inspirato, & aqua frigidissima hausta: vnde fit vt biliosus sanguis, qui multus in huiusmodi corporibus, vt superiùs docuimus, esse solet, in caua vena cordi assidente contineri non aptus, in eam, quæ azygos nuncupatur, indeque in tenues costarum venas irruat, quibus apertis exilit, & incidit, aut in medium locum inter costas, & succingentem membranam, aut inter musculos costis superiacentes: quòd si è dextero cordis sinu per venam arterialem in pulmones præter naturam, & plus quàm, tum eorum venæ, tum eorum substantia capere potest, idem irruat vehementiùs, peripneumoniam facit. Cùm igitur meridianos hoc morbo non facilè tentari dixerit, quòd frigiditas ambientis non adsit, quæ sanguinem ad interna reuocet, & reuocatum impellat, meritò in oppositis pleuritides accidere testatur; quòd externæ partes ob ambiētis frigiditatem sanguine destitutæ (qui alioqui multus in iis gigni solet) internas eodem calidissimo, & vehementer moto ex improuiso replent.

Et qui acuti appellantur morbi] Docuimus superiùs, quare passim cùm de verè, & propriè acutis loquitur, qui cum febre solent semper esse iuncti, addat tum hoc loco, tum lib. de Affect. tum primo de Ratione victus in acutis morbis 8. qui acuti appellantur: cùm enim soli ij velociter moueantur, rationeque velocitatis huius motus periculum secum inuehant, meritò hos acutos propriè appellat, & ab antiquis sic appellatos testatur, vt impropriè acutos secludat; qui quamuis celeriter mortem inferunt, & periculum, hoc tamen non accidit ob motum, sed ob nobilitatem partis obsessæ: de primis igitur, se hoc loco intelligere iis verbis demonstrat. Aristot. 14. Problem. Section. Problem. 3. huius rei immediatam, & proximam causam reddit, cùm quærit, cur in frigidissimis terris febres ardentes sæpius fieri consueuerint: Respondet, quòd ambientia frigiditas calorē internum circumobsistit, atque subinde validiorem reddit: at in æstate, & calidis locis contrarium fit, cùm ambiēs calidus sit, & externi corporis pori aperti, ad externaque reuocetur caliditas, vnde internæ partes calore destitutæ non adeò feruent, at febris ardor est: vbi igitur maior

maior est ardor internus, sæpius quoque & in maiori gradu febris excitatur. Ergo, inquit, refrigeratis externis partibus interiores in frigidis locis calore redundant, vnde etiam morbis acutis, qui semper cum febre continua sunt, facilè corripiuntur: Sic in hyeme retentis excrementis biliosis, quæ antea expurgabantur, atque putrescentibus facilè febres ardentes, & continuæ excitantur, quamuis illis repugnet natura temporis, vt docet Aristot. prima Sect. Problematum, 6. quamuis à Petro Aponensi aliter intelligatur: quærit enim, cur, cùm æstas tempus sit bili aggregandæ determinatū, hyeme tamen acuti morbi, qui à bile sunt, potius vigeant: & in præscriptam causam totam problematis refert rationem. Huius tamen rei aliam hîc Hippocr. affert causam, cùm dicit: [*Necesse autem est ita habere, cùm ventres duri existunt*] Hęc causa non est immediata, talis tamen, quæ medicum negotium magis referre videtur: Cùm enim superiùs docuisset, meridionales, quamuis capita humida habeant, non tamen pleuritide, & acutis morbis tentari, quia alui iis humidæ existunt: hîc ex opposito quamuis capita humida non sint; tamen ob retractum ad interna calorem, & sanguinem, cùm occasio prębeatur pleuritidi, & aliis morbis acutis, ventribus duris, & adstrictis in iis existentibus, faciliùs ij morbi produci poterunt: cùm enim adsit causa morbus huiusmodi efficiens, biliosus humor excrementitius, & commotus ob præscriptas iam causas, vbi nullum habeat locum, per quem commodè expurgari possit, morbis acutis occasionem præbet influxa materia nobilioribus partibus.

Suppuratiq; fiunt ex omni occasione] Hos eosdem purulentos facilè ex quacunque occasione fieri scribit: sunt autem suppurati, siue empyci ij, quibus pus in spacio inter pulmonem, & thoracem continetur, atque illud expuunt: Dixit aūt ex omni occasione; quoniam (vt optimè docuit Hippocr. lib. 1. de Morbis versus medium, & cæteri omnes tum Græci, tum Arabes scriptores cap. propriis) non vna est suppurationis causa: quandoque enim ex membranæ costas succingentis, vel pulmonis inflammatione in pus versa, & discupta, in eaque capacitate defluxa oritur; aliquando ex sanguine aliquo modo à capite ad thoracem influxo, & in pus verso, vt docet Paulus; aut certè ex vlcere aliquo in pectore ad cicatricem non redacto, ex quo sanguis in pectus defluat: ex angina quoque cùm ex ea ægri per internam suppurationem liberantur, & ad pulmonem pus vertitur, si non in septem diebus pereant; hos enim si effugerint, fit suppuratio. Quintę Sect. Apho. 10. tum etiā ex confluxu pituitæ à capite lib. 7. Aphoris. 38. & primo de Morbis. Hos igitur ex quacunq; occasione, id est, ex quacunq; ex iis causis suppuratos facilè fieri scribit, quamuis rariùs à posteriori ob capitum sanitatem, & duritiem; cùm sæpius pleuritide, & pulmonia tentari docuerit, ex quibus sæpius etiam suppurationes accidunt: eoque magis, quòd alia subsit causa frequentior, quam explicat, cùm dicit: [*Et plerunq; vasorum rupturæ excitantur*] Hic est alius morbus in solutione continui, qui superiori frequentem præbet occasionem: & meritò meo iudicio hæc particula hoc loco reponi debet, cùm aliâs in omnibus tam Græcis, quàm Latinis, quos viderim, superiùs inter ea, quæ ad naturalia pertinent, reponeretur; & male: cùm statim subdat Hippocr. tum huius sententiæ, tum superioris particularem causam, quæ immediata est, cùm dicit: [*Huius autem causa est corporis distentio, & vasorum durities: siccitas enim, & aquæ frigiditas, vasorum rupturas efficere solet*] Cùm enim frigus corpora constringat, & contrahat, venasq; duras, & ad extensionem contumaces faciat, sanguine ad internas partes retracto, & abundante, tunicæ venarum disrumpi facilè poterunt, vt optimè lib. 4. de Locis Affectis, capite vltimo docuit Galenus: concausa enim ruptionis est duritiei quòd ob eam dilatari minimè possint: frigore verò accedente, quòd ob nimiam constrictionem sanguinē copiosum diutius continere nequeant, frangi necesse est, vt docet Galenus 24. Comment. 5. Sect. Aphor. quòd si ad ambientis frigiditatem, & siccitatē, tum & vniuersi corporis & distentionē, & siccitatem, illud insuper addatur, quòd aquam frigidam, & crudam communiter hauriant, absoluta erit huius rei assignata ab Hippocr. ratio. Annotandum autem est, nos dictionem τῆς κοιλίας, non ventris, sed vasis interpretatos esse secus, quàm Germanus interpres, & Caluus, cùm iam docuerimus per ventrem Hippocr. venam sæpenumero intelligere, vt cùm in doloribus proximum ventrem secandum scribit libro 6. Epidem. maximè verò, vt ostendimus hoc loco, si venam intelligamus, quadrabit: quòd si dixerint id accidere, quoniam antecedētem sententiam, quæ alio loco posita erat, hic collocauerimus, vt omnem excusationem tollamus, videant sequentia verba; quæ causæ adductæ continent confirmationem, & videbunt, si ventris duritiem intelligant, non esse ad propositum: ad quid enim subiungere siccitatem, & aquarum frigiditatem, vasorum rupturas facere? quòd si vasorum interpretemur superiorem sententiam, optimè sequenti sententiæ satisfaciet.

XIV.

Ὀφθαλμίας τε γίνεσθαι μὲν διαχρόνους. γίνεσθαι δὲ σκληρὰς καὶ ἰσχυρὰς, καὶ εὐθέως ῥήγνυσθαι τὰ ὄμματα.

Lippitudinesq. fieri secundùm tempora; duras autem, & vehementes generari oportet, & confestim oculos rumpi.

Lippitudinum lib. de Glandulis Hippoc. siue quisquis eius lib. auctor fuerit, duas consti-

suebat differentias,humidam vnam,ficcam alteram: cùm enim inflammariones eæ oriri soleant in oculis ex fluxione à cerebro; hæ verò sunt vel piruirosorum humorum,& frigidorũ, aut acrium,& biliosorũ: ex prima humidæ lippitudines,ex alia siccæ solent oboriri: Cùm igitur biliosi natura sint huiusmodi homines, tũ etiam aëris sicca temperatura accedat, lippitudines ficcas,id est biliosas,& in quibus raræ lachrymæ conspiciuntur,eueniunt: docebat enim Hippocr.3. Aphor.12. post autumnum siccum, & borealem, siccas lippitudines accidere sæpenumerò:quod & inferius in hoc libro docet: fiunt autem duræ, quoniam cùm vniuersi corporis habitus sit durus,& siccus, & hic affectus ab humore calido,& sicco fiat,accedentiq; aëris constitutione,& ventorum: vnde consumitur aquosior bilis pars, qua ratione lachrymæ non apparent: est etiam vehemens, quoniã biliosus humor calidus,& acris,mordeniq; in oculos deductus pruritum excirat, mordet, doloresq; facit intolerabiles: cumq; natura sua corrodens sit humor, & oculi ficciores natura sua, facilè poterunt exulcerari,& rumpi, vt hoc loco docet Hippocr.

XV.

Αἱμοῤῥοίας δὲ ἐκ τῶν ῥινῶν τοῖσι νεωτέροισι τριήκοντα ἐτέων γίγνεσθαι ἰσχυρὰς ὑπὸ θέρεος. τά τε ἱερὰ νοσήματα καλεύμενα, ὀλίγα μὲν, ταῦτα ἰσχυρὰ δέ. τοῖσι μὲν ἀνθρώποισι τὰ νοσήματα ἐπιχώρια ἐστι. καὶ χωρὶς ἤν τι πάγκοινον κατάρξῃ ἐκ μεταβολῆς τῶν ὡρέων.

Sanguinis item ex naribus fluxiones iunioribus triginta annis vehementes æstate generantur. Morbos etiam sacros appellatos, paucos quidem, verùm vehementes. Viris quidem hi morbi sunt vernaculi: tum verò etiã si quis alius communis ex temporum mutatione accidat.

Scribit Gal.in Com.1. τῶν ἐπιδημιῶν, apud Hippoc. τὰς αἱμοῤῥαγίας nomine absolutè posito profluuium sanguinis è narib. intelligi, nõ expressa etiam particula, vnde defluat: alioqui nomẽ generale est in omni sanguinis euacuatione, siue per crisim fiat, siue symptoma sit, seu arteriæ, aut venæ: hoc tamen loco expressit Hippoc.& specificauit, quarũ partium hæmorrhagiam intelligat, cùm dicit τῶν ῥινῶν, id est, nariũ. Inquit igitur incolentib. ciuitates Septentrionem spectantes in ætate minori xxx. annis, æstate vehementes,& fortes euenire sanguinis ex naribus fluxiones: docuimus.n. ex communi, naturaliq; corporũ constitutione calida internè in iis mul tum sanguinem, & calidiorem quidem gigni. Quòd si illud accedat, q. in ætate calida consistant, in qua maior copia sanguinis generat, & nonnihil biliosi humoris admiscetur, & calida accedat temporis constitutio, in qua serosi, & biliosi humoris nonnihil admiscetur, & iidem magis acuuntur: quibus simul cõpositis necessariò quasi consequitur eos sanguinis ex narib. profluuio tẽcari, cùm is ex bilioso, multo, acri, mordaciq;, & seroso sanguine venarum orificis vellicante fieri vt plurimum consueuerit.

Morbos etiam sacros appellatos, paucos quidẽ, verùm vehementes] Multa superiùs à nobis dicta sunt de morbi sacri nomenclatura, & causis, ex quibus aliquid non erit ab re mutuari pro huius loci expositione. Dictũ est à nobis à duplici causa morbum sacrũ ortum habere potissimũ, pituita, & humore melancholico in multa quantitate, à quibus repẽte ventriculi cerebri, & spiritus ducentes meatus repleri,& infarcti, efficiunt, vt æger cohibito spiritu animali corruat: quamuis interdũ venenosa, & grauiter substãtiæ cerebri infensa qualitate præditus humor tenuis, vel flatus, epilepsiæ causa statuatur Gal. teste cap.7. 3.de Loc.Patientib. Cùm igitur sana, robustaq; capita huiusmodi ciuitatis incolæ sortiri sint; cumq; nõ satis multi humores crassi calore naturali valido elaborante aggregari queant, meritò huiusmodi morbos rarò accidere restatur: Verùm si qui excitantur, vehemẽtes esse solẽt; cùm qui à melancholico,& atro humore fiunt, vehemẽtiores multò sint: vt docet lib. de Sacro morbo,& Gal.3.de Loc.Patientibus. c.7. quàm qui ex pituita, quæ alioqui in iis difficilimè aggregatur ob internum naturalem calorem viuidiorem: atra autẽ bilis quãdoq; generari potest coctione iecinoris terminos proprios excedẽte,& calore quasi superassante: Si igitur accidat (quod tamẽ rarò euenit) ferè semper erit ex humore melancholico, aut certè ex venenosa aliqua qualitate in determinata parte aliqua sedẽ habente,& per interualla capitis partes petentese, vnde vehementiam maximam nanciscitur: quinimò, quẽmadmodũ febris ardens, vbi hyeme inuadat, quo tempore non multũ solet contingere, multò maius periculũ inuehere solet, & magis si senẽ inuaserit, q. non nisi vehementissimam occasionẽ nacta, eo tempore, aut ætate ea solear esse infensa: ita hic morbus, cùm rationib. propositis non nisi rarò in hac vrbe contingere solear, si forrè adueniat, & validissimũ esse,& multũ periculi inuehere oportet, q. non nisi ex validissima causa principium duxerit.

Tum etiam si quis alius communis ex temporum mutatione accidat] Quod superiùs in altero situ locorum describendo præstitit, in præsentia id ipsũ de eo, quem nunc tradit, facit, vt intelligerem hos morbos esse peculiares locorũ, nisi fortasse ex aliqua mutata cõstitutione notabili morbi alij, aut etiam contrarij contingant, quoniã horum etiam fiunt participes.

XVI.

Τῇσι δὲ γυναιξὶν πρῶτον μὲν ἀφοροι πολλαὶ γίγνονται διὰ τὰ ὕδατα ἐόντα σκληρά τε καὶ ἀτέραμνα, καὶ ψυχρά. αἱ γὰρ καθάρσεις οὐκ ἐπιγίνονται

τῃ τῶν ἐπιμηνίων ἐπιτήδειαι, ἀλλὰ ὀλίγαι καὶ πονηραί. ἔπειτα τίκτουσι χαλεπῶς, ἐκτιτρώσκουσί τε οὐ σφόδρα. ὁκόταν δὲ τέκωσι, τὰ παιδία ἀδύνατοι τρέφειν εἰσί. τὸ γὰρ γάλα ἀποσβέννυται ἀπὸ τῶν ὑδάτων τῆς σκληρότητος καὶ ἀτεράμνης.

Ex mulieribus autem, primùm quidem multæ steriles fiunt propter aquas, quæ sunt duræ, crudæ, & frigidæ: purgationes enim mensiū idoneæ non eueniunt, sed paucæ, & laboriosæ. Deinde difficulter pariunt, & non valdè abortiunt, vbi verò pepererint, filios nutrire non possunt: Lac enim ab aquarum duritie, & cruditate extinguitur.

Muliebres morbos locorum enumerati proximè situs iam docere aggreditur: sterilitateq; primùm plurimas tentari scribit, & refert causam in aquarum duritiem, cruditatem, & frigiditatem, quæ qualitates efficiunt, quominùs commodè menstruæ purgationes effluāt: nam cùm ob naturalem temperiem, & structurā corporis non satis fœcundæ sint mulieres, adueniente extrinsecus causa necessariò, perpetuóque coniuncta, qualis est aquarum potabilium natura, infœcundiores adhuc redduntur: vnde in priori situ describendo cùm muliebres morbos enumeraret, sterilitatem posuit: hanc tamen à natura non contingere, dicit, quoniam cùm eorum communis temperatura calida sit, & humida, fœcundissimæ à natura esse deberent, ob ligamentorum autem laxitatem, & alias causas, quas ab initio explicauimus, steriles sæpenumerò redduntur. At verò hoc loco cùm à natura non satis essent fœcundæ mulieres huius situs locorum, non dixit, steriles esse non à natura, sed id subticuit, vt insinuaret, addiditq; potiorem quandam causam, quæ si naturalis non est, cùm tamen in continuo sit vsu, necessaria, & quasi connaturalis efficitur: Ea verò est aquarum vsus continuus nō in potu modò, sed in quocunq; cibo, & pane etiam parando necessarius: cùm enim sint huiusmodi naturæ, fit, vt & extinguatur calor naturalis, & virtus ob frigiditatem eneruetur, sanguisq; crassior, & subfrigidus generetur, qui cùm per venas duci non possit, certam sterilitati præbet occasionem: extingui enim genituram præ copiosis humoribus scribit Hippocr. 62. 5 Aphoris. sterilitatemq; inde pendere, tum & vbi frigidi sunt vteri, spissi, & crassi nimirum: vnde lib. de Natura pueri, num. 39. & lib. de Morbis mulier. post mensium purgationem, scribit, eadem die, vel certè post paucos dies viris permixtas mulieres facilè concipere, quòd tunc maximè vteri hiantes genitură recipiant: vnde iam dixerat, quòd si mulier vacua mēstruo sanguine fuerit, tunc concipit; sin plena, minimè. Hæc eadem causa reddita est lib. de Sterilibus, cùm dicit; Si verò mulieri menses non contingant, omnino etiam sic non concipit, venæ enim sanguine plenæ genitură non admittunt, & in venis aliquid inueterati sanguinis inesse necesse est, quod nutriri genituram prohibet: Si verò pauciores, quàm debeant, menses prodeant, neq; sic prægnans fit, prauæ enim contingunt purgationes pituitosæ, decolores, & laboriosæ: hanc eandem sententiam Hippocr. confirmat Aristot. 7. de Histor. Animalium, cùm dicit, conceptus mulieribus, postquam à menstruis liberatæ sunt, sua natura contingit: nonnullæ tamen, etiam dum profluūt menses, concipiunt; postea verò concipere nequeunt, quibus statim à conceptione vterus clauditur: qđ etiam lib. de Semine ab iis mutuatus Galenus confirmauit; vbi finitis nuper mensibus vterū ad conceptum genituram attrahere, & attractā tunc potissimum retinere scribit. Si igitur ob aquarum duritiem, crassitiem, & frigiditatem; sanguis crudior, crassior, frigidiorq; redditus expurgari obstructis meatibus, per quos fluere solebat, non potest, certum erit, quod hoc loco ab Hippocr. scribitur, ob aquarum peculiarem huiusmodi locorum naturā mulieres infœcundas reddi.

Deinde difficulter pariunt] Multas quidem steriles fieri scribit, non tamen omnes, sed eas tamen, quæ concipiunt, vbi partus instet, difficilem, laboriosumq; partum habere; nec quidem ab re: inspiratis enim ventis frigidioribus, & aquis eiusdem qualitatis haustis vterus frigore condensatur, eiusq; membranæ, & adiacentes partes magis induratæ extensioni contumaces efficiuntur; vnde pariendi difficultas accidit: quare inferiùs lacustres aquas dicebat, & stabiles, hyeme mulieribus partus efficere difficiliores, sicut & tempora in frigiditate nimis excedentia.

Et non valdè abortiunt] Quam causam difficultatem pariendi Septentrionalibus efficere dicebamus, hæc eadem efficit, quò rarius abortū patiantur: si enim non multùm hiantes, laxíve sunt in his vteri ob ambientis frigiditatem, & aquarum duritiem: si præterea duriores factæ sunt membranæ, & solidiora ligamēta, quibus vterus matri alligatur, si præterea vniuersum corpus solidius, duriusq; effectū, internas multas, externas omnes offensas faciliùs superat, quis dubitet hac eadem ratione Septentrionalia loca inhabitantes mulieres, si quando concipiant, difficilimè abortum pati?

Vbi verò pepererint, filios nutrire non possunt; lac enim ab aquarum duritie, & cruditate extinguitur] Pulcherrimo ordine vtitur Hippoc. docuit. n. rarò mulieres cōcipere, postea si concipiāt, rarò abortum pati: nunc etiāsi abortum non patiātur, infantes vix nutrire posse ob lactis defectū: cū enim non multū refertas esse sanguine docuerimus, is verò etiā sit crassus, & frigidus, qui ad mammas deferri nō possit, facilè lac in iis deficiet. Lac. n. sanguis est redundās à mamis alteratus, vt docet Hipp. li. de Ali. & li. de Nat. Pueri.

Sed vt hoc commodiùs intelligi posſit, pręſtat Hippoc. ſententiam de lacte, eiusq; generatione adſcribere: qua intellecta, huius, quam præ manibus habemus, ſententiæ facilè rationem reddere poterimus: Lac, inquit, ob huiuſmodi neceſsitatem fit, cùm humidi vteri præ puero ſunt, ventrem mulieris comprimunt: eius autẽ pleni vbi contigerit compreſsio, pinguiſsimũ de cibis, ac potibus, foras proſilit in omẽtum, et carnem. Quemadmodum ſi quis corium illiniat multo oleo, & inbibere permittat, & vbi imbibit, corium ipſum premat, oleũ vtiq; exilierit foras ex corio compreſſo. Sic etiam ſi venter pinguedinem in ſe habeat à cibis, & potibus, cõprimaturq;, ab vteris, pinguitudo proſilit in omentum, & carnes: & ſi raræ mulier carnis fuerit, citiùs percipit eius perſultationem: Si non, poſteriùs. Quin etiam pecora pręgnantia ſi non ægrotent, ab eodem cibo, & potu pinguiora præterea fiunt: ſimiliter autem & mulier. Et à pinguedine calefacta, & alba exiſtente, quod edulcatum eſt à caliditate, quæ ab vteris acceſsit, expreſſum venit in mammas, & in vteros quoq; venit per eaſdem venas: tendunt enim & in mammas, & in vteros venulæ eæ, & conſimiles aliæ. Et vbi peruenerit in vteros de lacte, puer ipſo paululum fruitur, mammæ verò lacte impletæ attolluntur. Et vbi pepererit mulier, principio motus facto, lac in mammas ipſas procedit, ſi lactauerit: Sic enim res habet. Dum mammæ lactant, & exſuguntur, venulæ in mammas ampliores fiunt; ampliores autem factę à ventre pinguedinem trahentes, in mammas diſtribuunt. His igitur quæ hoc loco de lacte, eiuſq; generatione ab Hippoc. ſtatuta ſunt, poſitis, manifeſtum efficitur, quomodo in iis locis, quæ Septentrionem ſpectant, pueri facilè moriantur ex defectu lactis: cùm enim ex aquarum mala qualitate ſanguis paucus, & ad generationẽ lactis non ſatis aptus fit, cùm ſubtilior, calidiorq; eſſe debeat, tandem lac conſumitur. Accedit, quòd corpus vniuerſum durius redditum eſt, & non ſatis peruium, & meatus omnes ratione & aquarum, & ambientis anguſtiores redditi ſunt: quò fit, vt ſanguis craſsior alioqui, & ad penetrationem non ſatis aptus, p anguſtiſsimas venulas, & ſtrictiſsimos meatus, de quibus locutus eſt Hippocr. ad mammas peruenire non poſsit; vnde meritò dixit lac in mammis extingui. Pulcherrima tamen hoc loco proponitur ab Alemano difficultas: ſi lac ob aquarum cruditatem extinguitur, cùm ex eo ſanguine lac in mammis fiat, ex quo in vtero fœtus nutriebatur, quomodo fœtus, dum in vtero permanet, iiſdem rationibus non elanguesſcet, & emorietur, ſanguine bono pro nutritione deſtitutus. Reſpondet, mulieres has in puerperio grauiſsimè laborare, adeò vt ſanguis ob virium imbecillitatem minuatur, & pituitoſior euadat; proinde non poteſt à mammillarum glandulis, quæ natura ſunt frigidæ, ſufficienter confici, & in lac commutari. Etenim, antequam per venas lacteas ad vbera deferatur, refrigeratur: quamuis ad ea quantitate, & qualitate mediocris, & temperatus iam delatus debeat refrigerari, vt ex eo lac fiat. Quaſi verò dixerit Hippocr. ſtatim natos ex defectu lactis infantes non: cùm potiùs id procedente tempore accidere intelligi oporteat, quòd tractu temporis ſanguine ea, quam diximus, cauſa, ad vbera non attracto, aut non tranſmiſſo, extingui reuera dici poſsit. Nos tamen huic difficultati facilè ſatisfieri poſſe credimus, ſi ea, quæ proximè dicta ſunt, conſiderauerimus, quòd non modò ex defectu ſanguinis in vniuerſo corpore lac extingui poteſt, ſed potiſsimum, aut adeò craſſefacto, vt permeare loca alioqui natura ſua anguſta nequeat, aut certè adſtrictis vſq; adeò venulis, & meatibus inſenſibilibus, vt per eos, ſanguis quicunque fuerit, permeare non poſsit: in iis verò locis tum ratione ambientis frigidis, tum ratione aquarũ, quæ duræ, crudæ, & frigidæ ſunt, cùm ſanguis & craſſus reddatur, vt penetrare non ita facilè poſsit, & meatus anguſti redditi ſint, non mirum, ſi infanti iam edito alimentum commodum per mammas longo tempore non ſuppeditetur, qui alioqui infantis neceſsitati, dum in vtero eſt, commodè ſatisfacit ob venas magnas, quæ in iis partibus à natura poſitæ ſunt.

XVII.

Φθίσιές τε γίνονται συχναὶ ἀπὸ τῶν τοκετῶν. ὑπὸ γὰρ βίης ῥήγματα ἔχουσι καὶ σπάσματα.

Phthiſes autem frequẽtes generantur à partu: ob violentiam enim diſruptionibus afficiuntur, & diuulſionibus.

Nomen hoc, quo vſus eſt Hippoc. in præſentia, φθίσις, nõ ſatis feliciter meo iudicio tabem verterunt, vt etiam vbiq; faciunt, cùm nos Latini nomen correſpondẽs propriè non habeamus: tabes enim apud Celſum, quem ſolum ex antiquis in medicina Latinè loquẽtem nobis licet imitari, cõmunior multò eſt ipſa φθίσει affectio: Lib. enim 3. cap. 22. tabis tres conſtituit ſpecies: quarum vna eſt, in qua corpus non alitur, vnde continuò naturaliter aliquibus conſumptis, nullis verò earũ loco ſubſtitutis, ſumma excitatur corporis macies, & extenuatio: hanc, inquit, ἀτροφίαν Græci vocãt: altera eſt, quã iidem καχεξίαν appellant, vbi malus habitus corporis eſt, ideoq; omnia alimenta corrũpuntur. tertia eſt, longeq; periculoſiſsima ſpecies, quã Græci (vt inquit) φθίσιν vocant: oritur hæc, inquit, ferè à capite, inde in pulmonem diſtillat; hinc exulceratio ſuccedit, ex hac febricula leuis fit, &c. ex quibus fit manifeſtum, tabẽ apud Latinos eſſe tanquam genus ad phthiſim. Satius igitur eſt ſpeciei nomine vti Græco, quàm nimis Latinè loquentes malè Hippocr. interpretari. Nomen hoc φθίσις quamuis ſit ſpecies exte-

extenuationis, duo tamen etiam habet significata: siquidem quandoq; significat vniuersalē quandam extenuationem corporis, siue ea sit cum febre, siue sine, vndecunq; ea habeat ortū: aliquando verò significat vniuersi quidem corporis consumptionem, & extenuationem, quę tamen ex vitio pulmonum ortum, & fomentū habet: vitium verò id est vlcus, cuius affectus semper comes est hectica febris. Quum igitur has mulieres facilè phthisi tentari scribit Hippocr. intelligendum de posttema hac, quam solam verè hoc nomine insigniri credo, potissimum esse censeo; ex laborioso enim partu, quē in iis semper ferè esse scribit, venula aliqua disrumpi potest, quæ sanguinem fundendo veræ phthisi vlcerosæ manifestam præbet occasionem: effuso enim sanguine, neque per sputum educto, in thoraceque, & pulmonibus coagulato, & putrefacto pus generatur, & sic fit phthisis vera: neq; enim hoc loco de iis phthisis speciebus loquitur, de quibus tum lib. de Inter. affect. tum secundo de Morb. & lib. de Locis in homine actum est, quæ ex materia pituitosa, & acri, à capiteq; defluente excitantur, sed de eà potiùs, quæ disrupto ob violentiam vase aliquo interno pulmonis, vel alterius partis spiritualis phthisi veræ veram præbet occasionē: subdit enim, qua ratione phthises in iis excitentur [*ob violentiam enim disruptionibus afficiuntur* (inquit) *&* *diuulsionibus*] quibus verbis non simplicem materiæ à capite ad pectus defluxum significauit, sed ruptionem vasorum ob violentiam: intelligendum enim erit per violentiam laborem partus, & vehementes clamores, vnde vel per consensum, vel per primariam affectionem potest vena, vel arteria in pulmonib⁹, vel in thorace disrumpi. Potest tamen etiam per phthisim vniuersalem illam corporis emaciationem nullo præcedente pulmonis vlcere intelligi: nam si partis alicuius ex iis, quæ in partu concurrunt, vena aliqua disrumpatur, diuellaturq;, per eam natiuus effluet calor, vnde vniuersum corpus contabescet, atq; marcorem patietur; vt si epigastrij musculorum, qui partū iuuant, vena, vel peritonæum rumpatur, non aliter sanguine, & spiritu euacuato, corp⁹ paulatim contabescet, quàm perforato, aut exeso ventriculo aliquando accidere videamus: veluti etiā si ex partus labore aliquis in vtero exciretur, aut instrumentarius, aut similarium, aut etiam communis aliquis morbus, atq; verba, quibus propositionis reddit causam, paulò superius posita, optimè etiam huic expositioni quadrabunt: cùm disruptiones, & diuulsiones ob violentiam in vniuersum nulla posita particula dixerit: sicque per violentiam actionem obstetricis violentam, & parturientis mulieris intelligemus, ex qua facilè potest vas aliquod nimis auulsum disrumpi, & phthisi occasionē prębere: Verba etiam sequentia, ῥήγματα καὶ σπάσματα, id facilè innuere videntur: nihil enim aliud ante oculos ponere nobis videntur, quam violentiam factam manibus, & motu, qua tracta vasa, & nimis diducta disrumpūtur. Rigma enim docuit tertio Method. med. cap. 2. & 4. eiusdem cap. primo esse solutionem continui [in v]ase, & musculis. Spasma etiam est morbus [in so]luta continuitate in neruosis, & carnosis [part]ibus, modò omnino soluatur continuum, [i]n quo à spasmo differt, qui non morbus, sed symptoma à Galeno censetur. Verùm, vt & hoc obiter annotem, cùm interpretes nō satis commodam vocē haberent, qua nobis Latinè spasma exprimerent, sæpenumerò eadem Latina voce vsi sunt, qua nobis Latinè repræsentatur is affectus, qui Græcis spasmus dicitur, Conuulsione.

XIIX.

Τοῖς δὲ παιδίοισιν ὕδρωπες ἐγγίνονται ἐν τοῖσιν ὄρχεσιν, ἕως μικρὰ ᾖ. ἔπειτα προϊούσης τῆς ἡλικίας ἀφανίζονται.

Pueris autem hydropes in testibus fiunt, quandiu parui fuerint, deinde, ætate procedente, euanescunt.

Hydropis nomen propriè si sumatur, morbum significat, in quo plurimus aquosus humor coaceruatur inter membranam peritonęū appellatam, & intestina: quāuis etiam de duabus aliis speciebus dicatur tanquam genus, de tympanite, in qua flatus cum aliquo aquoso humore in eodem loco colligitur, & de anasarca, quæ fit ex aquoso, & pituitoso humore, partim à iecinore demandato, & partim ab vniuersi corporis carne, quasi colliquata: nomen tamen ipsum, si vim vocabuli intimiùs considerauerimus, apud etiam Hippocr. aquam significat, in quocunq; locō colligatur; vt videre licet primo de morbis, si tamen Hippocr. ascribi debet; vnde non ventris modò inferioris, aut vniuersi simul corporis aqua repleti nomē hoc apud Hippocr. est, vt apud Hippocrate recentiores communiter accipitur, sed cōmune est pluribus particulis: de hydrope enim pulmonis actum est secundo de Morbis, numer. 59. de vreri hydrope 4. de Morb. 39. ventriculi paulò ante ibidem: significat enim aquam in iis locis collectam. Hoc igitur loco sumitur communiori hac significatione pro aqua in testibus, vel scroto contenta. Quæ affectio vt commodiùs cognosci pōssit, annotandum illud est, peritonæum non perforati ad ossa pubis, sed productionem quandam illius descendere in scrotum, per cuius meatum spermatica vasa, arteria scilicet & vena perreptant ad testea, & per eundem locum eiaculatoria ascendunt, vt inserantur collo pudendi: in hac productione multi tumores fiunt, quos Gręci communi nomine κήλας appellant, nostri ramices, siue hernias, modò in scroto, modò in partibus supra scrotum, per quas fit descēsus: hi autem tumo-

res, vel à flatu, vel ab aqua, vel à crasso humore in carnis faciem verso, vel à tumore venarũ varicoso, vel ab aliqua ex iis, quæ intra peritonęũ continentur, dilapsa parte, puta intestino, vel epiploo rupta, vel laxata, aut hiante perit[illegible] excitantur; vnde & varia ipsis nomina [illegible]ta sunt: pneumatocele, hydrocele, sarco[illegible] cirsocele, enterocele, & epiplocele: quin[illegible] cum inter se componantur quandoq;, nomi[illegible] etiam talia sortiuntur, vt ὑγροκιρσοκήλη, qui à nobis efficto nomine aquiuaricoramex dici poterit; & ὑδροεντεροκήλη, id est, aquintestinhernia, & ὑδροσαρκοκήλη, id est, aquicarniramex: quamuis etiam à loco diuersas sortiantur denominationes, vt bubonocele in inguine, & oscheocele in scroto dicitur. Hic igitur per hydropem in testibus tumorem intelligit in scroti regione, qui dicitur hydrocele: qui cognoscitur omni aditu lucis intercluso obiecta candela cerea, si pellucescat: quandoq; adeò tensum est scrotũ à multitudine humoris, vt nisi pelluciditas detegeret fraudem, facilè intestinalem, aut carnosam censeremus. Verùm quoniam etiam flatu tumorem excitante adhuc pelluciditas apparet, ab hac grauitate illa distinguetur. Triplex autem etiam est aquosi huius ramicis species, vt nobis insinuauit Celsus lib. 7. cap. 18. cùm enim testiculus duabus tunicis insignibus inuoluatur, erythroide, quam sequitur darton; prima species est, quæ ferè semper fit humore intra has duas tunicas collecto, vt videre licet apud Galenum lib. de Tum. præter nat. 15. quàuis aliquando, licet rariùs, vt testatur Paulus libro 6. cap. 62. & Aëtius 4. Quater. Ser. 2. cap. 22. inter erythroidem, & darton tunicam colligatur: colligitur secundò in toto scroto, distinguiturq; à præcedenti, quòd in hac totum scrotum intumescit sine rugis vesicæ vento inflatę instar; in alio autem percipitur tantùm tumor in testiculo, videturq; rotundus, & tensus, rugato, & laxiore scroto existente. Quandoq; etiam, vt Paulus, & Aet. locis citatis docuerunt, & experientia sæpenumerò ostendit peculiari quadam tunica aquosus humor comprehenditur, quæ cæteris supernascitur veluti atheroma quoddam, aut steatoma, vt videatur tertius testiculus, & est tertia species. In pueris igitur iis testatur Hippocr. sæpenumerò gigni tres has species aquosi ramicis, non tamen per omnes ætates produci, sed euanescere. Alemanus per pueros vix dum natos infantes intelligit, sicq; reddit huius Hippoc. dicti rationem, quòd collisis, aut fractis vasis in puerperio sanguis subinde colligatur alimenti ratione defluens, qui postea in aquosam, serosamq; substantiam mutatur: quæ tandem discutitur ab ætate ad siccioren, robustioremq; naturam immutata. Verùm non video, quomodo hæc sint ad propositum, neq; quomodo vera esse possint: quærimus enim de hydrocele vera, quæ ex seroso humore fit, ipse respondet de sanguine defluxo, qui nunquam veram hydrocelem facit, cùm in aquosum humorem conuerti nequeat; qui discerni possit per pelluciditatem iam dictam; cùm alioqui Aëtius, & Paulus ita veram hydrocelem ab aquosa materia influxa natam citra rupturam ab alia cum ruptura ex contusione distinguãt, quòd in illa sincerus, & pellucidus aquosus humor cernat, in hac verò sanguinolentus. Præterea non video, quomodo sanguis in serosum humorem ita vertatur, vt pellucescat, quod in pueris infantibus quotidiana experientia videmus: quinimo sanguine transfluxo periculum esset, ne crassior tactus carnosæ speciem referret. Quare per pueros, dum parui sunt, tres primos annos infantiæ intellexisse crediderim: quare verò hoc accidat, colligi potest ex iis, quæ de modo, quo hydrops quæcunque fit, nobis tradidit Hippocr. lib. de Locis in Hom. part. 18. cùm enim lac, & quęcunq; aquosas partes habent, cruditatem, duritiem, & per consequens grauitatem habeant, humiditate connaturali puerorum coadiuuãte, mollitieq; partium, & laxitate meatuum, efficitur, vt crudum, & durum, graueq; alimentum assumptũ, minimeq; confectum, cùm ad superiores partes transmitti nequeat ob earum angustiam, & constipationem, eoq; etiam rectè consumi, ad infernas partes transmittatur, puta ad vias vrinæ. Cùm verò ob crassitiem non satis aptam viam nanciscantur, impingi, retineriq; oportet in aliqua earum partiũ: cùm verò nulla sit scroto capacior, in eo morbus ille excitatur. Verùm procedente tempore cùm ætas ad sicciorẽ vergat, meatusq; propterea non ita aperti, & laxi sint, virtutibus naturalibus, & potissimum expultricẽ ob villos magis exiccatos validiorib[us] factis, neq; subministrata facilè materia, & iam fluxa paulatim consumpta, tumorem illum euanescere tandem oportet.

XIX.

Ἡβῶσι τε ὀψὲ ἐν ταύτῃ τῇ πόλει. περὶ μὲν οὖν τῶν θερμῶν πνευμάτων καὶ τῶν ψυχρῶν καὶ τῶν πολίων ὧδε ἔχει, ὡς προείρηται.

Pubescunt autem serò in hac ciuitate. De calidis quidem ventis, & frigidis, & in vrbibus, sic res se habet, vt docuimus.

Vt quæ de veloci, tardáve pubertate ab Hippocr. dicuntur, intelligi possint, aliquid de pilis, eorum generatione, & causis est dicendum; neque enim alia ratione commodè intelligere poterimus quæ ab Hippoc. hic dicta sunt. Materia igitur pilorum sunt fuliginosa excrementa vaporibus pinguioribus, & limosis admixta ad cutem delata, vt docet Galenus 2. de Temper. cap. 5. vnde 3. Method. meden. cùm materiam crassam, & terream, pilorum materiam esse dicit, hoc modo intelligendus est. Hæc igitur excrementa si impetu ad cutim pellantur, perforare cutim paulisper incipiunt, atq; quandiu

diu intra meatum firmantur, pilum producunt, vt docet idem Galen. primo de Valetud. tuend. capite duodecimo, & vndecimo de Vsu part. capite decimoquarto. vnde decimoquarto libro Method. medend. capite decimooctauo, dicit ostensum esse in naturalibus libris, quòd ex succis, qui per cutim transpirāt, quod limosum est; id pilos tum à principio gignere, tum de cætero, veluti subcrescendo augere: vbi notandum est, quòd vbi est limosum, in plerisque codicibus Græcis etiam legitur ἰλυῶδες, in Aldino tamen est λιγνυῶδες, quod est fuliginosum. Quòd si hoc modo legatur, intelligendum est, quòd accedit ad naturam fuliginis, non tamen reuera fuliginosum est, cùm etiam in se habeat humiditatem: Vnde docebat Galenus septimo de Simplic. medic. fac. cap. de Ladano, in alopecia (est hic morbus, in quo capilli defluunt) has rationes non esse vtendum tantùm exiccantibus, vt enim continuentur, debet humiditas quædam pinguis adesse. Hanc sententiam mutuatus est ab Aristot. qui quinto de Generat. animal. capite tertio, à vaporibus ad cutim latis fieri pilos dicit, sed vt augeri possint, debet adesse materia pinguis. Vnde si hoc modo, quo nos exposuimus, Galeni sententiam interpretabimur, non dabitur locus calumniæ aduersus Galenum, cuius eum insimulauit Auer. secundo Collect. Materia autem hæc excitatur, & eleuatur à calore nostro, qui agens in humores vapores eleuat, & fuliginosa excrementa, vt docet Aristotel. loco citato. Verùm vltimam quasi manum adhibet, & tanquam causa coadiuuans concurrit frigus externum, à quo materiæ illæ in egressu vim passæ quasi coagulantur, & ad formam pilorum reducuntur: debet autem amplitudo meatuum moderata adesse; si enim nulla fuerit, nulli producuntur pili, vt in cicatrice, quarta Problem. quarto, & decima Problem. decimotertio: quòd si excedat, impedit quoque pilorum generationem; imò si qui sunt, facilè decidunt. Mediocriter igitur pori cutis aperti esse debēt, vt continuatis vaporibus, & fuliginibus in illis, vnaque alteram protrudente, per continuationem pili excitentur. Quæ cùm ita sint, facilè cognosci potest, quare in locis Septentrionem respicientibus tardiùs pubescant pueri: quamuis enim calidos hos esse iam diximus, & proinde potiùs viderentur citò debere pubescere ob vapores multos eleuatos; nihilominùs ratione à cæteris omnibus desumpta tardiùs pubescunt: materia enim fuliginosa, & excrementitia nulla ferè est, aut exigua in iis pueris, cùm calor adurens, qui fuligines, & limosa excrementa producere solet, non adsit, sed mitis, blandus, temperatus, & naturalis; vnde multam fuliginem eleuare nō potest. Meatus præterea, quos ad pilorum generationem necessarios esse diximus, aut nulli sunt, aut quā angustissimi ob ventorum frigiditatem, qua cutis & induratur, & constipatur. Procedente verò tempore calore magis æstuāte, multo maior crassatum, & terrenarum fuliginum copia excitatur, quæ exitum quærentes viam tandē sibi struunt, per quam egrediantur: vnde tandē multis, & assiduis impellentium vaporum ictibus cutis magis, ac magis perforatur, sicque pili fiūt. Verùm dubitabit quispiam, si vera sunt, quæ à nobis de pubertate tardiori, & velociori dicta sunt, quomodò fœminæ cùm frigidiores sint, tardiùs non pubescant, quàm viri, cùm in quacunq; regione oppositum potiùs accidat. Nisi dixerimus id esse per accidens; cùm enim tunc principium fluxus menstruorum instet, nec tamen adhuc fluant, calore aduentitio in ea parte aucto, pilorum veloci eruptioni præbent occasionem.

XX.

Ὁκόσαι δὲ κέονται πρὸς τὰ πνεύματα τὰ μεταξὺ τῶν θερινῶν ἀνατολέων τοῦ ἡλίου, καὶ τῶν χειμερινῶν, καὶ ὁκόσαι τὸ ἐναντίον τουτέων, ὧδε ἔχει περὶ αὐτέων. ὁκόσαι μὲν πρὸς τὰς ἀνατολὰς τοῦ ἡλίου κέονται, ταύτας εἰκὸς εἶναι ὑγιεινοτέρας τῶν πρὸς τὰς ἄρκτους ἐστραμμένων, καὶ τῶν πρὸς τὰ θερμά, ἢν καὶ στάδιον τὸ μεταξὺ ᾖ. πρότερον μὲν γὰρ μετριώτερον ἔχει τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρόν. ἔπειτα τὰ ὕδατα, ὁκόσα πρὸς τὰς τοῦ ἡλίου ἀνατολάς ἐστιν, πάντα λαμπρά τε εἶναι ἀνάγκη, καὶ εὐώδεα, καὶ μαλακά, καὶ ἐρατεινὰ ἐγγίγνεσθαι ἐν ταύτῃ τῇ πόλει. ὁ γὰρ ἥλιος κωλύει, ἀνίσχων καὶ καταλάμπων. τὸ γὰρ ἑωθινὸν ἑκάστοτε αὐτοὺς ὁ ἠὴρ ἐπιπλεῖ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Quæ verò sita sunt ad ventos, qui sunt inter æstiuos Solis exortus, & hybernos, & quæ ex opposito horum, sic res de ipsis se habet. Quæcunque quidem ad Solis exortus sita sunt, eas aquum est salubriores esse iis, quæ ad Septentrionem conuersa sunt, & iis, quæ ad calidos ventos sita sunt, etiamsi stadium solum intersit. Primùm enim moderatior est caliditas, & frigiditas: deinde aquas, quæ ad Solis ortus sunt, omnes splendidas esse necesse est, & odoratas, & molles, & amabiles generari in hac ciuitate: Sol enim exurgens, & illustrans, eas castigat: matutinum enim tempus vbique occupat aer vt plurimùm.

Postquam breuiter, & absolutè ea omnia persequutus est Hippocr. quæ pertinent ad naturam locorum, quæ aut Meridiem, aut Septentrionem respiciunt, & ad naturales, & præternaturales dispositiones eorum, qui ea incolūt, aggreditur etiam duos alios situs considerare, atque inquit: ὁκόσαι δὲ κέονται πρὸς τὰ πνεύματα τὰ μεταξὺ, id est, *[quæ verò sitæ sunt ad ventos, qui sunt inter æstiuos Solis exortus, & hybernos]* sic enim legendū credo ex doctissimi Gadaldini antiquo manuscripto, cùm in Basiliensi, & Aldino, hoc modo

legatur: *ὁκόσαι δὲ κέονται πρὸς τὰ πνεύματα μεταξὺ*: pessimè autem & superfluè, vt cuique licet conspicere, legit Alemanus hoc modo: *ὁκόσαι μὲν πρὸς τὰς ἀνατολὰς τοῦ ἡλίου κέονται πρὸς τὰ πνεύματα μεταξύ.* quod est, quæ quidē ad ortus Solis sitæ ad ventos inter æstiuos Solis exortus, & hybernos, &c. per ventos autem inter æstiuos Solis exortus, & hybernos intelligit *καικίαν, ἀπηλιώτην*, & qui *εὖρος* dicitur; neq; enim præpositio *μεταξὺ*, excludit laterales cardinali, quem *ἀπηλιώτην* nostris subsolanum dici docuimus: quamuis enim superiùs, cùm de Meridionalibus, & Septentrionalibus agens, ortum, & occasum æstiuos, & ortum, & occasum hybernos limitea ponit, & vtitur dictione *μεταξὺ*, docuimus terminos illos, & ventos ab illis punctis perflantes excludi: hoc loco tamen multò aliter est intelligenda; illi enim nec collaterales Septentrioni sunt, aut Austro, nec illorum cardinaliũ naturam sequuntur: hic verò cùm de iis locis, qui orientalibus, & occidentalibus ventis expositi sunt, agat, meritò, cùm terminos ortum, & occasum æstiuum, & brumalem ponat, ventos etiam ab iis punctis flantes comprehendit, quod & Subsolani, & Fauonij collaterales sint, & eandem cum principibus naturam habeant: tum quòd ij orientales, & occidentales dicantur. Vnde statim, cùm ad naturas earum considerandas descendit, inquit: [*Quæcunq; quidem ad Solis exortus sitæ sunt, eas æquum est salubriores esse, iis, quæ ad Septentrionem conuersæ sunt, & iis, quæ ad calidos ventos sitæ sunt, etiamsi stadium solùm intersit*] vtitur enim plura significante nomine, vt tres ventos comprehendat à tribus punctis flantes. Loca igitur ad Orientem versa, ventosque orientales excipientia salubriora esse dicit iis, de quibus egit hactenus, iis scilicet, quæ aut ad Septentrionem versa sunt, aut ad Meridiem, etiamsi solùm stadium intersit. Est autem stadium octaua pars miliarij, vigintiquinq; Romanis passibus constans, vt videre licet apud Columellam lib. 5. cap. primo, & Strabonem lib. 7. Geograph. & Plin. lib. secundo Natural. Hist. cap. 23. quamuis Plutarchus in Graccho non animaduertens pedis Græci, & Romani differentiam, octo stadia paulò minùs esse miliari asserat: Sed hæc obiter dicta sint; quoniam, vtcunque sit, breue loci interuallum stadij nomine Hippocr. intellexisse certum est. Sunt igitur salubriores Orientem spectantes ciuitates quibuscunque aliis. Primùm ob moderatam in actiuis qualitatibus temperiem; neq; enim calor, vt in Meridiem spectantibus exuberat; neque frigus, vt in boreali excedit, sed moderatam vtriusq; nanciscuntur temperiem: hocq; ex ventorum orientalium natura accidit. Deinde quòd id quotidiana videamus experientia in iis, quæ vsui nobis, aut bono alicui futura sint, vt orientia ea primùm, moxq; augescentia non minùs vtilia nobis sint, quàm lætiora, gratioraque; vnde fit, vt maiorem quoq; ex Solis ortu, ascensuque, quàm ex inclinatione, occasuque voluptatem, tum & vtilitatem etiam sentiamus, siue id fit, quod renascentem diem ea primùm excipiat: siue quòd eandem sortiantur temperiem, & naturam, qualis auroræ est, & primæ partis diei, in qua exhaustum pridie humorem frigiditate, & humiditate, cùm nox reposuerit, temperiemq; quasi fecerit, superueniente nouo, eoq; miri, placidoq; Solis calore gratissimam illam manè quasi excipimus, taslemq; sentimus, donec cœli iam medium occupante Sole, & alterum temporis spacium percurrente, absumpto eo, qui æquabilem priùs faciebat temperiem, humore iterum siccescant omnia. Cùm verò Orientem spectantes ciuitates primum Solem excipiant, ab eoque protegantur maximè, cùm medium occupat, æquabilem quandam qualitatum temperiem, & placidam naturam sortiri necesse est: aliam causam adducit postea, cùm dicit: [*Deinde aquas, quæ ad Solis ortus sunt, omnes splendidas esse necesse est*] Ex aquarum perfectione secundum salubritatis orientalium ciuitatum argumentum desumit, simulq;, & semel aggreditur docere proprietates earum, quemadmodum in superioribus fecisse videmus, cùm post ventos, quos ad aërem reducit, aquarum conditiones tradidit: perfectissimas enim esse aquas testatur, quæ versus Orientem defluunt, quòd nullam habeant in se malam qualitatem, qua ciues morbis afficiant, puta salsedinem, aut duritiem, quarum alteram Meridiem spectanti ciuitati, alteram Septentrionem spectanti, peculiarem esse testatus est; vi enim Solis concoctæ, & repurgatæ limpidiores, & splendidiores euadunt, quòd nihil in se contineant quod malitiam inferat, quodq; etiam visui non sit gratum; hoc enim est, quod dixit, *λαμπρὰ ὕδατα καὶ εὐώδεα*, odoratas interpretati sumus, non quòd odoris boni, aut mali participes esse debeant aquæ laudabiles, sed quòd ita odore carere debent, vt naturam elementi referant, hocque modo fragrantes, & odoratæ, id est, gratæ etiam olfactui dicantur; quemadmodum dulces appellamus, non quæ dulci sapore præditæ sunt, sed quæ omni saporis genere carent. Est igitur sapore dulcis, quæ sine sapore est, colore gratissima, quæ omni colore est vacua, tenuis, limpidaq;, odore fragranti, quæ omni prorsus caret odore: fragrans enim rei alicuius est odor, qui olfactui gratus est, nullus autem odor, quicunq; tandem is fuerit, in aqua potabili olfactui gratus esse solet: Ea igitur aqua reuera odorata dici poterit, id est, grata olfactui, quæ nullum penitus habet odorem: quod idem de aquarum dulcedine dici poterit: sed de iis suo loco.

Καὶ μαλακά.] Molles tum exteriùs ad tactum, quemadmodum ex opposito duræ, & asperæ ad tactum persentiuntur aquæ, quæ ex niue liquefacta sunt: tum potissimum, quòd nō diutius in ventriculo morētur, sed quamprimùm

per vniuersum corpus permeantes, alimētum assumptum, & paratum ducere posint: sicque postremò addit [*amabiles*] quasi ex tribus iis enumeratis aquæ conditionibus postremam omnibus sensibus ferè communem colligit, cùm inquit, esse amabiles: pòst reddit rationē; cùm dicit: [*Sol enim exurgens, & illustrans eas castigat*] cū enim Solem orientem primùm excipiant, cruditas eorū necessariò corrigatur oportet; nam Solares radij caliditate concoquentes, crassitiem aquarum, & duritiem naturalem auferūt: exurgentem verò Solem id præstare scribit, ne quis crederet, quanto magis radiorum solariū actio diuturna fuerit, eò aquas reddi meliores: docebit enim postea aquas, quę Solis radios in meridie diutius, & magis per rectam lineā excipiunt, multò deteriores esse, quòd salsedinē quandam contrahant, tenuioribus, & dulcioribus partibus cōsumptis: quod in iis, quæ coquuntur, quotidiana docet experiētia, quantò enim magis concoquuntur; tantò salsiora vsque ad amarorem euadunt: Meritò igitur dicit exurgens: sed & hoc clariùs ostendit, cùm dicit [*matutinum enim vbique occupat aer vtplurimum*] quibus verbis quamuis obscurioribus (neq; enim aliter crediderim ex Grȩco verti posse) nihil aliud significari credo ab Hippocr. quàm quomodò Sol emergens aquas castiget: cùm enim eæ crassiores reddi possint; & impuriores, si quando nebula, aut caliginosus aër eis admisceatur, Sol mane exurgens causam hanc omnino aufert; eò quòd eam statim consumit: quæ alioqui prima parte diei solet adesse: per aërem enim caliginosum aërem, & nebulā intelligere quandoque Hippoc. longiori oratione demonstrabitur lib. tertio, Com. 31. & cùm hoc ab expositoribus nō esset animaduersum, ad vnum in hac explicanda, & interpretanda sententia omnes sunt decepti. faciliùs autem id cognosci poterit ex part. 28. huius secundi: sed de hac re hactenus.

XXI.

Τά τε εἴδεα τῶν ἀνθρώπων εὔχροά τε καὶ ἀνθηρά ἐστι μᾶλλον, ἢ ἄλλα, ἢν μή τις νοῦσος κωλύῃ.

Et hominum formæ benè coloratæ sunt, & floridæ magis, quàm aliæ, nisi quis morbus prohibeat.

Hippocrates in lib. de Humor. ab initio colorem externum, potissimum autem faciei intelligit, humorum exuberātium in corpus certissimam notam esse scribit, nisi externum aliquid contingat, vnde humorum fiat reciprocatio. Cùm igitur hactenus statutum sit Orientē spectantium locorum situm commendatione magna dignum esse, quòd ob aëris ambientis temperiem, aquarumq; perfectionem saluberrimus sit, corpora, quæ huiusmodi beneficiis fruuntur, ad temperiem quandam accedere verisimile est, sanguineq; pro ratione esse referta; vnde formas hominum, potissimum autem facies magis coloratas, & floridas aliis esse debere asserit. Quis verò sit bonus hic color, satis apertè explicauit, cū dicit: [*& floridæ*] debet enim color huiusmodi esse, vt quodāmodo medius sit inter album, & nigrum, non ita tamen, vt æquis inter se portionibus commisceātur; sic enim λευκομέλας euaderet; quo ppè colore æquinoctialis plagæ habitatores esse dicuntur, oliuarum ferè colorem referētes; sed talia esse debet; vt caloris natiui in eo vincentis appareant notæ: Cuius cùm in corpore vis semper exuberet, æquabiliterque per vniuersas partes diffusa sit, ita vt ne minima quidem in corpore reperiatur particula, quæ calorem hunc non sentiat, efficit, vt sanguis optimus per vniuersum corporis ambitum diffundatur: ambiens autem moderato calore ad externas magis etiam eliciēs, potissimum ad eas partes, quæ eius actioni magis subiiciuntur, qualis est facies, colorem cuti addet floridum, vegetumq;, quem roseum vocare licebit à rosis, non illis quidem rubore nimio purpurascentibus, nō etiam albis, sed medij inter vtrunq; generis, quas quoniam benè à natura temperari, ideoq; formosi alicuius corporis suauiter efflorescentem in cute carnis colorem referunt, incarnatas vulgo vocant. Is igitur bonus color, & floridus est, de quo in præsenti particula locutus est.

Nisi quis morbus prohibeat] Quemadmodū non vbicunq; est bonus color faciei, bonam, & multo sanguine refertam corporis habitudinem arguimus; quòd morbus quādoq; aliquis faciei; vel vicinarum partium floridum illum colorē in facie producit: falluntur enim persæpè medici, dum rubicundum faciei colorem inspiciūt; credentes optimam temperiem vniuersi; & sanguinis redundantiam significari; cùm alioqui & abscessum post aures, & sanguinis per aures profluuium, & pectoris, pulmonumq; inflammationem ostendere posit. Ita econuerso non ex bona temperie aëris huius ciuitatis semper expectandus est optimus hic, & floridus faciei color; cùm morbi aliquando posint ipsum impedire, nigro, viridi, aut flauo humore per cutim disperso, & in externis partibus affluente. Amplexi autem optima ratione sumus potiùs hanc lectionem, quàm quæ hactenus apud omnes communis fuit, quæ sic habet: *καὶ ἀνθηρά ἐστι μᾶλλον, ἢν μή τις νοῦσος ἄλλη κωλύῃ*. quod est, & floridæ sunt magis, si non quis alius morbus prohibeat; cùm alioqui nullam hactenus morborum huius situs fecerit mentionem.

XXII.

Λαμπρόφωνοί τε οἱ ἄνθρωποι.

Et clara voce præditi sunt homines.

Si quæ de vocis generationis modo, materia, instrumentis, & loco à Gal. lib. de Vocal. instrum. dissectione, & 7. de Vsu part. cap. 5. & 2. de

Decret. Hippoc. & Plat. c. 4. scripta sunt, diligēter considerentur, non erit ita difficile inuenire rationē, quare, qui ciuitates, & loca ad Oriētem versa incolunt, clara voce præditi fiot: docebat enim ad vocem necessariam esse expirationem, at non simplicē, liberam scilicet, & minimè violentam, quæ à diaphragmate perficit: nam necessaria est vehemens, & violenta respiratio, quæ efflatio dicitur, ad quā musculi intercostales concurrant oportet, pulmone spiritum expellente: Cùm enim vox sit expirati aëris ad vocalia instrumenta repercusio, vt docet Aristot. 2. de Anima. T. 90. necessarius fuit pulmo, qui spiritum moueret, impelleretque: Cùm verò præstare per se id non posset, nisi etiam diaphragma concurreret, ideo natura illud addidit: Verùm quoniam simplex hęc aëria emissio repercussionem non facit, nisi violentiùs impellatur, ideo musculi intercostales ad id à natura sunt instituti: vox tamen adbuc nō perficitur, nisi symmetria quædam, & robur in instrumentis reperiatur, potissimum in aspera arteria, quæ durior, & amplior fistularum, & ribiarum ritu esse debuerat. Verùm non hæc simpliciter vocem efficit, sed materiam, spiritum nempe conducit, qui per rimam emissus, & ad guttur elisus, percussusq;, vocem efficit: quod vt meliùs fiat, gutturi palatum obiecit, in quo maior fieret, suauiorque aëris expirati repercussio; quibuscunq; enim viciatus palatus reperitur, vocem quoque deprauatam inesse obseruatum est, vt passim in iis videre est, qui ex lue venerea palatum habent vitiatum. Quoniam autem non vna est arteriæ asperæ conformatio, aut meatuum, per quos fertur spiritus, magnitudo, neq; eorundem eadem temperatura; propterea alias, atque alias vocis differentias obseruamus: Alios enim videas magna, alios parua, alios graui, alios acuta, alios clara, alios rauca voce præditos: magna tūc efficitur, cùm ampla existente aspera arteria multus cum impetu aër expellitur, parua, cùm languidè aër quacunque existente magnitudine asperæ arteriæ impellitur: grauis est, cùm existente arteria ampla sine impetu aër emittitur: acuta, cùm angusta est arteria; & validè paucus aër expellitur: rauca fit, cùm membrana, quæ asperam arteriam in parte, quæ gutturi vicina est, contegit, siue ob structuram, siue ob humorem irrigantem, & inbibitum, exasperata est; aër enim in partes inæquales, & eminentiores impingēns, varium, & inæqualem sonum facit, prout partes illæ tum magnitudine inæquales, tū mollitie, & duritie dissimiles sunt; & ex humida, & molli substantia sonus admodum obscurus excitatur, cùm percutienti cedat, quin & humida excrementa per asperam arteriam delata, impedientia, quominus rectā feratur aër, raucedinem efficiunt: è contra siccitas moderata, cuius etiam læuitas comes esse solet, clarā vocem producit: differentiam hanc ex plumbo, & ære editus sonus manifestam facit. Cùm igitur statutum sit, temperatos satis hos homines esse, potiusque ad calidiratem vergere, satis quoque ampla aspera arteria præditos esse oportet: cùm pręterea caput bene constitutum habeant, & aquas molles facilè permeabiles, nec crassiores, duriorésve bibant, læuem quoque, & minimè humoribus excrementitiis aspersam; aut inbibitam asperam arteriam habeant, oportet, sed siccam mediocriter, ex qua sonus clarior excitatur.

XXIIII.

Ὀργιλώτεροί τε καὶ ξυνετώτεροι βελτίους εἰσὶ τῶν πρὸς βορέην, ἤπερ καὶ τὰ ἄλλα τὰ ἐμφυόμενα ἀμείνω ἐστίν.

Et ad iram, & intelligentiā promptiores sunt iis, qui versi sunt ad Septentrionem. siquidem & alia in ipsa genita meliora sunt.

Tria sunt in præsenti particula, quæ non ita facili negotio intelligi possunt; primum, quòd eos asserat, qui in locis degunt ad Orientē versis, ad iram esse propensos: alterum, quomodo in hac ad iram propensione eos superēt, qui in locis habitant ad Septentrionē positis. Postremum, quomodo, si ad iram propensi sunt illi, meliora sunt omnia, quæ in locis Orientē spectantibus gignuntur. In prioribus enim illis duobus, si quæ de causis iræ ab Hippocr. Aristotele, & Galeno dicuntur, diligenter considerare voluerimus, nō leuis subest difficultas: nam cùm Hippocr. hoc loco quasi temperatos eos statuat, non satis constat, quomodo promptiores sint ad iram, quæ ex feruore caloris excedentre circa cor solet oriri, si Aristot. credimus 2. de Anima: quinimò Galenus passim calidam temperiem excedentem iracūdos homines facere testatur, vt lib. Artis Medicinalis, & libro Quod animi mores, &c. vbi dicit: furentes, & iracundos caloris abundantia efficit, stupidos verò & graues, pigrosque frigida temperatura. Et ad finem eiusdem Commentarij sic rursus subdit: calida nanque verbi gratia temperies iracundos facit: & inde rursum iracundia ingenitum calorem accendit, & igneum reddit: & 2. de Causis pulſ. cap. 13. iracundiam ait esse caloris innati veluti feruorem quendam; & 5. de Decret. Hippocr. & Plat. cap. 11. dicit: cæterum animæ constitutiones ex diuersis corporū temperamentis oriuntur: cùm videamus ipsorum animalium, quæ calidiora, & lati pectoris sunt omnia fortiri naturam iracundiorem; & timidiorem, quæ frigidiora: non igitur eorum, qui temperamento ad medium, & temperatū accedunt, proprium esse potest ad iracundiam esse propensiores, sed eorum potiùs, qui temperamento calidiore præditi sunt. Sed quod magis auget difficultatem est Gal. locus 2. in 1. Epid. 78. vbi non temperatis, non calidioribus naturis attribuit esse iracundos, sed frigidis, vbi

vbi etiam non audaciam,& furorem iracundis tribuit,sed pusillanimitatem. Gal.verba sunt,si rectè ex Græco transferantur, neq; enim omnino communis interpretatio satisfacit. Dicebam autem ætates calidas esse eas,in quibus amarus humor redundat, naturas verò,quæ difficulter difflantur. Quocirca ex iis,quorum ab initio mentionem hactenus fecimus, reliquũ est,vt de iracundis agamus, qui etiam maximè contrarij sunt animosis;quippe animosi viriles sunt, & humilium rerum contemptores : Iracundi verò contrà pusillanimes,quòd generosa,virili{q}; animæ parte sint destituti : quare iracundi temperamento frigidiori erunt, difflabuntque ægrè: quod etiam insinuasse visus est Hippocr. Aphoris.25. quartæ Sect. 6. Epidem. cùm iracundos calidos ventriculo,sed frigidos carne esse testatur. Est{q}; postremò,quod etiam maiorem facit difficultatem, quòd sicuti hoc loco promptitudinem ad iracundiam temperatis attribuit, ita ad eos,qui loca habitant Septentrionem spectantia comparatione facta illos asserit, qui in orientalibus vitam degunt, ad iracundiam esse propensiores,quàm hos, cuius oppositum & experientia docet,& exẽplo ab eadem desumpto, Galenus 2.de Temp. c. 6. ostendit,cùm dicit,Gallis,& Germanis, & omni Thracico,& Scythico generi frigida, humida{q}ue est caro:omnis autem calor naturalis iis in viscera confugit vnà cum sanguine,vbi dum agitatur,& premitur,feruet{q}; , iracundi, audaces, & præcipitis consilij redduntur, Hi autem omnes populi Septentrionales sunt. Nec verò minor in postremo reperitur difficultas, siquidem cùm promptitudinem ad iram cum promptitudine ad intelligentiam coniungat, & vtranq; maiorem iu iis esse, quàm in Septentrionalibus,ea ratione dicat, quòd omnia in huius situs ciuitate meliora gignantur, iracundiam non vitium,sed potiùs virtutem laudatam esse ostendit: qua in re omnino cùm Peripateticorum Schola consentire videatur,qui fortitudinis οἷον βαφὴν τὸν θυμὸν εἶναι καὶ στόμωμα, id est iram, furorem{q}; esse veluti tincturam,& soliditatem dicunt. Propterea feras in certaminibus robur ostendere multò maius, quàm nos,quòd nullũ habeant,quo moderetur, frænum rationis; vnde & apud Plutarchum Gryllus in brutũ à Circe deformatus,iram esse animæ genuinum seu tum dicebat: quinimò vtiliter etiam hanc animi perturbationem à natura datam idemmet Peripatetici rationibus colligunt:vnde & fortitudinis cotem esse asserunt, cui nihil ferè roboris inesse solet, nisi aliqua ira adiuuet; quocirca & liberas gentes videre licet, quæ vt plurimum iracundæ esse solent. Quinimò & oratorem sine iracundiæ aculeis vix aut in agendo, aut in patrocinando rectè fungi posse munere suo crediderunt:Vnde qui irasci nesciunt, vix virorum nomine dignantur, lentos{q}; appellant nostri. At eandem hanc iracundiam tota Stoicorum Schola auersatur: vnde Cato ille Censorinus ab insano nihil iratũ differe vno excepto tempore dicebat: quã etiam nullo modo laudare poterant, quòd morbos etiam grauissimos in corpore soleant excitare, febres, inflammationes, phygethla. Vnde Stoicorum præcepta, vt sui moris est, insequens aliquando M.Tullius eos deridet, qui ad fortitudinẽ perficiendam iram desiderant, quæ per sese satis instructa, parata,& armata sit, alioqui etiam vinolentiam ad fortitudinem conferre dicere liceret,& dementiam, quòd ij multa faciant vehementiùs : illa,inquit, sunt forsan ex rhetorũ pompa,qui indignationum impetus nunc animorum vocant ardores, nunc virtutum cotes: an,inquit,absurdum planè est,& à ratione alienum; non posse fortem virum non nisi stomachabundum virtutis suæ opera promere, gladiatorium forsan hoc est. Verùm vt tandem ex tribus iis propositis difficultatibus à postremæ solutione exordiar,à qua facilè etiam cæterarũ pendebit explicatio, dicimus, non quamcunq; promptitudinem ad iram, aut iram, quæ illius habitus est, aut absolutè laudari posse, aut vituperari : aut enim in excessu est, ita vt leui quacunque occasione sine rationis regula in iram prolabantur, prolapsi{q}; nulla ratione moderẽtur, aut in mediocritate: Græci distinctà habẽt nomina ὀξυθυμία, & θυμός, quorum altero priorem, altero autem posteriorem facilè ostendere solent, quamuis quandoq; confundant. Penès harum diuersitatem Peripatetici aliquando vitiosam iracundiam dicunt, in qua nulla adest rationis regula; hanc non cum fortitudine iũctam dicunt; sed pusilli potiùs animi signum esse statuũt, vt etiam Galenus citatis locis asserit; alteram autem,& fortitudinis comitem esse,& rationis gubernaculo regi, & moderari scribunt; ideo{q}; philosophus 4. de Moribus ad Nicom. motionem esse naturalissimam testatur, si ob quæ, quando, & cum quibus irascamur, si{q}; congruum accipiat finẽ, & electionem, futuram fortitudinem veram, vel fortitudinis operationem: quæ tamen fortitudo cùm in duobus consistat, in aggrediendo, & tolerando, huic ira nullo modo est op^9, sed ptlori. Quę verò in contrarium adducuntur, ex Zenonis, & Pythagoræ fontibus emanant, qui sola meditatione,& virtutum operatione crediderunt omnes animi perturbationes exinaniri, persanari{q}; ita posse, vt nulla in homine vitij radix omnino residua sit; quod nihil aliud est, quàm hominem ex homine tollere,& in corpore cõstiturum esse sine corpore. Vnde optimè poëta noster dicebat:

Nam vitiis sine nemo nascitur, optimus ille,
Qui minimis vrgetur.—

Quapropter doctissimè admodũ Proclus hos demirabatur. An non stupendum est (inquit) animam immaterialiter in rebus materialibus viuere,& in caducis incontaminatam se alicu-

bi seruare. Quocirca Plutarchus lib. de Morali virtute affectionum principia esse tradit congenita, non aduentitia, nec omnino extirpanda: Vnde mox affectus prodesse ait, si rationi comites se præbeant: sicut fortitudinem intẽdit ira, si moderata sit. Verùm genus id temperamenti à ratione facti derident Stoici; siquidem inquiunt, idem est id dicere, ac si sanum vocemus leuiter febricitantem: non enim est bona valetudo mediocritas morbi. At non vident iram in forti, vbi ratione gubernetur, malum in se continere nullum, sed omnino vitiis vacuum hominem reddere. Ex hac quoq; & habitudinũ, & affectionũ distinctione, facilè quæ primo loco de causis irę proponebatur, difficultas, quantum ad primum dissidium attinet, dissolui poterit: moderata enim ira, quę aut virtus est, aut cum virtute iuncta, quæq; non ita leui negotio excitatur, temperatam quoq; naturam insequitur, cumq; promptitudine ad intelligentiã iuncta esse solet, & de hac Hippocr. hoc loco intellexit: quæ verò rationis limites excedit, cùm ob feruorem sanguinis circa cor, vicinasq; partes excitetur, calidam cordis, & internarum omnium partium intemperiem excedentem ostendit: nec certè abs re: docet enim Galenus 4. in 6. Epidem. C. 25. ex duplici in nobis calore vario efferuescente duplex iracundiæ genus prouenire: calore enim naturali, sanguine scilicet, cum spiritibus ebulliente ob rationabilem aliquam causam prior irę species excitatur; aduentitio autem, & præternaturali humore, & calore internas partes, & cor potissimum infestante, & efferuescẽte, alia species producitur, quæ etiam quandoq; non totius temperaturã, sed solius oris ventriculi mordicationem, corde interim in consensum tracto sequi consueuit, & de iis locutus est Hippoc. eodem Aphoris. 25. Sect. 4. lib. 6. Epid. cùm ventriculo calidos, & carne frigidos iracundos statuit: nisi etiam de iis locutus est Hippocr. qui totius temperamento calidi sunt, vt Germani, & Scythæ concentrato, & retracto ad cor calore tum naturali, tum præternaturali, qui ob hanc rationem frigidum vniuersum corporis habitũ habent; & vtraque hac ratione frigidos hoc loco mea sententia appellat iracundos Galenus. Eadem propemodum ratione alia tollitur difficultas, quomodo, cùm & experientia ostẽdat, & Galen. sæpius asserat, Septentrionales populos omnium ad iram esse promptissimos, hoc loco Hippocr. minus eos esse ad iram propensos asserat, quàm qui loca orientem spectantia incolunt. Nam præterquàm quod dici potest, aliud esse loqui de regione verè Septentrionali, aliud de ciuitate cuiuscũq; regionis, aut partis mundi, ventos Septentrionales excipiẽte: in illis enim aër ambiens frigidus naturalẽ habitum corporis inducit ad irascendum pronũ, qui in iis produci non potest, cùm aër ambiẽs diuersæ sit temperaturæ, venti verò illi non ita perpetui sint; facilè tamen etiam solui poterit, si dixerimus Hippocr. hoc loco verba facere de ea iracundia, quę virtuti iuncta esse solet, quęq; ratione gubernatur: quæ rariùs in Septentrionalibus inueniẽ, vtpote, qui ad eam sint promptiores, quæ vitiosa est, naturalesq; limites excedit. Quòd si βελτίους meliores interpretemur, nulla amplius erit in iis rebus cõtrouersia, sensus enim erit, & ad iram, & intelligentiam erũt meliores, id est, melius dispositi; ita vt ad iram melius se habebunt, id est, mediocriùs. Cur autem ij, de quibus agit in præsentia Hippocr. ad intelligentiam sint promptiores Septentrionalibus, non ita difficile est inuenire: cùm enim moderatus sit ambiens in actiuis qualitatibus, & ex consequenti talia etiam reddat corpora; docuerit autem Galenus 8. de Vsu part. cap. 13. intelligendi promptitudinem temperiem vniuersi corporis, potissimum autem spirituũ animalium sequi, efficitur, vt ij etiam sint ad intelligentiam promptiores, maximè cùm eorũ cerebrum & excrementis vacuum sit, & ad siccitatem vergere ex iis, quæ inferiùs dicturus est, constabit; ostensum autem est à Galen. temperamentum faciẽs ad sapientiam in cerebro esse siccum cum moderantia calidi, & frigidi, vt videre licet lib. Art. med. cap. 11.

XXIV.

Ἔοικέ τι μάλιστα ἡ οὕτω κειμένη πόλις ἦρι κατὰ τὴν μετριότητα τοῦ θερμοῦ, καὶ τοῦ ψυχροῦ.

Et ciuitas, quæ hoc modo iacet, veri maximè similis est iuxta caloris, & frigoris moderationẽ.

Iam superiùs ab initio huius tractationis collatione ad ciuitates aut meridiem, aut Septentrionem spectantes facta, multò moderatiorẽ in caliditate, & frigiditate, esse ciuitatẽ Orientem spectantem, dixerat, quàm ex prædictis vllam; nunc cùm illius laudes prosequatur, vt eius temperiem magis ob oculos ponat, similẽ esse dicit in temperamento veris tempori. Nec verò quamuis hoc loco de caloris, & frigoris mediocritate solùm mentionem faciat, credendum est in passiuis alterutram multùm exuberare; siquidem vndequaq; veris temperamento similem statuit: hoc autem temperatum esse, & in actiuis, & in passiuis qualitatibus defendit passim Galenus, vt primo de Temper. cap. 4. & secundo eiusdem cap. 5. & Comment. in lib. de Salub. diæta, Comment. 3. tum etiam primo in primum Epidem. Commen. j. vbi eos reprehendit, qui calidum, & humidum eum statuunt quatuor connexiones primarum qualitatum quatuor anni temporibus accommodãtes: probatq; ex veris salubritate, quam tantopere celebrat Hippocr. 3. Aphor. 10. ver inquiẽs saluberrimum, & minimè mortale; quòd si calidum, & humidum esset, omnium anni temporum potius esset morbosissimũ, vt colligere licet 3. Epidem. Sect. 3. T. & Comment. 1. tum & ex

ex 2. Epidem. Sect. j. vbi status pestilentes aëris ponens, eos calidos, & humidos facit. Quòd si quis nobis obiiciat ab Hippocr. Aristot. Theophrasto, & Galen. sæpiùs statui ver calidum, & humidum, vt videre licet apud Hippocr. 1. de Diæta iis verbis: Laborabant autem ex morbis huiusmodi maximè vere, minimè in autumno, qa in vere excessus est humiditatis: & primo de Natura hum. T. 38. anni tempora humoribus comparans ver calidum dicit esse, & humidum de natura sanguinis: Aristot. etiã quarta Sect. Probl. 33. & Theophrast. j. de Caus. Plan. 14. idem manifestè asserunt: quin & Galen. 3. Aphor. 6. docens, quomodo, quando æstas veri similis fuerit, sudores multi excitentur. Et, inquit, ad sudoris generationem duo requiri, calorem eliciẽtem, & humiditatem superfluam; horum verò alterum est in æstate, alterũ in hyeme, in autumno verò neutrum, vere autẽ vtrunque, quod repetit 8. de Decret. Hippocr. & Platon. Is sciat nec à seipsis, nec à veritate Hippocratẽ, cæterosq; viros præclarissimos, cùm ver calidum, & humidum statuunt, recedere. Ver enim temperatum est, & sui natura, & ad cætera tempora collatione facta: temperies verò hæc neq; absoluta omnino est, sed ad moderatã caliditatem, & humiditatem accedit; qualis etiã est calor noster naturalis, qui temperatus quidem dicitur, cùm tamen in humiditate, & caliditate moderata consistat: noster siquidem calor, & nostræ generationis principium ex calore humido est, neq; tamen id tollit eundem esse temperatũ: eo igitur tempore, quo calor aëris ratione temporum anni nostro calori similis est, & temperatus, & humidus dicetur; calidus enim, & humidus dicetur, quatenus à vere temperato tantillum labitur, minusq; frigiditatis, & siccitatis ex anni temporib. habet: qua ratione cùm aër humidus sit, & calidus eo tempore magis, quàm cæteris temporibus, naturã propriã seruat. Temperatus verò est, quòd paululum solùm ab exquisitè temperato recedit, in quo non modò non calidi, aut humidi actiones edit, sed id, quod est temperatũ, fouet, conseruat, & auget: Vnde nõ satis recentiorũ quorundam inertiam demirari possum, qui ver humidum, & calidum ab auctoribus dici asserunt, ad hyemem, & æstatem collatione facta: æstas enim calida, & sicca, hyems frigida, & humida. temperatam tamen dici asserunt, quamuis in caliditate, & humiditate excedat, quòd humiditatis excessus calore moderetur. Aut, inquiunt, calidũ, & humidum dicitur, qui nullum aliud tẽpus, in quo humiditas magis persentiatur: æstas enim caliditatem, frigiditatem hyems, autumnus siccitatẽ, sibi vindicauerat: Supererat igitur, vt ver excedentem humiditatem haberet, atq; hanc sententiam ex Galeni sententia in medium proferunt. Quasi verò ex professo citato cap. 4. primi lib. de Temper. vtranq; solutionẽ multis argumentis non euertat; quæ in præsentia à me non sunt in medium afferenda, ne in manifestis tempus cõterere videar; cùm antiquos in iis duobus potissimum eo loco Galenus reprehendat.

XXV.

Τά τε νοσεύματα ἐλάσσω μὲν γίνεται καὶ ἀσθενέστερα, ἔοικε δὲ τοῖς ἐν τῇσι πόλεσι γινομένοισι νοσεύμασι, τῇσι πρὸς τὰ θερμὰ τὰ πνεύματα ἐστραμμένῃσιν.

Et morbi quidem pauciores, & mitiores generantur, similesq; sunt morbis, qui in ciuitatibus oriuntur ad ventos calidos conuersis.

Si vera sunt, quæ ex Galeni sententia in superiori Commentario demonstrauimus, eorũ, qui loca habitant Orientem spectantia ambiẽs similem temperiem veri habere, quæ temperata est, similisq; calori nostro naturali, certè etiã illud manifestum erit, quod in præsenti particula docet Hippoc. & pauciores morbos, & benigniores in iis locis gigni: cùm enim temperatus sit ambiens aër, difficilè corpora ad contrariam aliquam intemperiem à quacunq; causa reduci poterunt: sed potiùs iam lapsa ad meliorem statum reducet. Quòd si ob externas aliquas causas, aut internas, in morbos incidãt, ex ambientis temperie, & similitudine, ad calorem nostrum innatum, benigniores vt plurimum euadent. Illud tamen facit difficultatẽ, quomodo & rariores morbos, & debiliores in huiusmodi locis verno tẽpori in temperamento similib. conspici asserat, cùm alioqui eo tempore non pauci momenti morbos fieri docuerit Hippocr. 3. Aphor. 20. febres ardentes, phrenitides, difficultates intestinorum, morbos comitiales, anginas, raucedines, & grauedines. Verùm hanc tollit difficultatem Gal. in Comment. prædicti Aphor. hos omnes morbos, qui grauiores sunt, asserens, non recenseri ab Hippocr. vt veris proprios, ita vt eorum causæ in vere producantur, sed vt veris proprios, qui in præcedentibus temporibus anni natam occasionem habuerunt: vt constat apud Hippocr. in serie morborum, qui aliorum temporũ sunt peculiares: inter cæteros enim iterum horum facit mentionem. Reliqui verò morbi, qui ibidem ab Hippocr. recensentur, tantum abest, vt hanc sententiam infringant, vt eam potiùs cõfirment: pustulæ enim illæ vlcerosæ, & aliæ cutaneæ infectiones opera sunt naturæ trudentis excrementa ad cutim, atq; ignobiles partes, vnde debiliores, & mitiores etiam euadũt: quinimò & hæc excrementa collecta etiam sunt præcedentibus temporibus; si enim corpus aliquod optimis humoribus refertum vernum tempus inuenerit, illud saluberrimum conseruat. Si igitur vernum tempus ex natura sua saluberrimũ est, nec morbos solet producere exitiosos, nisi occasione sumpta ex præcedentibus temporibus, profectò id verius erit in loco, qui vernum

temperamẽtum sortitus sit, quòd nihil habeat præcedens; quod naturalem bonam temperiẽ corrumpat. Verùm adhuc est, quod maius facesſit negotium, quòd similes morbos huius regionis esse dicat iis, qui eueniũt in ciuitate ad meridiem versa: quomodo enim huius ciuitatis temperatæ morbi similes esse possunt morbis loci omnino intemperati, & in quo lethales quamplurimos morbos oriri superiùs docuerat? certè nisi ea esset similitudinum à bonis auctoribus propositarum conditio, vt ex ea solùm pars illa assumatur, quę negotio proposito inseruit, maximam inueniret difficultatẽ: non enim vult omnino morbos in duobus iis locorum generibus vagantes esse inter se similes, sed solùm facta ad illos, qui in locis ad Septentrionem spectantibus oriuntur collatione: manifestum est enim tum ex enumeratis superiùs morbis, tum & ex iis, quos veri, & tẽperatis locis proprios esse docuit Hippocr. tertio Aphoris. 20. multò magis hos cõuenire cum æstiuis, & iis, qui locorum calidiorum proprij sunt, quàm cũ hybernis, & iis, qui proprij sunt locorum Septentrionem spectantium: maximè cùm & vernum tempus, & loca orientẽ spectantia ad caliditatem potiùs declinare docuerimus, quàm ad frigiditatem.

XXVI.

Αἵτε γυναῖκες αὐτόθι ἐναεμκύμονές εἰσι σφόδρα, καὶ τίκτουσι ῥηιδίως. περὶ μὲν τούτων ὧδε ἔχει.

Et fœmina istic valdè fœcunda sunt, & facilè pariunt. Et de his quidem ita habet.

Mulieres tum loca calida, austrinaq; habitãtes, tum & econtrà frigida, steriles esse sæpenumerò dixerat, illas quidem non à natura, sed à morbo: has verò etiam à natura: nunc cùm de Orientalibus locis loquitur, & de naturis eorum, qui in eis degunt, mulieres fœcundas esse testatur, & facilè conceptos fœtus in lucẽ edere: nec certè immeritò. siquidem docuit Hipp. tum 5. Aphor. 62. mulieres illas fœcundas esse, quæ temperatum habent vterum; hic verò ob aëris temperiem, & homines, & partes corporis seruata natura propria commoderationem quandam in qualitatibus habere debẽt: quemadmodum enim arua, in quibus sementem iacto semine facere solemus, præterquàm quòd neq; arenosa, neq; squallida, vt fertilia sint, neque palustria, nimioq; humore madentia esse oportet, quòd in prioribus humoris, & alimenti inopia adolescere semina nequeant, in altis nimio humore strangulentur, illud etiam, vt fœcunda sint, habere debent, vt iniectum semen nullo vitio præditum sit; si enim carie, rubigine, vetustateve obsitum, vel immaturum sit semen, si nimio humore quasi diffluat, aut nimia siccitate contabuerit, fructifer esse non potest: ita in animantibus hæc eadem licet obseruare, in quibus, vt fœcunditas reperiatur, & semen opus est esse fine vitio, & vterum naturalẽ quandam moderationem habere, vt Hippocr. citato Aphor. docuit, & ex superiùs sterilitatis causis adductis nos colligere facilè poterimus. Si præterea fœcunditas, neque in excedente caliditate, neque in frigiditate multa reperitur, quemadmodum iam docuimus, profectò quæ moderata est temperatura, fœcunditatẽ in mulieribus excitabit. Neque verò temperies hæc in actiuis solùm qualitatibus, aut in simplicib. solùm, sed & in passiuis, & in combinationib⁹ esse debet, vt optimè annotauit Galen. 5. Aphorismorum 62.

Et facilè pariunt] Non modò fœcundas esse scribit, sed etiam facilè parere, vtpote quæ & benè conformatæ sunt, & robustæ, & fœtum ferunt non languidum, nec tendines multùm induratos habent, vt in frigidis locis, ex quibus causis difficiles partus iis, quæ Septentrionalia loca habitant, accidere diximus.

XXVII.

Ὁκόσαι δὲ πρὸς τὰς δύσιας κέονται, καὶ αὐτῇσιν ἐστὶ σκέπη τῶν πνευμάτων τῶν ἀπὸ τῆς ἠοῦς πνεόντων, τά τε θερμὰ πνεύματα παραῤῥεῖ, καὶ τὰ ψυχρὰ ἀπὸ τῶν ἄρκτων, ἀνάγκη ταύτας τὰς πόλιας θέσιν κέεσθαι νοσερωτάτην.

Quacunq; verò ad occasus sita sunt, & ipsa sunt protecta à ventis ab Oriente perflantibus, calidiq; venti perfluunt, & frigidi ab Vrsis, necesse est eas vrbes situ morbosissimo esse positas.

Aggreditur iam tandem posteriorem positionem vrbium explicare, & eiusdem qualitates, & naturam docere, scilicet eorum locorũ, qui occidentales ea ratione dicũtur, quòd ventos occidentales excipiant, orientales autem bona ex parte non admittant: qui verò sint ij occidentales venti, nõ docuit, vt in tribus superioribus positionibus: siquidem breuitati studens satis illi erat ex cæteris enumeratis tres il los intelligere, qui inter æstiuos Solis occasus, & hybernos perflant, duos istos punctos, à quibus collaterales principalis perflant includẽs. Hi verò sunt Argestes, Latinè Corus, Zephyr⁹, Latinè Fauonius, & Lips, Aphric⁹ dictus: quid verò sibi velit per sequentia verba, cùm dicit [*calidiq; venti perfluunt, & frigidi ab Vrsis*] ex iis, quæ de natura horum ventorum superiùs diximus, facilè quilibet intelligere potest. dicebamus enim superiùs Fauonium ventum ex occidentalibus principalem temperatam quasi naturã habere, sed eius collateralem Africum aliquantò calidiorem, sed multùm humidum, alterum autem collateralem Argestem magis frigidum, qui etiam grandines inducat. Hic igitur per calidos ventos, qui perflant, Africum intelligit, q calidus est non simpliciter, sed comparatione facta

facta ad Argestam, qui frigidus est, & ad Fauonium tamperatum; incipit autam hic à puncto brumalis occasus, & per ventos, qui vaniũt ab Vrsa, non potest intellexisse verè Septentrionalas, qui extra hos limitas sunt, sad eum, qui à parte versus Vrsas versa, quæ est punctus occasus æstiui. Quamuis igitur huiusmodi ciuitas, si Fauoniis solùm asset exposita, saluberrima futura esset, cùm tamẽ & Argestam, & Liba excipiat, qui humidissimi sunt, & inæquales, qui atiam longiori temporis spacio perflant, meritò dixit situ morbosissimo esse positas huiusmodi vrbas, quæ hos ventos axcipiunt. Siquidem & magna nabularum vis, & vaporum crassiorum multitudo, tum & pluuiæ frequentiores in iis conspiciuntur.

XXIIX.

Πρῶτον μὲν γὰρ τὰ ὕδατα, οὐ λαμπρά. αἴτιον δὲ ὅτι ὁ ἠὴρ τὸ ἑωθινὸν κατέχει, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ὅστις τῷ ὕδατι ἐγκαταμιγνύμενος τὸ λαμπρὸν ἀφανίζει. ὁ γὰρ ἥλιος πρὶν ἄνω ἀρθῆναι, οὐκ ἐπιλάμπει. τοῦ δὲ θέρεος ἑωθεν μὲν αὖραι ψυχραὶ πνέουσι, καὶ δρόσοι πίπτουσι.

Primùm etenim aquæ nõ sunt splendidæ: causa verò est, quòd nebula matutinum tempus vt plurimum occupat, quæ aquæ permixta impedit, quò minùs pellucida sit: Sol enim priùs, quã eleuetur, non illustrat: æstate autem manè quidem auræ spirant frigidæ, & ros decidit.

Ambientis, & aquarum qualitatea in anume ratarum positionũ natura contemplanda ante cætera omnia est prosecutus. Hunc eundam ordinem in præsentia sequitur, eùm anim de ventis quàm breuissimè, vt sui moris est, egisset, ad aquarum conditionas dascendit, intarq; cæteras illam ponit, quòd non sunt splendidæ, & pallucidæ: huiusq; rationam statim docat, cùm dicit: [*causa verò est, quòd nebula matutinum tempus vt plurimũ occupat*] intarpretes quod Hippoc. dixit ἠὴρ, aëram intellexarunt, quomodo si interpræmur, diuinandum erit, quid hoc loco sibi velit Hippocr. vt etiam docuimus Comment. 20. tum & lib. sequenti demonstrabimus: certũ est enim aëram nõ matutinum modò tempus occupara, sad in quauis diai parte asse præsentam, neq; in solo huiusmodi situ aëram matutinum tempus occupara, sed in quocunq;. Quapropter satius essa duxi per dictionem ἠὴρ, quæ eadem est, ac ἀὴρ intelligere nebulam, obscurioremq; ob crassitiam aduentitiam factum aërã. Homerus anim, vt atiã optimè annotauit Galenus lib. 13. cap. 19. ἠέρα βαθεῖαν aërem, seu caliginẽ profundam, & nabulam dixit. imò apud Hasiodum frequantiùs ἀὴρ pro tenebris, & inuisibilitara sumptus est. aët igitur hic crassior, & tenebricosus aquæ admixtus impedit, quo minùs pellucida sit, vtpote permeabilis, & vndiq; sese insinuans.

Sol enim priùs quàm eleuetur, non illustrat] Raddit hic rationam, cur nebulosus sit matutino tempora aër vt plurimum in iis locis ad Occidentam posicia, quæ ast, quòd, cùm starutum sit aa ioca diai posira ad occasum, quæ vantos excipiunt, qui à tribus Occidentis punctis soleut perflare, oriantalea varò omnes axcludunt, aut quòd in obuarsa axortui parte montis sint posita; aut quòd mos obstaculũmve aliquod notabile impediat, saquitur nacessariò ab ea parte, à qua Sol exoriri solet, tardiùs multò ea loca radios Solaras excipera: quapropter nõu priũs Solarium radiorum faculrate, & virtuta fruuntur, quàm bona diei pars iam pertransiuerit: Cùm autem aër potissimum, & aquæ opa radiorum Solis puriorea reddantur, vbi breuiori tempore virtute eorum fruantur, minùs etiam proprias ipsi poterunt exercere oparationes: quocirca cùm Solaras radij, iam progressa prima diai parta vapores eleuant, illosq; aëri, & aquæ commiscaant, nac ob moræ breuitaté, minusq; robur possint eos dissoluare, succedente nocta potiùs crassiores redduntur, neque Sole sequanti dia axoriante possunt dissolui, quòd exortos radios non statim excipiant, sed iam eleuatum Solam, & proximè daclinaturum: idque atiam faciliùs aceidit ob ventorum naturam: sunt anim subfrigidi, & vehementer humidi, vnde aëram crassiorem reddunt: hinc efficitur, vt flanta Fauonio canes laporũ vestigia minimè inuenira possint, vt docet Aristot. Probl. Sect. 26. Problam. 24. priorem autam rationem, quam hoc loco proposuit Hippocr. ast amplexatus Aristot. eadem Sact. Problam. 36. cùm dicit occiduas partes ante meridiam Sole non illustrari: Et cùm quæris, cur Fauonius horis pomeridianis spirare solaat: an, inquit, quòd spiritus omnes Sole humorem diffundẽra prouaniunt: humor anim qui ante hac concrascabat, tabescit, cùm vis caloris in propinquo est; itaq; spirirum mouat: atqui da occasu Fauonius spirat; tactè igitur pomaridianis horis axoritur: tunc enim Sól aum ad locum acaedit, à quo claritatem aquæ, sicut omne perspicuum obtinẽt.

Æstate autem manè quidem auræ frigidæ spirãt, & ros decidit.] Quoniam dum redderet rarionem turbulentiæ aquarum in occiduis locis, dixerat esse crassiorum vaporum parmixtionem, & breuitatem moræ Solis, aliquis obiicere potuisset hoc veritaram nõ habere, nisi hyberno tempore; quòd tunc Sol radios suos breui tẽpore tarræ impartiatur, non autem æstate, quo tempore neq; crassiores nabulæ aërem, & aquam insiciunt, & Sol diurius, & rectiùs radios in iis locia immittat, statim docat, ne eo quidem tempora aquas splendescera, quòd matutino tempore & auræ frigidæ spireut, & ros decidat: illę siquidem vaporas aleuatoe vi caloris possunt crassioras afficere, qui aquæ admixti turbulantiorem reddunt, hic afir eleuatua, & decidans in multa quantitate crassiores, turbidiores; &

magis terrestres aquas efficere solet, siquidem ros vapor est cum leui terrestris partis portione condensatus in infimo aëris loco, qui cùm maximè in aquam resoluatur, in huiusmodiq; locis in multa quantitate eleuetur, turbidiores, minúsve splendidas aquas efficit.

XXIX.

Τὸ δὲ λοιπὸν ἥλιος ἐγκαταδυόμενος, ὥστε μάλιστα διέφθει τοὺς ἀνθρώπους. διὸ καὶ ἀχρόους τε εἰκός εἶναι καὶ ἀρρώστους

Caterùm Sol occidens quàm maximè homines percoquit. Quapropter etiam & decolores, & infirmos eos esse par est.

Docuerat iam & ventorum naturã, & aquarum qualitates eorum locorum, quæ Occidentem respiciunt. nunc hominum formas, & temperaturam, vt in cæteris fecit, aggreditur explicare, dicitq; homines in huiusmodi locis quàmaximè à Sole percoqui, cũ occidit: & proinde decolores esse, & debiles: & certè non abs re: quamuis enim ob diuturnã moram id Sol præstare nequeat, cùm non nisi multùm iam eleuaro, & quasi medium cœlum Sole occupante illustrentur, aut certè inæqualiter admodum ad ea radij vsq; ad meridiẽ perueniant, vt iam docuimus; nihilominùs cùm subfrigidi sint, & satis humidi venti, qui in iis partibus perflant, & matutino tempore maximè vigeant: facilè vniuersum corpus molle, & præhumidum reddere possunt, subsequente mox Solis calore maximo, cùm non paulatim, & obliquè Solares radij, vt in cæteris, eò influant, sed iam validi facti, & quasi recto tramite influentes perueniãt, verisimile etiam est humores in extima superficie corporis existentes percoquere; vnde etiã decolores redduntur, si vera sunt, quæ de colore nostrorum corporum supeŕiùs dicta sunt: optimo enim sanguine efflorescẽte, & externas partes cutaneas petente, color optimus roseus efficitur, qui si aduratur, suboiget, aut subliuidus redditur: quòd si probus sanguis ob eas, quas diximus, causas nõ influat, sed alij humores à natura sanguinis distincti, per se malũ colorem inducunt, multoq; magis radiis Solaribus vehementiùs adurentibus. Eadem propemodum ratio est, quare debiles incolæ huiusmodi ciuitatis reddantur: cùm enim robur virium, & in bona corporis compositione, & in humorum proba temperie, & in spirituum recta consistat generatione, vbi inæqualitas hæc temporum in vno, & eodem die reperitur, vbi prætęrea humores nimium percoquuntur, difficilè & bona humorum temperies, & recta spirituum generatio potest reperiri.

XXX.

Τῶν νοσημάτων πάντων μετέχειν μέρος τῶν προειρημένων οὐδὲν αὐτέοις ἀπολείπεσθαι.

Et omnium prædictorum morborum participes esse, nulla in re ab ipsis separari.

Non determinatas aliquas species morborũ huic locorum situi tribuit Hippocr. sed omnibus iis, quæ cæterorum locorum peculiares sunt, & propriæ, facilè homines huiusmodi loca habitantes corripi: qui varij admodum sunt, & toto genere inter se discrepantes; siquidem alij calore exuberante, alij frigiditate excedente, alij humiditate prædominante, alij siccitate præualente producebantur; quibus omnibus facilè incolas locorum ad Occidentem positorum corripi posse docet Hippocr. atque etiam hoc est principiis eiusdem maximè consentaneum: docuit enim 3. Aphor. 4. in temporibus, quando eadem die modò calor, modò frigus fit, autumnales morbos expectare oportere: at autumnales morbi varij sunt, & difformes: cũ verò statutum sit in huiusmodi locis partẽ priorem dici frigidam, & humidam esse, quòd venti huiusmodi qualitatis tunc spirent, nec Solares radij eorum intemperiẽ corrigere possint, quòd tunc vix conspiciantur: posteriorem autem summè calidam, quòd validiùs Sol, & quasi è directo ea loca respiciat, verisimile est variè admodum, & quasi contrario modo affici homines, & ideo etiam inconstantes morbos, & varios generari constipatis noctu, & ante meridiem cutaneis corporis meatibus, postque meridiem iisdem laxatis, & dilatatis: vnde & morbi omnes ex putredine facilè producentur obstructione putredinis altrice, & productrice coadiuuante, tum etiam calore præternaturali externo superueniente, qui efficiens est eiusdẽ putredinis; hinc febres putridæ, pleuritides, viscera depascentia, potissimum in inferioribus partibus, hinc alui profluuia, & dysenteriæ pituita à capite descendente, sorbile, & intestinorum tunicas vellicante, & abradente: hinc præterea morborum reliquæ species ferè omnes, quæ cæterarum positionum locorum peculiares esse solent.

XXXI.

Βαρυφώνους τε εἰκὸς εἶναι καὶ βραγχώδεας διὰ τὸν ἠέρα, ὅτι ἀκάθαρτος ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ αὐτόθι γίνεται, καὶ νοσώδης. οὔτε γὰρ ὑπὸ τῶν βορείων ἐκκρίνεται σφόδρα. οὐ γὰρ προσέχουσι τὰ πνεύματα, ἅ τε προσέχουσιν αὐτοῖσι καὶ προσκέαται, ὑδατεινότατά ἐστιν. ἐπεὶ τοιαῦτα τὰ ἀπὸ τῆς ἑσπέρης πνεύματα. ἔοικέ τε μετοπώρῳ μάλιστα ἡ θέσις ἡ τοιαύτη τῆς πόλιος κατὰ τὰς τῆς ἡμέρης μεταβολάς, ὅτι πολὺ τὸ μέσον γίνεται τοῦ τε ἑωθινοῦ καὶ τοῦ πρὸς τὴν δείλην. περὶ μὲν πνευμάτων ὁκόσα ἐπιτήδειά ἐστι καὶ ἀνεπιτήδεια, ὧδε ἔχει.

Grauiq; voce præditos esse, & raucos est verisimile propter aerem, qui impurus istic est, & morbosus: Neq; enim ab Aquilonibus valde

de expurgatur; non enim perseuerant y venti: qui verò perseuerant, & perdurant, aquosissimi sunt, quoniam tales sunt venti ab Occidente perflantes. Similis autem est autumno maximè situs huiusmodi ciuitatis secundũ diei mutationes, eò quòd magnũ sit discrimen inter matutinum tempus, & vespertinum. De ventis quidem, qui commodi sunt, & qui incommodi, ita se res habet.

De vocis necessariis instrumentis, multisq; eiusdem differentiis dictum est à nobis ita superiùs, vt in præsentia non ita multùm nobis sit laborandum in ratione reddenda, quamobrem illi, qui loca habitant ad Occidentem posita, graui voce prædiri sint: siquidem hoc loco vniuersam refert in aërem inspiratum rationẽ, qui cùm crassior sit, quàm par sit, vaporibusq; excrementosis nimium refertus, neq; ab Aquilonibus expurgatus, necesse est grauem ob humiditatem instrumenti, & latitudinem, & raucam ob humida excrementa ad organa continuò impetentia sæpenumerò in iis vocem exaudiri: Vnde impurum dicit aërem, & morbosum. Cur verò talis sit, statim reddit rationem, cùm dicit: [*neq; enim ab Aquilonibus valdè expurgatur*] iis verò verbis potissimum ratio redditur, cur impurus sit aër: ea verò est, quia aquilonij venti, qui ob vehementiam, & frigiditatem suã aërem solẽt serenum, & puriorem reddere, aut eò non perueniunt, aut si perueniunt, adeò languidè propter obliquum eorum fluxum perflant, vt id, quod vt plurimùm solent, minimè præstare possint: at qui horum locorum peculiares sunt, & qui diutius, & valentiùs spirant, aquosissimi sunt: Docuimus enim hacten⁹ occidentales ventos frigidiores esse, & humidiores. Vnde 26. Sect. Problem. 23. dicebat solere Zephyrum maximas nubes, & aquas inuehere: huiusq; rei rationem etiam docet, quòd à parte, vbi immensum est mare, perflat, vnde etiam materiam ad nubes assumit: cùm etiam agens saltẽ à Meridie, Solis scilicet radij non desint: qui verò venti humidiores sunt, etiam insalubres esse oportet, si vera sunt, quæ ab Hipp. scripta sunt 3. Aphor. 15. ex anni, inquit, constitutionibus, quod in tantum dixerim, siccitates imbrib. salubriores, & minus mortiferæ. Hinc Aristot. 1. Problem. 21. quærens, cur annus pestilens tunc inuadit, cùm Sol de terra multum vaporis excitat; respondet, quia tunc annus humidus, pluuiusque significetur necesse est, &c. Est verò hic quod maximam faciat difficultatẽ, quòd hic vniuersaliter occidentales ventos vituperet, tanquam morbosos, & impuriorem aërem reddentes; cùm alioqui apud Celsum libro 2. cap. secundo Fauonius saluberrimus statuatur, ita vt ab Homero flare per campos Elysios scribatur, eius placiditatem, salubritatémque nobis indicans: quam sententiam in Problem. Sect. 26. Problem. 31. 50. & 52. repetit Aristot. cùm Fauonium iucundissimum, serenum, moderatissimum, gratissimum appellat, à quo etiam originem & herbarum, & florum esse videmus, omneq; mortale genus ad eius flamen luxuriare. Quinimò non hac simplici contentus sententia Aristot. rei huius rationes reddit quã plurimas, quòd nec summè calidus, vt Austrini, neque summè frigidus, vt aquilones, sed medium quasi gradum obtineat: vnde cùm vtrisq; in confinio sit, particeps vtrarumq; facultatum euadit: quapropter temperatissimus dicitur, & vere flat. Vidit hæc Aleman⁹ huius lib. expositor, duabusque positis solutionibus conatur satisfacere: primoq; dicit ventum aliquẽ natura sua salubrem quibusdã propter loci naturam posse esse insalubrem, & econtrà: Vnde Italis Zephyrus salubris est, siccus, serenitatem pariens, qui tamen natura sua insalubris sit: q̃d, inquit, non animaduertens Aristot. Homerum secutus, quod particulariter alicubi obseruatũ est, vniuersaliter proposuit: sed, inquit, quòd problematicè loquatur, illi hoc est condonandum. Verùm vt illi vltrò concedamus, in solutionibus aliquãdo problematicè loqui, in propositionibus tamen falsum assumere, & absonum est, & à grauitate Aristot. aut Theophrasti omnino alienum: potissimum cùm ipse Homeri auctoritate fretus, qui vniuersaliter id proposuit, eandem nobis & ipse proposuerit opinionem: prætereà non soluit contradictionẽ adeò manifestam in tam breui verborum serie Aristot. cùm modò serenitatem inuehere, nunc nubes maximas cõducere scribit, quòd per maximum pelagi tractum feratur. Videns igitur hanc non satisfacere, alteram subdit: Fauoniũ fortasse ratione temporis, in quo spirare incipit (ver siquidẽ aperire scribit Plinius, Sole nimirum Aquarij 25. occupante partem) gratissimum dici. Sed & hanc ipse reiicit, quòd veris initium hyemis naturam resipiat, sicq; non erit Fauonius temperatus, nisi in medio vere spirare vesperi cœperit. Quid igitur in re adeò difficili à nobis dicendum erit: An'ne Aristot. & Hippoc. à calumnia inuindicatos relinquem⁹; an potiùs dicendum erit, nomine Zephyri, Fauoniive, quandoq; re vera eum ventum, qui à puncto occidentalis æquinoctij est, quandoq; autem & hunc, & collaterales Liba, & Argestẽ intellexisse, quemadmodum & superiùs ostendim⁹ sæpenumerò apud Aristot. aquilones ventos dici non solùm verum Aparctiam Boreámve, sed etiam Thrasciam, & Mesem: quin & per Austrum non modò verum Austrum, sed etiam Libanotum, & Phœniciam sæpius intellexisse. Iis positis dicendum est Zephyrum, qui à puncto æquinoctij occidui flat, reuera subfrigidiusculum, & humidiorem esse, temperatum tamen aliorum ventorum comparatione habita meritò dici posse, & propterea & serenum, & gratissimum, & subinde saluberrimum, nisi fortasse alicuius naturæ loci ratione contrarium

eueniat, quemadmodum in Vasconia accidere scribit doctissimus Scaliger Exer. 285. aquosissimi verò sunt Zephyri, vehementes, maligno flamine spirantes, si Argestem, & Liba intelligamus. Quomodo enim aliter supremum illū & philosophorum, & poëtarum coryphæum Homerum conciliare poterimus, cùm aliquando Zephyrum adeò placidum, & mitem, gratumq; esse scribit, vt eum per Elysios campos flare finxerit iis verbis:

Ἀλλ' αἰεὶ ζεφύροιο διαπνείουσιν ἀῆται.

Sed Zephyri præterflant delectabiles;

cùm alioqui Od. ετ. malignum flatum Zephyrum appellet, cùm dicit:

Σὺν δ' Εὖρός τε Νότος τ' ἔπεσον Ζέφυρός τε δυσαής.

quod est:

Vnà Eurusq;, Notusq; ruunt, Zephyrusq; maligno
Flamine; ——

aliquando etiam aërem, & nubes dissipantem appellat, cùm dicit Iliad. λ.

——*ὡς ὁπότε Ζέφυρος νέφεα στυφελίξῃ.* quod est:

At veluti nubes Zephyrus cùm dissipat acer:

cùm alioqui placidum iam, & delectabilem appellasset. Huius solutionis auctor nobis fuit Strabo 1. suę Geograph. cùm Fauonium acrem, & nubes pellentem ab Homero scribit dici eū, non qui verè ab occidentali ęquinoctio spirat, sed eum, qui collateralis illi est, quiq; Argestes siue Caurus dicitur: nec certè abs re, cùm quasi naturam Aquilonis, cui in confinio est, sapiat, cuius proprium est, & vehementem esse, & serenitatem vehementia sua parere: quod de verè Fauonio intelligi non potest. Cùm verò Aristot. siue Theophrastus nubibus Fauoniū cœlum densare scribit 25. Problem. Sectione Problem. 23. id ipsum intelligit, quod 2. Meteorol. ab Aristot. & lib. de Ventis à Theophrasto scriptum est, id Africo, qui & ipse ab altera parte collateralis est, attribuentes. Cùm igitur Fauonius medius sit Cauri, & Africi, mediam quandam quoque naturam sortiri debet: ille verò acer, & violentus natura est, & ea ratione serenitatem parit, nubesq; expellit, hic verò nimio torpore languens, humiditatem, & pluuias secum ducit: medius Zephyrus, mediā quasi naturam sortitus est: hunc serenum, placidū, mitem appellat Aristot. hunc saluberrimū esse dicit Celsus. Verùm cùm non multùm frequens sit, statisq; tantùm temporibus, vere scilicet incipiente perflet, sæpius verò, & continuò maligno flamine, contrariisq; inuicem qualitatibus spirent duo reliqui, meritò damnauit sitū occidentalium locorum Hippocr. quòd hos omnes vētos excipiant. Cùm igitur Africus pluuiosus sit, Fauoniusq;, quamuis placidus sit, & mitis, cùm tamen humiditatis nonnihil habeat, meritò horum duorum ratione aquosissimos ventos Occidentales hoc loco dixit Hippocr. quinimò ne Caurum quidē ita simpliciter siccum dixit Homerus, sed nubes Austri expellentem: potest autē ventus aliquis natura sua non admodum siccus, sed & humidus siccitatē per accidens inuehere, vbi vehementia sua aptus sit nubes, & pluuias ab altero humidiore allatas dissipare. Hac igitur ratione meo iudicio poterit quilibet has apparentes contradictiones dissoluere. *ἐπεὶ τοιαῦτα τὰ ἀπὸ τῆς ἑσπέρης πνεύματα, ἐοικὸς τε μετοπώρῳ μάλιστα ἡ δίαιτα ἡ τοιαύτη τῆς πόλιος κατὰ τὰς τε ἡμέρης μεταβολὰς, ὅτι πολὺ τὸ μέσον γίγνεται τοῦ τε ὀρθρινοῦ καὶ πρὸς τὴν δείλην.* quod est: [*Quoniam tales sunt venti ab Occidente perflantes: similis autem est autumno maximè situs huiusmodi ciuitatis secundùm diei mutationes, eò quòd magnum sit discrimen inter matutinum tempus, & vespertinum.*] Quamuis duplex sit hæc sententia, & de more nostro bipartitò esset explicanda, quia tamen aliqui vnicam constituunt, & alij malè disiungunt, vnico contextu eā apponere voluimus: ad quam cùm peruenissemus, diu, multumq; anxij hæsimus: in Græcis enim impressis omnibus codicibus non vno modo legitur, & ita variè, vt Interpretes, dum in Latinum conuertunt, sententiam ita Latinā faciunt, vt illius aut nullus, aut omnino falsus sensus sit. Germanicus enim, & Aldinus sic habet: *ἐπεὶ τὰ ἀπὸ τῆς ἑσπέρης πνεύματα ἔοικεν εἶναι μετοπώρῳ μάλιστα ἡ δίαιτα ἡ τοιαύτη τῆς πόλιος κατὰ τὰς τε ἡμέρης μεταβολὰς ὅτι πολὺ τὸ μέσον γίγνεται τοῦ τε ὀρθρινοῦ καὶ τοῦ πρὸς τὴν δείλην.* quod sic vertit Caluus: [*Quoniam venti de vespera, occasúve qui spirant, autumnalibus similes sunt; positioq;, & situs huius vrbis per diei mutationes, quæ plurimum meridie, matutino, vespertinoq; tempore fiunt, vexantur*] Cornarius verò hoc modo: [*Nā venti occidentales similes sunt autumno. Et huiusmodi ciuitatis situs est ad diei mutationes; eò quòd multum temporis inter matutinum, & vespertinum intercedit*] At doctissimus Zuingerus putat sic legendum: *ὅτι τὰ ἀπὸ τῆς ἑσπέρης πνεύματα ἔοικεν τῷ μετοπώρῳ μάλιστα. ἥτε δίαιτα ἡ τοιαύτη τῆς πόλιος, κατὰ τὰς τε ἡμέρης μεταβολὰς ὅτι πολὺ τὸ μέσον γίγνεται τοῦ τε ὀρθρινοῦ καὶ τοῦ πρὸς τὴν δείλην.* quod ipse vertit: [*Occidentales autem venti similes sunt autumno. Huiusmodi ergo ciuitatis situs, si ad diei partium mutationes conferatur, similis censeri poterit tempori medio inter matutinum, & vespertinum.*] Verùm harum nulla à nobis probari potest. Basiliensis enim & Aldina non potest recipi, tū quòd vnicā faciant sententiam, tum quòd referant dictionem *ἔοικεν* ad verba præcedentia: sequentia autem cùm verbo destituantur, nullum omnino habent sensum, vt quilibet in Calui, & Cornarij traductione videre potest. Verùm hęc iis, qui vel mediocrem Græcæ linguæ cognitionē habent, sunt manifesta. Minùs probatur lectio Zuingeri eadem ratione. Sed quod efficit, vt etiam minùs eam probem, est, quòd punctū post dictionem *μάλιστα* ponit disiungens sententiam à sententia: quomodo si fiat, posterior sentētia, cùm verbo careat, nullū habebit omnino sensum, diuinādumq; erit quid sibi velit Hippoc. ea sententia. Accedit, quòd cùm de orientalib. ciuitatibus loquitur, eas, & earum situm similes facit veri ob moderationem qualitatū. Hoc igitur loco vbi de similitudine oppositarū ciuitatum

uitatum ad Autumni tempus ob diuersitatem partium diei loquitur, ed ûtum ipsorum refert, non ed ventos: neq; necesse est, vt sententia vera sit, vbi legitur ὅτι μάλιστα legere τοῦ μάλιστα, vt postea dicemus. Minùs placet, vt pro ἐπεὶ in margine legatur ὅτι, cùm enim per illà verba redderet rationem superiorum dictorum, debebat vti dictione, quæ reddendæ causæ vim haberet, qualis est ἐπεὶ: non aduersatiua; qualis est ὅτι: vnde etiam malè vertit, occidentales autem venti. Non etiam placet alia correctio, vbi ὅτι legit pro ὅ, ante dictionem δὲ, vt coniunctionem sententiæ insinuaret; cùm potius disiunctiue apponi debuisset, vt reuera posita est. Hęc cùm ita se haberent, diu, multumque cogitaui, quid hac in re mihi tandem esset dicendū: Tandemq; in hanc veni sententiam. Primùm non esse immutãdam primam dictionem ἐπεὶ, quòd ea redderetur ratio eius, quod proximè dixeret: quòd si aduersatiua eius loco dictio succederet, is esset absurdus sensus: cùm enim dixisset, ventos, qui præterfluunt, aquosissimos esse, sequeretur, venti autem occidentales similes sunt autumno; quasi occidentales venti nõ sint aquosissimi, neque autumni tempore pluuiæ contingant. Præterea nullo modo post dictionem μάλιστα censeo ob eas, quas diximus, rationes, punctum disiungens intercedere debere. Credo præterea comparationem ad autumnum non esse ventorum, sed esse situs ciuitatis, & esse disiunctam à superiori sententia per punctum disiungens ponendum ante dictionẽ ἐοικε, tuncq; dictio ὅτι quæ in Basiliensi, & Aldina editione sequitur, mutanda erit in coniũctionem τι quæ adiungi debet dictioni ἐοικε: Verùm sic dispositæ secundæ sententiæ, erat postea, quod maiorem faciebat difficultatẽ, quid sibi vellet Hippoc. ea sententia, quæ sic se habebat: ἐπεὶ τὸ δὲ τῆς ἑσπέρης πνεύματα, neq; enim verbum haberet, ad quod referretur, neq; docet, qd sint hi venti à vespere fluentes. Verùm cùm hoc cum doctissimo Zacharie Ceimo conferrem, si post dictionem ἐπεὶ, alterem hanc ταῦτα adiuti gerem, quæ forte esse ob sequentem eiusdem terminationis excideret, quod sæpenumerò accidit, optimè sententiæ satisfactum esse, se crederé respondit; à cuius grauissimo iudicio nullo modo mihi recedendum esse duxi: atque eam ita, vt antea proposita est, disponendam censui: vt sensus sit; qui verò præterfluunt, aquosissimi sunt; quoniam tales sunt venti ab occidente perflentes. Sequitur alia sententia. Similis autem est maximè autumno situs huiusmodi ciuitatis secundum diei mutationes: eò quòd magnum sit discrimen inter matutinum, & vespertinum tempus: nec certè præter rationem: Cùm ex tertio Aphor. iam docuerimus, in quibus locis modò calor, modò frigus vigent, expectandos esse morbos frequentiores, & maiores, quòd ibidem etiam tempore eam seruãtia naturam, sequi naturam autumni doceat, cùm

A iam etiam docuerimus ex Hippocr. hoc loco loca occidentalia radiis Solis illustrati, non nisi horis pomeridianis, tuncq; maximum calorem generari ob Solis radios tecta respiciẽtes, cùm alioqui in alia parte diei, quæ multò longior est, frigidites prædominetur; quòd & tota nocte, & horis ante meridiem sint ea loca radiis Solarib. destituta. Sequitur præterea, si ventorum occidentalium simul sumptorum naturam considerauerimus, cùm natura inter se B diuersos esse docuerimus iam, vt situs, in quo illi assidui sunt, inæqualis omnino sit statuendus, & autumno maximè similis: noctu enim, & horis ante meridiem ambiẽs autumni tempore solet esse frigidus, calidus autem horis pomeridianis: pari ratione ambiens huiusmodi locorum tum inæqualis est; & diuersus ob naturarum diuersitatem, quæ in ventis perflantibus reperitur, tum etiam quòd venti occidentales ante meridiem spirantes multò frigidio-C res sunt seipsis horis pomeridianis: & hoc est, quod Auicen. lib.1. Fen.2. Doct.2. S.1. c.10. docebat, cùm Fauonium vesperi potissimum suã habere salubritatẽ scribit. Verùm illud diligenter circa hanc particulam obseruandum est, nõ satis esse ventorum naturam genericè cognouisse, sed particularibus obseruationib. ita nobis esse agendũ, vt cognoscamus, quid, & quantum vnusquisq; valeat in ea regione, in qua de temporis natura iudiciũ afferre volumus. Atti-D cis enim docuimus Austrum esse salubrẽm ex Hippocr. & Aristot. sententia, qui cæteris ferè solet esse perniciosus: Sic Vesconibus ob sitũm terræ audio Fauonium esse perniciosissimum, qui cæteris & salubris est, & delectabilis: ita tabidis Tebienus ager vtilis est, ad occidentẽ tamen expositus: vt docet Galenus 5. Method. meden. cap.12. quòd si quis à me quæret, quomodo tabidis locus hoc loco ab Hippoc. insaluberrimus iudicatus salubris esse posłit: illis E ego respondebo, septẽtrionales etiam recipere: maximè tamen occidentalem Caurum, qui ab occasu æstiuo originem habet, qui etiẽ non summè frigidus est, vt septẽtrionales, nec multum calidus, vt Austri, ad frigiditatem tamẽ declinat, summè autẽ est exsiccans, vt ex Strabone iam docuimus. Locus autem ille inter occidentales minimè admittit Liba, vt ex historia à Galeno narrata constat, qui ab occasu hyberno oritur, & proinde aquosissimus esse solet.

F Quamobrem si quispiam alicubi aliter, atque nos de natura ventorum decreuimus, esse inuenerit, non statim reprehendere nos debet: nos enim id vltro fieri posse concedimus: nobis autem non licet quorumcunque locorum naturam speculari. Verùm video aduersus ea, quæ à nobis in hac postrema particula explicanda dicta sunt, dum situm occidentalium locorum similem dicebamus esse autumno, quòd multũ differret tempus matutinum, quo radiis Solaribus minimè illustrantur, à vespertino, in quo

tempore Sol radiis suis calorem maximũ excitat, facilè aliquem obiicere posse hoc idem ciuitatibus orienti expositis accidere: quemadmodum enim ante meridiem Sol occidentales ciuitates non calefacit, ita orientales horis pomeridianis relinquit. Cui obiectioni duplici ratione responsum volo. Primò, quòd Sol, vt docet Aristot. cap. 6. secundi Meteorolog. diutius super has moratur, ad illas verò & tardiùs accedit, & easdem citiùs deserit: Sufficit enim ad calorẽ in prima diei & media parte acquisitũ conseruandum Solis super terram cõsistentia post meridiem. Eũ verò, qui post meridiẽ aduenit, nox succedens quàm primùm potest auferre. Praeterea orientalis locus vsq; ad meridiem Solis radiis illustratur, qui multò mitius calefacere possunt, quàm à meridie ad occasum vsque, vnde cùm extremae mutationes morbos quàm plurimos pariant, multò insalubriores esse ciuitates occidentales sequitur necessariò, quàm versas ad Orientem.

LVDOVICI SEPTALII MEDIOLANENSIS MEDICI IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE AERIBVS, AQVIS, LOCIS,

Commentarius III.

I.

Περὶ δὲ τῶν λοιπῶν ὑδάτων βούλομαι διηγήσασθαι, ἅτινά ἐστι νοσώδεα, καὶ ἃ ὑγιεινότατα. καὶ ὁκόσα ἀφ' ὕδατος κακὰ εἰκὸς γίνεσθαι, καὶ ὁκόσα ἀγαθά. πλεῖστον γὰρ μέρος ξυμβάλλεται ἐς τὴν ὑγιείην.

CAEterum de reliquis aquis agere volo, quae sint morbosae, & quae saluberrimae: & quae ab aqua mala fieri verisimile sit, & quae bona: plurimùm enim conferunt ad sanitatem.

EA est aquarum dignitas, praestantia, & earundem tum ad vniuersi perfectam constitutionem, tum ad ea, quae ad mortalium omnium, hominisque potissimum vitam tuendam, conseruandamq; requiruntur, necessitas, vt non mirum sit, si quàm plures ex antiquis illis philosophãtibus elementum aquae rerum omnium principium dixerint, Hesiodi fortasse auctoritate freti, qui elementũ aquae omnibus elementis antiquius testatus est: nec certè praeter rationẽ: vix enim aliud reperire licet, sine quo aliquando vita cõstare non possit praeter aërem, & aquam. Sed & naturalis aquae constitutio cùm naturam quasi mediam inter corpus, & spiritum obtineat, maximam eius necessitatem ostendit: siquidẽ ignis caliditate, qua pollet, maxima, mobilitate minùs ad mixtionem aptus esset, & aër tenuitate exuberaret, terra quòd crassa nimis, siccaq;, & contumax cùm sit, nisi aqua ob frigiditatem firmior, humiditate non excedente densior, nec ad difflationem ita prompta, & ob eandem multò terra mollior, adhaesuque facilior, contraria haec miscibilia promptiùs in vnionem naturae coniungeret. Ea enim est, quae partes, quas lis antiqua diremit in amicitiam, tanquam medium quoddam reducit, & psalmat corpora, alioqui minùs in vnionem concordia. Qua ratione, vt nunquam sapientissima summi illius primi opificis mens solet in necessariis deesse, ita in subministrãda cunctis mortalibus aquarum copia superfluit largissima. Aurum, argentum, gemmas, quae minùs corpori sunt necessaria, neque semper, neque vulgo propalauit; aquarum verò tanta vbique copia fuoditur, vt non solùm terrae inexhaustã satiet siccitatem, eam intra, extra, supra complectens; verùm & ad insatiabilia hominũ commoda passim elargita, & distributa, tunc dicĩ solet mortalibus non deesse, cùm exuberat: Vnde in principio sui poëmatis Pindarus primas aquae partes tribuit, cùm inquit: ἄριστον μὲν ὕδωρ. Verùm cùm Hippocr. hoc libro institutum sit varias hominum naturas nobis ostendere, vniuersosq; mores, & instituta, meritò primas aëri, & iis, quae sunt in aëre ventis tribuit, siquidẽ cum eo continua quasi inspiratione fruamur, necesse est etiam magis mores hominum, naturas, temperamẽta, & instituta immutare. Verùm post aërem tanta erat aquarũ ad vitae mortalium conseruationem necessitas, cùm ea ad alimenta ferè omnia (vt nunc omittam ad frumentorum, fructuum, animalium, quorum carnes ad vsum nostrum pro eduliis reseruantur, eiusdem necessitatem) & praeparanda, & concoquenda in vsum veniat, meritò post exquisitam illam de aëre, & peculiaribus ventis vniuscuiusq;

cuiusq; ex quatuor locorum positionibus penes quatuor Cœli partitiones dispositis, tractationem, eam, quæ de aquis est, aggreditur: quãuis in præcedenti tractatione, cùm de situ locorum ageret, necessitate quasi coactus, vt naturas, & morbos illorum doceret peculiares, aliquid de aquis agit, non vniuersaliter, sed vt quales vnulquiq; situs esset sortitus, ostenderet. Quapropter, cùm incipit hanc tractationẽ, habet hęc verba: περὶ δὲ τῶν λοιπῶν, quod nos vertimus, cæterùm de reliquis aquis; quod meo iudicio non alia ratione dixit, quàm vt ostenderet diuersam rationem tractationis aquarũ in præsentia, ab illa, quam hactenus habuerat: male igitur vertit Cornarius: Cæterũ de aquis deinceps. ἅτε ἐστὶ νοσώδεα καὶ ἃ ὑγιεινότατα. qđ est: [*quæ morbosæ, & quæ saluberrimæ*] Quare cùm Hippocr. de Morbosis loquitur, non vsus sit superlatiuo, vt cùm de saluberrimis, certè aliqua, & abdita debet esse causa, quæ meo iudicio fortasse esse potest, quòd pro potu nunquam ea solet aqua in vsum venire, quæ morbosissima, vt quæ fæculenta, quæ omnino turbida, quæue ita omnino est præter naturam, vt à quocunq; homine auersetur; non igitur erat, quòd in hoc laboraret, vt nobis ostenderet, quales sint morbosissimæ, vtpote quæ nunquam in vsum veniũt, sed solùm de iis agit, quæ potulentæ sunt; doceretq; ex iis quænam morbosæ sint: saluberrimas verò docere optimum erat, vt ea tanquam Polycleti regula nobis proposita, quantum fieri posset, tenraremus, aut eam in potu assumere, aut certè aliam, quæ illi in bonitate esset quã maximè proxima.

Et quæ mala ab aquis fieri verisimile sit, & quæ bona] Arguere fortasse hoc loco Hippocr. aliquis poterit, quomodo ipse, qui breuitati tãtopere studet, hoc loco, postquam pollicitus est docere, quænam aquæ morbosæ sint, & quæ saluberrimæ, iterum subdat se docturum, quæ mala ab aquis proueniunt, & quæ bona; quasi verò non sit idem aquam esse morbosam, & mala afferre, & salubrem, & bona inducere. Verùm dicendum est, per aquas morbosas, & salubres intelligere, quæ aquæ ex natura sua hominibus vt plurimum morbosæ sint, aut salubres: at cùm pòst dicit se velle ostendere, quæ mala aquæ afferant, intelligit, quæ incommoda ad quarumcunque aquarum continuum vsum possint homini euenire, & quæ itidem commoda: potest enim aqua aliqua optima, & saluberrima ex natura sua esse, quæ tamen aut propter quantitatem, aut assumptionem non opportunam incommoda afferat: potest quoque aliqua aqua esse morbosa, vt salsa, aluminosa, quę tamen in aliquo casu assumpta afferret bona: thermales enim aquæ pro potu quotidiano ob metallorum, sulphuria, salis, & huiusmodi admixtionem sunt morbosæ, & inutiles, afferunt tamen quàm plurima bona, & ad sanitatem inducendam erunt vtiles: & hoc est quod subdit [*plurimum enim conferunt ad sanitatem*] qua in parte superat certè aqua cætera elementa, cùm multa enim sint illi cum cæteris elementis communia, id tamen eius peculiare donum à natura illi tributum videtur, quòd nullũ planè elementorum, nulla rerum mixtarum reperiatur, quæ faciliùs, vel meliùs valeat in se concipere cæterarum rerum virtutes, easq; communicare corpori, & consequenter inducere sanitatẽ, quàm aqua. Nec certè id præter rationem contingere credendum est: ob humiditatem enim naturalem facilè quascunque à re qualibet in se apta est recipere impressiones, conceptasq; semel ob maiorem crassitiem diutius aëre retinere potest; mediocri tamen crassitie, & fluiditate easdem quacunque perducit, siue intrinsecus pro potu sumatur, siue pro balneo extrinsecus adhibeatur. Aut certè postrema hæc verba non referẽda sunt ad proximè solùm dicta, sed potiùs, quòd iis verbis vniuersi sui instituti rationem reddat; quare de aquis agat; quia maxima pars sanitatis non acquirendæ modò, vt in prima expositione intelligebamus, sed etiã conseruandæ, in electione bonarum aquarum consistit.

II.

Ὁκόσα μὲν οὖν ἐστιν ἑλώδεα καὶ στάσιμα, καὶ λιμναῖα, ταῦτα ἀνάγκη τοῦ μὲν θέρεος εἶναι θερμὰ, καὶ παχέα, καὶ ὀδμὴν ἔχοντα. ἅτε οὐκ ἀπόρρυτα ἐόντα, ἀλλὰ τοῦ τε ὀμβρίου ὕδατος ἐπιτρεφομένου ἀεὶ νέου, τοῦ τε ἡλίου καίοντος, ἀνάγκη ἄχροά τε εἶναι, καὶ πονηρὰ καὶ χολώδεα. τοῦ δὲ χειμῶνος παγετώδεά τε, καὶ ψυχρὰ, καὶ τεθολωμένα, ὑπό τε χιόνος καὶ παγετῶν, ὥστε φλεγματωδέστατα εἶναι, καὶ βραγχωδέστατα.

Quæcunq; igitur palustres sunt, & stabiles, & lacustres, eas necesse est æstate calidas esse, & crassas, & fœtentes. Quum enim fluxiles non sint, & aqua pluuia noua semper superaddatur, Soleq; exurente, necesse est, & pallidas esse, & prauas, & biliosas; hyeme verò glaciatas, & frigidas, & perturbatas ob niue, & glaciem, ita vt pituitosissimæ, & raucosissimæ existant.

De palustrium, stagnantium, & lacustrium aquarum natura, & qualitatibus ante considerationem omnium aliarum tractationem instituit, vt quem ab initio ordinẽ tradiderat, eundem in præsentia aggrederetur: quas autẽ morbosas aquas esse crederet, primo loco proposuit explicare, inter quas palustres, stagnantesve, & lacustres primas sibi partes vindicãt: sed & inter eas paludi, & stagno primum locũ tribuit, tanquam pessimis: Lacus enim perenni aliqua latente vena, vel pluribus inuenta capacitate, nec cursum, nec exitum præbente scaturiunt cõtinuò, donec repletis quasi labris, aut in amnem deriuant, vt plurimũ faciunt, aut occultis

infrà recessibus exonerentur, quales multos in nostro hoc Italiæ tractu conspicimus, qui ne digitum quidem excedunt labra, ad nullumque prodeunt cursum, in occultas nimirum capacitates sublabentes, quales etiam vulgo admirantur homines lacus in altissimis montibus, quales in Alpibus, qua via fit ab Italia transitus in Galliam Cenisij montis lacus, & item Vesuli vterque in vertice nullum externum cursum habentes, sed per latentes infrà cauitates continuò defluentes fortasse ad pedes montium, tandem & Padi, & Doriæ clarissimorum fluuiorum non incertam præbent originem; quare iidem semper lacus, aqua alia, quæ incessanter & subnascitur, & defluit. At palus, & stagnum non viuas continuò subministratas, & naturales habet aquas, vt lacus, sed collectas ex imbribus, stantes, & mortuas (vt aiunt) continet, aut ex aliqua fluxili aqua labris aliquando superlapsa, & in cauo aliquo loco recepta pluuiis continuò subministrantibus produci- tur. Exitu præterea differunt, quo carent palustres: Solis tantùm æstu exiccatæ, & consumptæ, aut arte aquis deriuatis; quemodo Pontinas paludes in Campania exiccatas legitur Cornelio Cetego Consule, vnde & multum agri acquisitum scribit Plinius: quod de lacubus nusquam memoratur, nec fortasse fieri posse concedemus, si tam lacubus, quàm mari, & fluminibus certum statuisse terminum dixerimus. Omnium igitur pessimas statuit Hippocrates palustres: cùm enim segnes perpetuò sint, desides, collectitię, & limosæ, facilem quacunque ratione putredini in se concipiendæ præbent occasionem, præsertim vere, & æstate: illo quidem tempore apertis terræ poris, & occultis meatibus, sursumque latis vaporibus in visceribus terræ contentis, qui occursu aquæ euaporare nequeunt. Quocirca aquæ admixti superueniente mox calore Solis maiorem adhuc putrefactioni prębent occasionem: premēte maxima vi Solis nec aqua aliquo motu se subtrahente, vnde etiam limi multò maior in ima parte copia generatur; qua ratione etiam potui nocentissimæ sunt, sępeque etiam pestilentes. At lacuum aqua alia ratione non commendatur; neque enim in putredinem eius noxas referre possumus, cùm ob perennem motū putrēdini nulla sit via; motu tamen medio quodam solùm lacustres aquæ mouentur, Inter fluuialium fluxum, & marinarum ęstum, nimirum continua successione, & vi ventorū. Accedit ad hoc, quòd non omnes alueum habent limosum, vt paludes, & stagna, cùm alij arena, clarea, sabulóve, quandoque ita limpidi, purique conspiciantur, vt in hac qualitate ne fluuialibus quidem aquis cedant: non commendātur tamen In potu, quòd quamuis non putrescant, nouis semper aquis succedētibus, crassiores tamen, quæ remanent partes, euadunt, nec statim à scaturigine expelluntur, sed diutius commorantur in alueo, tum & ob alias causas, de quibus loquentem Hippocratem audiamus.

Quæcunque igitur palustres sunt, & stabiles, ac lacustres, eas necesse est æstate esse calidas, & crassas, & fœtentes] Quamuis non leuis sit, vt diximus, inter palustrium, & lacustrium aquarum malitiam differentia, cùm tamen sub eodem genere noxæ ob vitia ambarum collocentur, de vtrisque simul locutus est: quo loco per palustres volo paludis nomen intelligi præcisiùs; scimus enim etiam in quibusdam aquis viuis paludis nomen vsurpari. Meotis enim palus sinus est maris amplissimus; nec veræ paludes sunt Nili maximæ illæ in Ægypto collectiones: eas enim Oribasius ex Ruffo maximè ad potum laudauit, neque enim hyeme putrescunt, aut æstate, neque supercalescunt, sed quodam motu agitantur: quinimò quasi per sabulum deriuatę, & percolatæ omni crassitie, & fomite putredinis exuuntur: quotannis autem inundans Nilus desidem extrudit, recentem infundit, vnde intra proprios margines nec antiquantur, nec inarescunt. Palustres igitur aquæ eo nomine veniunt vituperandæ, quòd putridæ sint, viscidę, bullosæ, luridæ, vliginosæ, crassę, æstate calidę, hyeme frigidæ; cum enim desides sint, & immobiles, externarum causarum suscipiunt facilè impressiones omnes, caliditatem & frigiditatem. Præterea hyeme ob ambientis similem qualitatem, nec interni vlli adsunt cuniculi, ex quibus scaturiant aquæ; vnde calorem intra viscera terrę contentum possint reliquis aquis successiuè communicare. Æstate autem tum propter putredinem, tum propter vim externę causę, radiorum nempe Solariū, necessariò calidæ redduntur: in lacubus quoque id contingit, quamuis non vsque adeò; quamuis enim latentes habeant cuniculos, in quibus calor hyeme latet, & continuò aquis de nouo scaturientibus cōmunicetur, nihilominùs cùm nō tanta superaddatur aqua, vt in flueotibus; cumq; maior sit illius quantitas, quæ deses est, & firma manet, quàm eius, quæ de nouo influit, ambientis iniuriis exposita, potiùs eius naturam, & qualitates imitabitur.

Καὶ ὀσμὴν ἔχοντα. Et odorem habentes.] Qualitas hæc propriè palustrium aquarum est, dictio verò hæc Ionica est, cuius loco Attici ὀσμὴ dicūt, & quamuis hanc aquam habere odorem intelligere possimus qualemcunq;, & bonū, & malum, cùm ea, quæ commendatur, omni prorsus odore carere debeat, ita vt odorata aliquando, siue bene olens aqua optima dicatur, quæ omni prorsus caret odore, satius tamen esse duxi fœtentem vertere, vt speciem odoris intelligeremus: sic enim redduntur ob diuturnam moram, qua aut veram putredinem, aut putredinis specimen quoddam concipiunt. Crassæ etiam sunt, tum ob longam moram, qua subtiliores partes & per se euanescunt, & in aërem transmu-

transmutantur, & à Sole absumuntur: quæ etiam in lacub⁹ vera est ratio, quamuis enim nouæ continuò aquæ succedant, maior tamen illius pars remanet diutius, quæ ob eas causas, vt crassescat, necesse est. Quòd verò eæ sint tantæ malitiæ causę, explicat iis verbis: [*Cùm enim fluxiles non sint, & aqua pluuia noua semper superaddatur, soleq; exurente necesse est & pallidas esse, & prauas, & biliosas*] Quamuis hęc potissimum vera sint in palustri aqua, quæ reuera non diffluit, lacustribus tamen etiam conueniunt, quòd quamuis latèter per cuniculos diffluant, vel etiã apertè, non est tamen defluxus ille ad salubritatem sufficiens, quòd tota aqua moueri debeat, & diffluere, tum præterea in aperto loco per glaream, & ad Solem; in lacubus autem maior pars aquarum firma manet: Sol autem quotannis exurit, id est, partes subtiliores consumit calore suo; vnde necesse est eas esse pallidas. ἄχροα Cornarius decolores vertit: sed meo iudicio non satis commodè: quamuis enim nomen illud optimè decolores significare posśit, cùm tamen reperiam tum apud Hippocr. infrà, tum apud Galenum primo de San. tuenda, & Plin. lib. 30. Naturalis histor. perfectissimam illam aquam esse, quæ omnino, sicut sapore caret, ita etiam omni colore sit destituta: & cùm hic de palustrium aquarum malitia agat, meritò non decolores (sic enim ex parte bonæ essent) sed pallidas potiùs vertere debemus: palliditas enim ex luti turbulentia, & natiua aquarum claritate componitur: ἄχροα autem pallida significare quandoque manifestum fecit inter alios Galenus, qui primo ad Glauconẽ in hoc significatu ea dictione vsus est, cùm dicit: ἡ τῶν ὀφθαλμῶν κοιλότης καὶ ἡ εἰδέα ἄχροα: & de pallore necessariò intelligitur.

Et biliosas.] Censuit Alemanus biliosam aquã appellari, quòd ex ea biliosi humores facilè generentur: quod, inquit, tela palustribus aquis superinducta viridis indicat, quod enim putre fit, in bilem facilè vertitur. At hac ratione nunquam mihi in mentem venire potuit, aquam aliquam impermixtam biliosam dici posse: Verùm hanc rem à paucis admodum consideratam, & à nemine rectè discussam diligenter cõsideremus, si aquæ natura consideretur, facilè quilibet intelliget imposśibile esse aquam, qua aqua est, in bilem verti: cùm enim simplex sit elementum, vix mente concipi potest, ex ea sola posse mixtum generari; cùm imperfecta etiam quælibet mixta duobus saltem debeant elementis esse constituta. Quid quòd aqua naturâ suâ tantum abest, vt bilis generationi prębeat occasionem, vt potiùs illi sit temperamento aduersissima, cùm altera omnium frigidissima, & humidissima sit ferè; bilis verò omnium, quæ in nostro sunt corpore humorum calidissima, & siccissima. Accedit, quòd bilis cùm excrementum sit in nostro corpore, non nisi per coctionem producitur, simplicium verò nulla talis pasśio esse potest: nam coctio definitur ab Aristotele quarto Meteorolog. esse perfectionem à naturali, & proprio calore ex oppositis pasśiuis; hæc verò non nisi mixtorum est. Quinimò si species coctionis considerauerimus, sola elixatio posset illi conuenire, quæ alioqui ab Aristotele eodem libro si de propria intelligamus, quæ coctio est ab humido calore eius indefiniti, quod in humido est, aquæ denegatur: sed, inquit, humidis fortasse aliam conuenire, quæ impropria est, & metaphorica. Quinimò ne hoc quidem modo dici potest aqua elixari, si simplex fuerit; at ne putredo etiam, per quam aliqui ex aqua bilem generari somniarunt, in aqua simplici esse potest: cùm sit corruptio in vnoquoque humido propriè secundùm naturam caliditatis ab aliena caliditate: aqua verò siue simplex sit elementum, siue potabilis; hæc nostra quomodo per se putrefiet, si nullam propriã habet caliditatem? Quòd si quarto Meteorolog. dicebat Aristoteles omnia elementa, vno igne excepto, putrescere, id intelligendum est ob illorum permixtionem: nam solus ignis ob perennem illum circularem motum, & ob locum superiorem, purissimus conseruatur: cætera verò corpusculis cùm sæpenumerò permisceantur, illorum ratione putrescere dicuntur. Quòd si qui dixerint, aquam potabilem hanc nostram hoc modo esse permixtam, & proptereà posse in bilem verti, hocque confirment Hippocr. auctoritate tertio de Ratione victus in morbis acutis 40. cùm dicit, aquæ, quæ in acutis bibitur morbis, nullum sanè aliud habeo, quod illi concedam officium. Neque enim in pleuriticis tussim sedat, neq; sputum educit: imò cæteris minus, si quis aquæ potione prorsus vtatur. Verùm si inter oxymeli, & mulsam paululum aquæ instilletur, ob qualitatis potionum transmutationem sputũ educit: Nempe intus inundationem quandam parit: aliàs neque sitim sedat, sed amarescit; nempe ei, qui suapte natura biliosus existit, ea est biliosa. Hypochondrio præterea est mala, atque etiam pessima, biliosissimaque, & vires maximè labefactat, &c. vbi Galenus in Comment. corrumpi quantumuis optimam aquam in ventriculo bilioso scribit, & manifestius tertio de Fract. 49. cùm aquam in biliosis bilem facere scribit: docent autem iidem, quomodo ex aqua bilis generetur, quòd diutius in cauitatibus calidis retenta aduratur, & in bilem per adustionem vertatur. At ne hanc quidem aquã aptam esse censemus, vt ex ea bilis generetur: docuit enim Galen. citatis duobus locis Hippocr. loqui de optima, & simplicissima aqua, quæ licet elementum simplex non sit, minimè tamen omnium est permixta: at & illa est admodum frigida, & humidissima; quomodo igitur in contrariam naturam tam breui temporis interuallo poterit transmutari? Accedit, q

licet aliquam leuem admodum mixtionem habeat, nunquam tamen tanta, aut earum rerum potest esse mistura, vt in bilem reuera possit transmutari, cùm calida hæc, & sicca esse deberent, quæ omnino in optima aqua nulla esse possunt. Postremò aqua in lebete igni apposita nunquam amarorem contrahit, ergo multò minùs assumpta in corpus; nam hæc elixatio est licet impropria, quæ à calido humido fit, illa potiùs est assatio licet impropria, cùm à calido sicco fiat; at si ex aqua per vlteriorem coctionem bilis produci posset, cùm hæc calidissima, & siccissima sit, à calido potiùs sicco produceretur, quàm ab humido. Quid igitur dicendum est? Censeo ipse biliosam dici posse aquam, & eandem amarescere duplici ratione, aut quòd ob naturalem eius frigiditatem assumpta, obstructis primò internis canalibus, si biliosa inueniat excrementa, illa in quantitate augeat, illis sese insinuans, & mox quantitate aucta, tum ab aquæ liquiditatem, tum ob acrimoniam, & subtilitatem, poterunt vndequaque faciliùs permeare, & effectus bilis producere: quamuis ipse semper censeam actimoniam eorundē ob aquam retundi: quod docet Hippocr. locis citatis: cùm aquā in acutis morbis, potissimū si biliosus sit ventriculus, neq; sitim sedare scribit, sed amarescere, & biliosam reddi, & hypochondriis esse molestam: neque enim sitim sedat, quòd hæc ex calore, & siccitate oris ventriculi, & ex siccis fuliginib. sursum eleuatis fiat: ingesta verò aqua cùm bilem in quantitate adaugeat, poterit vtraque ratione sitim non sedare, subministrando continuò magis, ac magis biliosas fuligines, & multitudine supernas ventriculi partes magis impetendo: biliosa verò redditur, quòd biliosis excrementis admisceatur, qua ratione amarescit; infensaq; est hypochondriis, quòd ea in acutis morbis soleant esse obstructa: quocirca aquæ biliosæ iam factæ transitum impedientes, molestiam patiuntur, & mordicationes. Alia ratione biliosa dici potest aqua, & bilem augere, vbi medicamentosa fuerit, & alicui rei permixta, quæ facilè in bilē verti posait, quales sunt sulphureę aquæ, aluminosę, aut similes. Quomodo igitur hoc loco palustres aquas epotas æstate dixit Hippocr. esse biliosas? ànne vt Alemanus, qui biliosas cēsuit, quòd ex iis reuera bilis posśit produci, tanquā quòd in illis aliqua adsit res, quæ bili generādę sit idonea, aut ex aquę substantia in bilem mutata? minimè omnium, si diligenter aquarū palustrium naturā consideremus: cùm enim crassæ sint, fæculentæ, & limosæ, potiùs atrum humorem, aut pituitosum, poterunt producere: quod indicant lienes magni, qui passim visuntur in iis, qui similibus aquis vtuntur: bilis autem flaua cùm ex subtilissima semper, & facilè inflammabili materia producatur, tantum abest, vt ex aqua produci possit, quòd si ex aqua bilis reuera posset generari, hæc omnino inepta reddita esset ad talem formam suscipiendam, cùm eius tenuissimæ partes sint consumptæ à Sole, terrestres verò remanserint. Manifestum igitur est, biliosas hic intelligere, quòd ob crassitiem diutius contineātur in ventriculo, & visceribus: cùm verò ob tempus anni calidum hi le refertæ sint cauitates, aquæ bili admiscētur, & hac ratione biliosæ dicuntur.

Hyeme verò glaciatas, frigidas, & turbatas ob niuem, & glaciem] Sicut æstate calidas, ita hyeme frigidas, & glaciatas esse dicit, eò quòd in lacubus tanta non suppeditetur materia ex interuis terræ calidis penetralibus; quo tempore quanta necessaria foret pro caliditate communicanda reliquæ parti: In paludibus verò, & stagnis nulla omnino subministratur materia ex laticib*, sed tota, vt diximus, collectitia est: quocirca necessarium est tum naturalis, & proprij temperamenti ratione, tum ob aëris ambientis algorem, obq; niues eo tempore in illis collectas frigidissimas esse, prægelidas, & perturbatas ob crassitiem, quam tum ob limum sortiūtur, tum ob niuem, & glaciē; euapotatis enim & expressis à frigore tenuissimis partibus, & humidis in glacie, vbi dissoluatur, iterum ingens remanet frigiditas, item & crassities; glaciare enim aquas violenta quædam est passio, & excessus, teste Aristot. 4. Meteor. imò si Alex. Aphtod. in Quæst. naturalibus credimus, vera est eiusdem aquæ corruptio: vbi enim semel aqua concreuerit, nunquam postea ad pristinam redit substantiā, humido iam fermè corrupto, amissoq; quicquid clarū, tenue, leue, & dulce in aqua reperiebatur: eo verò q, & grauissimum, & turbidissimū reperitur, introducta siccitate. i. siccioribus, & terrestrioribus partibus remanentib*.

Ita vt pituitosissimæ, & raucosissimæ existant] Pituitosissimas, & raucosissimas appellat, quòd pituitosis excrementis corpus repleant, & homines maximè raucos reddant, aqua enim omnis cùm frigida sit, & coctiones effugiat, pituitam solet generare, intemperiem frigidam in membris inducēs, & crudiorib. excrementis admixta, eos in quantitate augens; palustris aūt cùm frigidissima sit, & crassissima, indomitaq; pituitosissima erit. εἶναι ϗ βραγχώδεας, hæc verba in Aldino codice non repetiuntur, ex Basiliensi tamen & manuscripto addenda sunt; siquidē & pectori, & instrumentis inseruientibus voci frigida, vt nix, & glacies, sunt infensissima, teste Hipp. lib. 5. Aphor. 24. cùm enim adeò frigida sint, simile cerebro introducūt qualitatem, cuius ratione minùs cōmodè alimentū à natura illi pro nutritione demandatū potest concoquere, vnde & multa excremēta cruda, & frigida excitātur, quæ de osum transmissa, cùm tracheam arteriam exasperatam, & constipatam à frigore inueniant, & reddant magis talem, eadem reddunt vocem asperiorem, & raucam, & grauem. Quod etiam licet in quibusdam circa Alpes locis manifestè conspicere, in quib. quâ-
uie

uis palustres aquæ in vsum non veniant; cùm tamen fontes, è quibus bibunt, contumacem aquã, & crassam ob aquas ex niuib⁹ liquatis in illis simul collectas contineant, tauci fiunt, & gutturosi reddũtur, vt circa Alpes in ea parte agri Thaurini cõspicitur, quæ anlerũ vallis à voce, quam edunt, nuncupatur, q. aquas bibãt frigidissimas, & multùm terrestres, quales sunt, quæ ex liquatis niuibus fiunt, frigidũ aũt repugnat voci, crassum autem, crudum, & terrestre cum aquea tenuitate laryngi, asperæ arteriæ, tũ & musculis gutturis, sese insinuat, & inhæret tenaciùs, vnde & raucedo vocis exauditur, & tumor durior fit in gutture ibi indurata materia: id ipsum patiuntur, qui Alpes habitant, & pyrenæos montes: nam perennes hi populi habent niues, quæ continuò liquantur, distillanturq; in puteos eorum, & fontes, quos bibunt: q. si ex fontanis rum fluxilibus, tum residibus ebibitis aquis huiusmodi sequuntur incõmoda, certè multò certius iisdem rationibus ex lacustribus, & palustribus aquis, in quibus & niues cadunt, & ex niue liquata aquæ colligũtur, & glaciantur, accidere credendum est.

III.

Τοῖσι δὲ πίνουσι, σπλῆνας μὲν αἰεὶ μεγάλους εἶναι, καὶ μεμυωμένους, καὶ τὰς γαστέρας σκληράς τε καὶ λεπτὰς, καὶ θερμάς. τοὺς δὲ ὤμους καὶ τὰς κληῖδας, καὶ τὰ πρόσωπα καταλελεπτύσθαι. ἐς γὰρ τὸν σπλῆνα αἱ σάρκες ξυντήκονται, διότι ἰσχνοί εἰσιν.

Bibentibus autem splenes semper sunt magni, & pleni, & ventres duri, & tenues, & calidi. Humeri verò, & claucule, & facies attenuata: in splenem enim carnes colliquantur, qua ratione graciles euadunt.

Noxas, quæ ex potu vitiosarum aquarum eius generis, cuius iam meminimus, eggreditur explicare: primumq; magnos, & turgentes admodum lienes reddi in iis scribit: ea enim ratione lienem corpori nostro adiunctũ esse, cõmunis est anatomicorum illustrium sententia, vt quod lutosi, fæculenti, crassiorisq; in sanguinis per iecur elaboratioue superfluit, vlterioremq; præparationem requirit, id totum à liene recipiatur, non secus, quàm q. tenuioris, lẽuiorisq; in sanguificatione superfluit, in vesicula fellea recipitur: illud aũt ad se lien per venæ portæ truncum tanquã familiariue allicit, & exugit, quod attractum meliùs conficeret, elaboraret, ac suæ nutritioni aptius redderet: vt autẽ huiusmodi genus crassioris materiæ continere posset, spongiosum, ratum, & laxum natura produxit: Vnde dicebat Hippoc. siue quisquis auctor fuit, lib. 4. de Morb. num. 2. lienem, & caput maximè esse spongiosa mẽbra: & eadẽ ratione inferiùs particula eiusdem lib. 14. dicebat: caput, & splen hac ratiõe maximè morbis tenrantur, tum q., vt cætera membra, ex causa in se genita solent lædere, tum & aliunde fusce pta ob eorundem magnam & laxitatem, & capacitatem. Cùm igitur palustres, lacustresq; aquæ crassæ sint, & lutulentæ, vt dicebamus, vbi in vsum pro potu trahantur, necesse est, in ea, quæ in iecore fit, sanguinis elaboratione multas relinqui partes fæculentas, crassas, & crudiores, quæ cùm à splene trahantur, necesse est magnos, & prætumidos reddi: Cùm autẽ ob crassitiem, & naturam coctioni rebellem, naturæ illos humores difficiliùs possit attenuare, lien in duritiem vertitur; & tales sunt, qui splenici, siue lienosi dicuntur ab Hippoc. 4. de Morb. & à Gal. 9. de Comp. med. sec. loc. cap. 2. idq; etiã facilius accidit, cùm ob aquarum duritiem soleant alui sæpius esse adstrictæ.

Et ventres duri.) Per duros Alemenus inquit intelligi adstrictos propter copiam multam bilis excrementa resiccantis, aut propter flatuũ multitudinem: quasi verò bilis copia non potiùs apta sit laxem nimis aluũ reddere; qua ratione etiam canalis ille à fellea vesica intestino duodeno nõ procul à ieiuni principio à natura fuit inplantatus, vt depulsa in intestinis à vesicula bilis mordens, & irritans, intestin orum expultricem segniorem ad fæces excernendas stimulet, atq; incitet, simulque eo iam functa officio, inutilis, & excrementitia tandem extrà pellat. Duriores igitur ventres intelligit totum ventrem inferiorem ad tactum duriorẽ ob crudas aquas, & crassas diutius in iis partib. firmatas; cùm omnes in liene recipi nequeant, quib. tensiones in iis partibus fiunt, maximè cùm flatus etiam adsint.

Tenues.) Tenues appellat gracilles, & extenuatos deficiẽte sanguine nutritioni apto, ex quo carnes generantur: quomodo enim ex ometo, & circumiacentibus partibus sanguis ad nutritionem commodus poterit transmitti, si totus sua natura crassior, miniis per angustissimas illas venulas aptus est permeare.

Et calidi.) Certum est Hippoc. ventres calidos hic non ea caliditate intelligere, quæ naturalis est, mitis, & ad tactum suauis, in sanguine temperato, & spiritib. consistens, sed altero calore, qui acer est, insuauis, & mordex, & ad tactum igneus; cùm enim non probè sanguis in iecore ob crassitiem præparetur, & bilis sæpenumerò ad proprium locum non possit transmitti ob obstructis viis, sæpè etiam internorũ viscerũ fiunt obstructiones, vnde & putredo excitatur, & coctiones interrumbantur, & cibi in nidorosam qualitatem vesti corrumpuntur: vnde calida inrem peries semiputrido sanguine, & plus quã oportear calido per vniuersum fuso inducitur: hæc est caliditas, quæ in bibentibus aquas palustres in ventre persentitur.

Humeri autem & claucule, & facies attenuantur) Supernas partes, quas septum transuersum intersringuit omnes vsu aquarũ palustriũ contabescere scribit; & rationẽ subdit: (*in splenem enim colliquantur, vnde graciles euadunt*) per quæ verba meo

iudicio nihil aliud sibi voluit Hippoc. quàm 4. lib. de Locis in hom. part. 36. repetit, cùm dicit: fit magnus splen, cùm corpus atteouatur: ex iisdem enim splen florescit, ex quibus corpus eótabescit: qoibus verbis illud meo iudicio intelligit; quòd cùm malè ventriculi concoctrix facultas ex potu aquarum palustrium afficiatur, nec in secunda huiusmodi error corrigi valeat, cùm potiùs & iecoris concoctrix facultas eadé ratione vitietur, necesse est & chylum incoctũ parari, quo sæpe os madet, & sputio multa fit; sanguis etiam crassior efficitur, crudus tamen, qui cùm nó ita facilè & permeare corpus, & supernas partes petere possit, in atrophiam facilè partes illæ incidunt, & contabescunt, vnde colliquari dicunrur ob non subministratũ alimentum: qui sanguis crudior ad spleoem cùm deferatur, dicuntur in splené carnes colliquari, cùm potiùs tanquam ad locum determinatum ad hoc à natura, & tanquam ad imbecilliorem partem cruda, & crassa attrahantur: hoc aũt potissimum in humeris, clauicula, & facie obseruatur: quoniam quamuis cæteræ omnes partes malè nutriantor, & eadem atrophia laborét; nihilominoùs cùm ad spleoem tanta trásmittatur quantitas materię, necesse est ad crura, & pedes quandoq; eiusdem materiei portiooem transmitti; vnde nón graciles, sed potiùs prætumidi iis partibus conspiciuotur sępenumerò: & hoc est, quod in Prob. 5. primæ Sect. Aristot. quærebat, quamobrem tam qui vitioso cibo vescontur, quàm qui fame diutina laborant, pedibos intumescere soleanr. An vtrisq;, inquit, perrabem, & consumptionem illud accidit? Tabescunt enim, & qui esuriunt, quique oullum penitus alimentum capiunt, & qui vitiosè vescuntur, quia, quod assumpserunt, commodè perfrui nequeunt.

IV.

Εδωδὺς τε εἶναι τὺς τοιύτυς, καὶ διψηρύς.

Et edaces tales, & siticulosos esse par est.

Quomodo hic Hippoc. edaces, & siticulosos eos esse dicat, qui palustribus aquis pro quotidiano potu communiter vtuntur, quibusque splenes & magni, & turgidi esse solent, non vnam habet difficultatem. Primùm enim dubitari potest, quomodo edaces esse possint, si prę ternaturali, & aduentitio calore veotriculũ habent affectũm: siquidem potissimam non naturalis famis causam Galen. 3. de Sympt. causis in frigiditatem ventriculi refert: inter potissimas autem, & continentes causas, quibus fames impeditur, caloré recenset, qui solida corpora dissoluit, & ad attractionis munus reddit mioùs prompta. Præterea si lutulentæ sunt huiusmodi aquæ, quomodo ex eius potu veotriculus non vitiatur, & quasi lutulenta crusta non inducitur, vnde famem impediri necesse est? Accedit, quòd si siticulosi sunt, edaces esse nó possont, & econtrà, si vera est superior Hippoc. sententia, de iis, qui ventis septentrionalibus expositi sunt, quos dicit edaces esse, non auté bibaces: quòd non possit simul stare & multus cibus, & copiosa potio: idq; nos qootidiana experientia comperimus, qui dum hyeme multa ad famem sedandam ingerimus, minùs bibaces esse solemus, & econtrà, æstate, quo tempore multum potare solemus, minor fames solet excitari; nec immeritò, si famis, & sitis nó naturalis contrariæ omnino sunt causæ, cùm illa à multa ventriculi frigiditate, hæc à multa caliditate soleat excitari. Alemanus, vt fortasse has euitaret, hanc particulam interpretatur, quòd ij hyeme sint edaces, æstate siticulosi. Verùm an ad propositum ea sit, & an Hippocr. verbis consona, quicunque potest animaduertere, qoi verba Hippocr. diligenter legerit; neque enim vllam penes anni tempora huius sitis, & famis ponit differentiam, sed simpliciter tales, & edaces, & bibaces esse testatur. Præterea dictio τε dictioni διψηρύς addita omnem tollit controuersiam: si enim diuersis temporibus corpora iis passionibus affici intelligeret, non coniunctiua propositione vsus esset, sed disiunctiua; neque tamen etiamsi eo modo exponatur, Hippocr. difficultatibus propositis sit satis. Quare meo iudicio ita exponendus est Hippocr. edaces esse, & siticulosos qoocunque tempore; quamuis certum etiam mihi sit, penes dioersitatem illam temporum magis, minúsve augeri, aut minui. Edaces igitur sunt propter famem duplicem tum naturalem, tum præternaturalem: naturalis siquidem ea ratione adest, quòd cùm vniuersum corpus contabescat ex defectu boni sanguinis, solos autem lien copiosum ad se trahit humorem, necesse est sic mesentia membra ab hepate, quod pro eorum outritione aptũ sit exugere: quod cùm in parua admodum ea, quam diximus, ratione, quantitate fit, & iecur à ventriculo per attractionem exposcit; fuctus autem ille quid aliud est, quàm naturalis fames. Accedit etiam, quòd si vera est communis Galen. & cæterorum ferè omnium medicorum opinio à liene portionem quandam melancholici succi regurgitare, vt ad famem etiam stimulos aciditate sua addere possit, corrugatis ea qualitate internis ventriculi tunicis, necesse quoque est in iis haoc famem, & præteres præternaturalem, quòd terminos naturæ excedat, excitari. Siquidem prætumidi, & nimium turgeotes lienes facilè ad ventriculum illius humoris portionem transmittunt: id nos quotidiana docet experientia in melancholico morbo, quem hypochondriacum appellant, & in febrientibus quartana febre; qui qoandoque tam vehementi fame rentantur, vt vel io ipsius accessionis principio magnam ciborum copiam quãdoq; soleant ingurgitare.

Siticulosi autem, & bibaces sunt, ea ratione, quòd cùm ventres inferni duri, liquati, & calidi admodum sint, natura primùm, quod humidi deficit, appetit potu supplere: caliditas autem illa aduenticia, cùm interna ferè omnia membra occupet, putredinemque quasi secum inuehat, siticulosos efficere necesse est, vt superiùs ex Hippocr. sententia docuimus: is enim 6. Epid. Sect. 4. T. 15. percalidos natura refrigeratione, & aquæ potu indigere testatur: percalidos autem acrem caliditatem, & præternaturalem habentes intelligit. Quomodo igitur, vt difficultatibus tandem satisfaciamus, edaces dicit, si qui calido sunt ventre, tantum abest, vt famelicaot, vt potiùs contraria affectione laborent, vt Galeno placuit. An ventriculus horum frigidus est, reliqua autem viscera calidiora? per ventres enim duros, & calidos, non ventriculum exposuimus superiùs, sed ventrem inferiorem, intestina, lienem, hepar, & alia complectentem: nec certè ab re: cùm ventriculus ex continuo harum aquarum potu in frigidam naturam, & temperaturam consetuetur: reliqua autem viscera ob eas, quas diximus, causas, calida præter naturam efficiantur. Potest igitur fames esse in huiusmodi corporis habitudine: Aquarum autem fæculentia non auferr famem: siquidem fæx omnis, & lutulenta materia à iecore attracta, tandem totali lieni relinquitur, vnde postea aciditate quadam contracta, & ventriculo impartita, iterum famem excitat. Hippocrates autem à nobis superiùs exposita sententia, qua quempiam & edacem, & bibacem simul esse non posse dicebat, nobis non aduersatur, si ita exponatur, vt à nobis factum est superiùs: quamuis enim naturalis fames magna, & multa comestio esse non possit, cum multa siti naturali, & multa potatione (de his enim eo loci locutum Hippocr. ibi docuimus) præternaturalis tamen fames, & sitis, aut vna naturalis, altera præter naturam simul esse possunt: id quartana febre laborantes possunt ingenuè attestari, qui in accessionibus tanta quandoque fame laborant, vt ex ea aliquos in animi deliquium incidere viderimus, quos etiam ob maximum febris incendium maxima etiam siti laborare obseruauimus: illius quidem causa erat melâcholicus succus internas ventriculi tunicas aciditate corrugans, posterioris autem febrilis caliditaa: neque igitur sibi ipsi, neque rationi repugnat hæc Hippocr. quam in præsentia explicauimus, sententia.

V.

Τάς τε κοιλίας ξηροτάτας τε καὶ τὰς ἄνω, καὶ τὰς κάτω ἔχειν, ὥστε τῶν φαρμάκων ἰσχυροτέρων δεῖσθαι. τοῦτο μὲν τὸ νόσημα αὐτοῖσι ξυντροφόν ἐστι καὶ θέρεος καὶ χειμῶνος.

Et ventres siccissimos tum suprà, tum infrà habere, vt & medicamentis validioribus opus habeant: atque quidem hoc vitium tum æstate, tum hyeme est familiare.

Quid per τὰς κοιλίας intelligi oporteat, vbi cum dictionibus ἄνω & κάτω coniungatur, satis superque superiori lib. docuimus: diximus enim sæpenumerò illis additis particulis per superiorem ventrem significari partem cauam supra diaphtagma, in qua spiritualia membra côtinentur, per inferiorem autem reliquam infrâ thoracem corporis vsq; ad pubem portionem: Aliquando autem per superiorem, ventriculum, per inferiorem, aluum intelligere docuimus: in qua significatione posteriori Hippoc. hoc loco sumpsisse crediderim: cùm enim statim adeò adstrictos ventres hos vitiosos & siccos esse doceat, vt medicamentis euacuantibus validioribus opus sit, ad eos euacuandos, nobis ostendit se per ventrem supra ventriculum, qui vomitoriis, per infernam aluum, qui deiectoriis medicamentis euacuati solent, intellexisse. Vnde satis Alemanum expositorem hoc loco mirari non possum, qui in prima expositione per ventres superiores thoracem intelligit, qui tamen medicamentis purgantibus per vomitum euacuari non possit; sed in progressu illius Comment. multò magis est reprehendendus, cùm dictionem ξηροτάτας, oculis quasi clausis Cornarium secutus interpretatus sit calidissimos, atque ita exponit, quòd ventres cùm duri, & calidi sint, mordaci illa, & præternaturali caliditate, & has partes magis incalescere necesse sit. Quasi verò non sit manifestû dictionem illam siccissimos interpretandâ esse: cùm nusquam reperiam apud Græcum vllû scriptorem siue antiquiorem, siue recentiorem ξηρὸς pro calido vsurpari. Præterea cùm iam superiùs dixisset ventres duros esse tenues, & calidos, non erat, quòd hoc loco immediatè iterum repereret ventres & supernos, & infernos esse calidissimos: Adde quòd ea, quæ sequuntur, omnino nô admittunt huiusmodi versionem: non enim, q, ventres calidissimi sint, sequitur vtendum esse medicamentis validioribus. Vertendum igitur est per τὰς κοιλίας ξηροτάτας, ventres siccissimos: nec quidê abs re: cùm aquæ huiusmodi tardi sint trâsitus, & diutius circa præcordia adhærescant iis infrigidatis partib. siccissimos ventres, id est, adstrictos admodû (sic enim & Celsus interpretatur) reddi necesse est: quinimò & ea, quę excerni solent, dura sunt, & ad euacuandum contumacia: docuimus enim iam vniuersum corpus côrabescere, & exiccari iis, qui huiusmodi aquas bibunt, ita vt in lienê colliquari dicatur; vnde venter pro sui alimento cùm non satis habeat, vnde assumat, humidiores partes ad se trahit, quò fit, vt fæces diutius in corpore retineantur, vt si quid boni remaneat, exugatur; qua ratione fæces durissimæ, & siccissimæ redduntur.

Accedit, hæc autem & superno, & inferno exic A cando commuois est causa) quòd cùm bilis stimulus quidam sit tum ad infernam deiectionem, tum etiam ad expulsionem per vomitū, & in iis nō multum prædominetur, sed potiùs humor melancholicus, qui siccissimus est, & retentrici potiùs facultati inseruit, efficitur, vt ad euacuationem minùs prompti reddantur. Scimus enim austera omnia adstringentem, & exiccantem facultatem habere: melancholicū verò succum huiusmodi sapore esse prædictum B docet Galenus 1. in primum lib. de Morb. Vulg. C. j. & 2. Sect. Aphoris. 21. Cùm igitur tanta in iis melancholici succi copia aggregetur, qui & ad ventriculum ex parte demandatur, & ad intestina transmittitur, necesse est & suprà per vomitum, & infrà per deiectiooem excrementa difficilimè posse excerni.

Vt & medicamentis validioribus opus habeāt] Quod ea ratione fit, quòd & natura sua non satis ad euacuationem aptus sit humor is, tum præterea C quòd à principali sede longiùs distet; postremoq; quòd docuerit Galeous 2. de Arte curat. ad Glauc. cap. 5. fortissima medicamēta, & extrinsecus adhibita, & internè assumpta facilè splenem tolerare. Quòd si quis obiiciat in melancholico succo euacuando placidè, & leniter admodum esse agendum, communem esse omnium medicorum opinionem: is etiam sciat in vniuerso superfluente huiusmodi materia melancholica leniter omnino esse agendum: at vbi iam à natura segregata est, aut transmissa ad D locum determinatum, paratis viis, attenuatoq; humore posse nos validioribus medicamētis, iis potissimum, quæ ad splenem proprietatem habent determinatam, humores euacuare. Et hoc est, quod medicinæ parens Hippocr. 2. de Morb. par. 60. docebat iis verbis: Spleneticum ne purges, neq; succis, neq; lacte, neq; sero, sed eo, quod modicum ingestum multum educet, purgabis: neq; enim in repleto adeò liene ex- E pedit largam medicamenti potionem propinare: sed valentioribus agendum, quorum leuis portio potest, id quod expetimus, euacuare. Neque enim ita hæc sententia intelligenda est, vt medicamento vno validissimo exhibito tentemus totam materiam euacuare: certum enim est virium, vt plurimum in iis esse imbecillitatem ob strophiam, & cacochymiā: quàuis enim si in principio morbi fuerimus, possimus valido medicamento in multa satis quan- F titate vti, vbi tamen morbus progressus fuerit, & vires imbecilliores redditæ fiot, validioribus quidem erit agendum, sed diminuta quantitate, vt ad præstitutum locum peruenire, & determinatum humorem possimus euacuare, citra tamen multam virium deiectionem.

Et quidem hoc vitium tum æstate, tum hyemè est familiare.] Cùm in præsentia non de morbis agat, sed de siccitate, siue alui adstrictione, dictionē ,νόσημα nō vertimus morbum, sed vitium, quod familiare est iis qui aquas palostres bibūt, non modò hyeme, sed etiam æstate: cùm enim semper vigeat causa siccitatis, eundem quoque effectum semper vigere oportet.

VI.

Πρὸς δὲ τούτοισιν οἱ ὕδρωπες τε καὶ πλεῖστοι γίνονται, καὶ θανατωδέστατοι.

Ad hæc autem iis etiam hydropes plurimi generantur, & lethalissimi.

Si pars altera alteri transmittit humores, vbi plus, quàm oportet, humoris susceperit, ita vt continere amplius nequeat, cæteris adiacentibus transfundi necesse est. Lien igitur ob spongiosam naturam à ventre, & adiacentibus partibus indomitas & fæculentas aquas, vbi ad se traxerit, aut transmissas receperit, in tumorē eleuatur, & repletur: vbi verò amplius recipere non valet, distributo humore, & diffuso corpori, & potissimum adiacentibus partibus fit hydrops. Quamuis verò ex tribus hydropis speciebus, & quæ tympanitis dicitur, & quæ anasarca, quandoq; possit in iis produci, frequentior tamen esse solet ascites, quæ & ex aqua fit, & ex liene potissimum læso, abdominiq; propriam materiam commuoicante: cùm eoim adeò repletur lien, ceu rimis quibusdam dehiscere videtur, & eius ambiēs membrana rimis quibusdam factis disrumpi: vnde aquosus humor amplius contineri non potest: vnde sensim quasi ex nimium repleta spongia stillabit ad vacuum abdominis spacium, tanquam per occultos cuniculos sibi viam parans: illud tamen semper intelligimus in consensum tractū esse etiam hepar; cùm quinto de Locis Patientibus Galenus manifestè ostendat nullam hydropem eo bene valente fieri.

Et lethalissimi] Cùm non satis inter se conueniant, & antiqui, & recentiores medici, quænā ex tribus hydropis speciebus tympanite, ascite, & anasarca deterior, curatuq; difficilima sit, non satis erit facile intelligere, quid per lethalissimos hydropes hoc loco intelligat. Auer. enim 3. Collect. cap. 21. tympanitem multò omnium lethalissimam esse testatur. Alij & magni quidem nominis viri id hyposarcæ tribuunt, quòd non modò iecoris facultas concoctrix læsa in hoc affecta sit, sed etiam carnosarum partium omnium, id asserente Gal. 4. de Ratione vict. in morbis acut. at in hydrope aquosa, non partium omnium, sed iecoris solùm læsa est facultas concoctrix. Præterea, inquiunt, ascitie fit ex materia, quæ in venis inclusa est quadam colliquatione, & resolutione in tenuem, serosumq; liquorem; at sine calore hæc fieri minimè possunt; anasarca autem omnem auferr calid itatem. Crediderim tamen ipse omnium pessimam esse ascitem: quòd enim tympanite deterior sit, vel illud facit manifestum, quod Galenus docuit 4. Aphoris. 11. vbi tympaniten vi-

tio

tio ventriculi potissimum, illam autem iecino ris fieri asserit. Præterea in flatus generatione non vsqueadeo diminutus est naturalis calor, vt in aquæ productione. Quòd verò etiam anasarca deterior sit, inde ipse colligo; quòd, etsi in hac pluribus corporis partibus virium commu nicetur, minor tamen in hac eadem est intemperies, siquidem in illa vniuersum corpus pituita, pituitosoq; sanguine redundat, qui, etsi perfectè coctus non sit, suscepit tamen concoctionis initium, nec toto genere est præter na- B turam, cùm possit ad benignum reduci, si calor naturalis vigeret. At contrà in ascite tenuis, & aquosissimus humor est, qui toto genere à cocto humore distat, nec vlla ratione coctionem admittit: cuius etiam sententiæ fcimus fuisse Auicen. lib. 3. Fen. 14. Tract. 4. cap. 4. sed quod hac in re omnem meo iudicio tollit difficultatem, est Hippoc. hoc loco, qui lethalissimos hy dropes eos esse testatur, qui generantur ex potu aquarum palustrium, quos experientia do- C cet esse ascites: videmus enim id in iis locis, in quibus ob multas vndique confluentes aquas oryzę multa copia seri solet: horum enim inco læ cùm crassiores aquas crudas, & ꝗ asi palustres assiduè bibant, in magnos lienes incidũt, & quàm plures eorum post tumorem lienis hy drope ascite corripiuntur, transfusa aqua fæcu lenta à liene ad peritonæum: quæ mus nonnũquam tractu temporis anasarca succedat. Accedit, quòd cùm hic lethalissimum dicat hydro- D pem, qui fit ex splenis tumore, certum erit de ascite ipsum intelligere: siquidem hyposarca, aut concoctrice carniũ facultate imbecilli reddita sola, aut iecore priùs affecto, transmittenteque ad carnosas partes pituitosum sanguinẽ, efficitur, si Galeno credimus lib. de Sympt. cau sis: vbi tamẽ nunquam docuit affecto liene hyposarcam fieri. An potiùs dicendum erit dictio nem [*lethalissimi*] esse referendam ad velocitatẽ mortis, quę inducitur, quàm ad facilitatem, vel E difficultatem curationis: cùm vnaquęq; hydro pis species, vbi confirmata sit, & diuturnam ali quam causam habuerit, curatu difficilima sit: il ludque etiam magis persuadet hoc modo intel ligendum esse Hippocr. nempe de omni hydro pe, quòd in sequenti particula doceat ex dysen teriis, diuturnis alui profluuiis, & quartanis fe bribus, quæ iis accidunt sæpe, hydropes sequi: ij verò cuiuscunq; speciei esse possunt; vt quotidiana nos docet experientia. F

VII.

Τοῦ γὰρ θέρεος δυσεντερίαι τε πολλαὶ ἐμπίπτουσι, καὶ διάῤῥοιαι, καὶ πυρετοί τε τεταρταῖοι πολυχρόνιοι. ταῦτα δὲ τὰ νοσεύματα μηκυνθέντα, τὰς τοιαύτας φύσιας ἐς ὕδρωπας καθίστησι, καὶ ἀποκτείνει. ταῦτα μὲν αὐτέοισι τοῦ θέρεος γίνεται.

Aestate enim dysenteriæ multæ accidunt, & alui profluuia, & quartanæ febres diuturnæ: hi autem morbi producti huiusmodi naturas ad hydropas deducunt, & occidunt: & hi quidem morbi ipsis æstate fiunt.

Cùm dysenteria sit intestinorum exulceratio cum fluxu materiæ, in iis, qui palustres aquas bibunt, facilè eam excitari posse verisimile maximè est: siquidem cùm à corrodente, & acri materia fieri soleat, & æstate calor præter naturam adaugeatur, bilis autem supra modũ crescat, maiorque copia earum aquarum assumatur, quæ etiam maiorem putredinem ex actione Solis contraxerunt, & quandam salsedinem, liene iam repleto, alibi materiam transfundi necesse est; cumq; grauis sit, ad intestina transfunditur, atque excitatur dysenteria, quæ quamuis, vbi mediocris sit, lienosis ex vsu esse soleat, vt docet 6. Aphor. 48. Hippocr. quæ tamen si diuturnior fuerit, ac vehemens, mortem secum adducit, vt docuit eodem lib. Gal. Com ment. 48. hæc eadem est ratio, cur eodem tempore diarrhϵæ contingant. Vbi enim non adeò acris fuerit materia, quæ ad intestina transmittitur, simplex alui profluuium excitatur: Solẽt aũt, cum ratione sui, tum ratione affectus insequentis in hoc statu esse malignæ: nam quamuis, vbi parum perdurent, ex vsu esse soleant, & à morbo lienem liberare, hoc tamen solùm euenit, vbi morbus in liene habitum non contraxit: at in iis, qui in potum consuetum aquas stagnantes assumunt, lienis morbus habitum iam cõtraxit, vnde necesse est profluuia huiusmodi esse motus symptomaticos naturæ laborantis, nec amplius materiam retinere valẽtis, vnde etiã lethalia sunt, quia diuturna, & quia inde hydropes generantur, imbecilli loti reddita iecoris sanguificatrice facultate.

[*Et quartanæ febres diuturnæ*] Cùm materia fæculenta, & melãcholica exuperet, & lien affectus sit, ex quarum rerũ occasione quartanæ febres solent excitari, quid mirum, si ex palustrium aquarum potatione, & vsu quotidiano febres quartanæ producuntur? id verò æstate potissimum; cum ratione temporis anni, calor præter naturam augeatur, qui agen ris vices gerẽs, humores & magis adurit, & in putredinosam qua litatem vertit. Huiusmodi igitur morbi per æstatem iis, qui palustres, & stagnantes aquas bi bũt, euenire solent, ex natura sua mali, sed mul rò deteriores, ita vt mortem inducant, eò quòd vbi diutius perdurent, ad hydropas homines ducũt, ad quos necessariò tunc mors sequitur, vt de dysenteria docet Hippocr. loco citato 6. Aphor. 43. & Galenus ibidem: Sicut etiam ad quartanas diuturnas hydropem sequi, & subinde mortem, auctor est Auicen. prima Fen quarti T. II. cap. 61. & hoc est, quod dixit Hippocr. hic [*hi autem morbi producti huiusmodi naturas ad hydropas deducunt, & occidunt*] quod etiam quotidiana experientia, & ratione facilè quilibet potest cognoscere: dysenteria enim, aut alui proflu-

uio diutius perdurante, aut quartana, necesse est iecinoris concoctricem facultatem imbecilliorem reddi, diminuto calore naturali, atq; spiritibus, qui proxima facultatum instrumenta sunt, exinanitis. Vnde fit, vt sanguis, qui alioqui primò passum commodè generabatur ob aquarum malitiam omnibus ferè cibis admixtam, omnino iam crudus, & serosus reddatur: Cùm verò serosa hæc, atq; fæculenta portio extrà corpus pelli nequeat tota, sed à liene potissimum attrahatur, nec tota possit in eo contineri, defluit sensim ita, vt tractu temporis spacium illud inter membranam peritonæum appellatam, & intestina impleat, & instar vtris aqua pleni, & vento, pretumidum esse videatur.

VIII.

Τῷ δὲ χειμῶνος τοῖς νεωτέροισι μὲν περιπνευμονίας τε καὶ μανιώδη νοσήματα.

Hyeme verò iunioribus quidem, & peripneumoniæ, & furores morbi.

Ex aquarũ cruditate, crassitie, ac summa frigiditate aluos adstrictas reddi, vnde postea acuti morbi, pleuritides, ardentes febres, & id genus alij producuntur, docuimus iam ex Hipp. sententia: quid igitur mirũ, si in iis, qui stagnantea, palustresque aquas bibunt hyeme, dum vigent ætate, pulmoniæ accidunt? siquidem tem poris ratione, & ob aquas huiusmodi epotas corpus multa pituita refertum esse oportet: verùm ratione ætatis, & caloris ob ambientis frigiditatem ad interna reuocati necesse etiã est, & bili admixtam esse pituitam, aut saltem salsedinem contrahere, ea autem vbi aut ob repletum oimis lienem regurgitauerit, ad reliquasq; partes corporis transfundatur, aut à capite deorsum ad pulmones feratur, oportet & excalefieri, & inde putredinem concipere, à quibus causis pulmoniã fieri docuit Galenus 2. de Locis Patientib. cap. 9. & 6. Aphoris. 33. dicebat enim pulmonem aptum natura esse, cùm raræ, & laxæ substantiæ particeps sit, ad omnes humores suscipiendos: quamuis lib. 4. de Caus. pulsuum, cap. 12. de pulsu peripneumonicorũ agens, fateatur pulmonẽ, cùm laxus sit, & mollis, fistulisq; inanibus vndiq; refertus, à pituito sioti, atque crassiori sanguine inflammari, cùm subtilis, biliosusque fluat ferè, nec cum viscere vlla ratione cohærescere possit: Et Hippocr. à quo cęteros omnes medicos desumpsisse verisimile est, id ipsum manifestè tradidit: lib. enim 1. de Morb. habet hæc verba: Peripneumonia fit, cùm commota, & calefacta pituita, & bile, pulmo præ caliditate traxerit in seipsum de vicinis locis ad ea, quæ iam sunt in ipso: Et percalescit quidem totum corpus, & dolorem exhibet, maximè autem dorso & costis, & humeris, & spinæ, &c. sequitur: Postquam autem attraxit in seipsum, tum bilis, tum pituita sedem in pulmone occupauit, putrescit, & suppuratur, &c. sed quomodo hoc potiùs senibus non attribuit, in quibus & pituita magis abundat, & alui adstrictæ sunt magis? An forsasse quòd non pituitæ modò copia, sed & calor præter naturam acer, & magis copiosus requiritur, vt hic morbus fiat; qui in iuuioribus hyemis tempore ob angustiores cutis poros redditos, & ob propriam naturam maior esse solet. Accedit, quòd præterea omnem tollit difficultatem, quòd pulmonum caro in senibus durior, minusq; ad suscipiendas contrarias impressiones idoneà est. At in iuuioribus mollior, calidior, & magis fungosa est.

Καὶ μανιώδη νοσήματα] Furores vertimus, vt proprium magis maniæ significatũ Latino nomine, significaremus, cùm insania teste Corn. Celso lib. 3. cap. 18. commune sit genus ad omnia delirij genera: Verùm nec hoc maniæ nomen vnum apud Hippoc. Galen. & cæteros Græcos scriptores habet significatum; si enim propriè assumatur, est magna mẽtis alienatio læsa imaginatione vt plurimum, & ratione, quomodo definiuit ipsam Aurelianus primo lib. Chronicarum passionum, cap. 5. & ante eum doctus Aretæus Cappadox primo Chronic. Pas. cap. 6. vbi etiam dicit, quòd etiamsi febris coniugatur quandoq; maniæ, non impedit quò minùs addam* in desinitione, sine febre, vt à phrenitide, & paraphrenitide distinguatur, quòd tunc nõ à læsa particula febris producatur, sed aliunde assumpta occasione: distinguitq; à delitio, quod sæpenumerò in senio iam confectis conspicitur, quòd id potiùs sit mentis quędam ignauia, & torpor, marcórve à frigida potiùs causa, quàm verus furor, qui semper calidam, acremq; causam est sortitus: hoc proprium esse maniæ significatum docuit Galen. 2. de Symp. Caus. cap. 7. vnde lib. 1. Prorrhet. Comment. 1. μαίνεσθαι (inquit) siquidem furore omnes homines dicunt eos, qui desipiunt citra febrẽ; φρενιτικοὺς verò, qui cum febre id patiuntur; intelligitur autem cum continuitate delirij, propter deliria, quæ in acutarum febriũ vigoribus accidunt. Et lib. 3. de Morb. Vulg. Section. 3. vbi dicit Hippoc. nec phreneticorum vllus valdè insaniuit: ibi Hippocr. hoc verbo ἐξεμάνη vtitur: quod explicans in Comment. Galen. dicit, in hoc enim solo, quod continuè insit cum febre phrenitim intelligimus, nullo alio à mania differente, prǽterquàm febre: quod etiam tertio de Locis Patientib. cap. 5. repetit: Fit autem à calida, & mordaci humore cerebri substantiam imbuente, qualis est atra bilis, maximè autem ea, quæ ex flauæ bilis adustione generatur: ex qua ferociùs, quàm ex alia atræ bilis specie furere solent manisci; vnde Paulus lib. 3. cap. 14. dicebat: si quando verò perassata plus æquo flaua bile in atram facta iam fuerit permutatio, maniam afferre assolet, in qua ferociùs, quàm in melancholia ferociunt: maior igitur, & minor est furor pro varia humoris caliditate: licet enim

enim absit febris, humor tamen aliàs calidior, aliàs minùs esse solet: nam bilis atræ materia, seu verè atra sit, seu in confinio, vel flaua bilis est, vel crassus, & præruber sanguis, vel melancholicus succus, qui, dum aduritur, præter naturam redditur, & in confinio atræ bilis: in illo autem tractu, in quo ad atram tendit, terreæ portionis mole adhuc frigidus est: ratione tamen partium exustarum caloris extranei non expers redditur, qualis est in cinere, & aceto, quia dum aduritur, vt nunquam amittit propriam qualitatem, ita pro vstionis magnitudine habet, veluti ἐμπύρευμα quoddam coniunctum: vbi autem intra corpus post moram corrumpitur, aut per febrem exuritur, & putret, venenatæ qualitatis fit particeps, iamq; propriè atra est, quæ extraneo calore acerrima terram fermentat, acidũ fœtet, exulcerat membris adhærens, & denique lethalis est. Ex iis igitur varij gradus maniæ existunt penes maiorem, minorémve humoris atri caliditatem ex materia, & agente, ex qua, & à quo producitur, desumptam. Meritò igitur ab Alex. Tralliano lib. primo, cap. 17. dictum est, phreniridis, vel melancholiæ morbi intensionem ad maiorem ferociam esse maniam. In maniacis itaque propriè dictis calore extraneo, & humoris adusti acrimonia vellicatur cerebrum, spiritus variè agitantur, spectra horrenda mentem irritant, vt ferarum modo in eos insiliant, qui imprudentiùs ipsis occurrunt, vixque vinculis contineri possunt. Sumitur præterea quandoque maniæ nomen pro quacunque mentis concitatione, puta phrenitide cum febre acuta, quemadmodum primo Prognost. textu Comment. 17. cùm stridorem dentibus in febribus, quibuscunque id non est consuetum à natura, maniam significare, & mortem scribit: & Galenus in Comment. scribit, dixisse maniam quasi mentis vehementem commotionem: & eodem libro 23. ex pulsu in pręcordiis, & crebro oculorum motu maniam significari ait, & Galenus in Comment. non simpliciter ex illis signis delirium significari scribit, sed maniam, siue furorem vehemens quoddam delirium significans. Sumitur præterea mania pro delirio sine febre ab humore frigido apud Hippocr. 6. Aphorismorum 21. vbi dicit: maniacis varices, & hæmorrhoides excitatæ, solutionem. Galenus exponit non veram maniam intelligere, sed eum potiùs morbum, qui μελαγχολία dicitur: qua etiam in re secutus est eum Philotheus Aphoris. Hippocr. commentator non pœnitendus. Postremò quamuis rariùs id obseruatum sit, mania significat etiam fatuitatem, & stultitiam, quæ ab humore pituitoso in senibus iam senio confectis solet sæpenumerò obseruari, quemadmodum videre licet apud Hippocr. lib. de Insania: maniæ enim speciem quandam affert, quæ à phlegmate est, in qua quieti viuunt, non vociferantur, neq; tumultuantur, cùm alioqui verã, & propriam maniam nunquã à pituita ortũ habere posse docuerit Galenus lib. 6. Aphoris. 56. His igitur sic stantibus, certum est hoc loco per maniam non intelligere, aut eam, quæ à pituita, aut à melancholia; siquidem non iuniorum propriam esse diceret, sed potiùs senum, in qua ætate & pituita, & melancholicus succus magis abundat, neq; eam, quæ cum febre, siquidẽ eam à febre è directo contradistinguit, acutas febres senibus attribuens. De vero igitur furore loquitur, qui in iunioribus maximè excitatur, ob acriorem humorem, & magis mordacẽ, & adustũ in eis exuberantem: potiùs autem id hyeme accidit, quòd cõstipatis, & externis poris ob ambientem, & internis canalibus adstrictis ob aquarum frigidarum vsum continuum maiores bilis atrę in autumno, & hyeme aggregatæ adustiones aucto pręternaturali calore fieri solent, maximè cùm & alui adstrictæ sint: id verò senibus non ita facilè accidit ob calorem non adeò mordacem, nec adurentem.

IX.

Τοῖσι δὲ πρεσβυτέροισι καῦσοι διὰ τὴν τῆς κοιλίης σκληρότητα.

Senioribus verò febres ardentes propter ventris duritiem.

Cùm Aphor. 14. primæ Sect. Aphor. docuerit Hippoc. senes nõ similiter acutis febribus corripi, vt iuuenes, quòd eorum corpus frigidum sit; nisi quid per ardentes febres hoc loco intelligat Hippocr. diligenter considerauerimus, & quid per seniores; non ita erit facilè intelligere, quomodo senioribus potiùs ardẽtes febres attribuat, quàm iunioribus. Ardens febris, vt nunc ardentes pestilentes omittamus, de quibus Hippoc. 3. Sect. 3. lib. de Morb. vulg. locut⁹ est, duplex est apud Hippoc. 4. de Rat. vict. in acutis T. & C. 13. & 17. quamuis enim καῦσος, ab ardore dicatur, quòd in ea magnus calor ostendatur, & ipsa febris maiori ardore, quàm in reliquis infestet ægrum, magis tamen, & minùs ardere obseruatum est ab Hippocr. & Gal. penes materiã, ex qua oritur illa febris: alia enim est à bile, & alia à pituita salsa: de prima locutus est in prin. 4. Sect. lib. de Rat. vict. in acut. cùm inquit: causus fit, cùm venulæ æstiuo tẽpore exiccatæ, acres, & biliosos ichores ad se traxerint, in qua & vehemens est caliditas, & totius corporis quasi confractio, lingua arida, sicca, & valdè nigra, &c. Vnde & Gal. 3. de Morb. vulg. Sect. 2. Comm. 20. à calore venarum, & viscerum aucto potiùs, quàm ab excrementorum retentione fieri dicit: de altero genere causi locutus est eiusdem lib. part. 13. cùm dicit; causi genus est alterum, in quo aluus soluitur, sitis magna, lingua aspera, sicca, salsa: hanc spuriam, & notham vocat Galenus, quòd nõ omnia pathognomonica signa habeat: neq; enim ea laborantes, ita calore flagrant. Per seniores etiam tria possum⁹ intelligere: vnum, vt non solùm eos, qui ad se-

H

nectutem peruenerunt, sed etiã viros, & iunioribus, de quibus iam locutus est, natu maiores intelligat; secundum, eos solùm, qui ad senectutis terminos peruenerũt, intelligamus; postremum, vt senio iam confectos exponamus. His positis dicimus de postremis senib. intelligere non posse, quòd raro admodum ardente febre cuiuscunq; tandẽ sit generis corripiantur, quia frigidissimum est eorum corpus. Poterimus igitur intelligere, aut grãdiores ætate, quàm iuuenes, sicq; per ardentes febres genus quodcũque causi intelligere poterimus; quòd in iis & præternaturalis calor validior esse possit, & naturalis paulatim decrescat: vnde in iuuenibus cùm melior fiat concoctio, & bilis multa aggregata faciliùs expellatur, quòd non ita adstrictas aluos habeant, vt senes, vt docent Hippocr. & Galenus 2. Aphor. 59. nec cutim adeò condensatam, & ad transpirandum ineptam, non ita facilè causi generibus corripiuntur. Præstat tamẽ hoc loco secundum genus senum intelligere, in quibus facilimè species illa febris ardentis, quæ spuria est, quæq; à salsa pituita oritur, excitari potest: adstrictam enim aluum habent ex natura ætatis, & duriorem, minusq; transpirabilem cutim, vt ex Hippoc. & Gal. sententia docuimus, tum & ratione temporis, sed quod maximum est, etiam ratione crudarũ, & lacustriũ aquarum, ex quibus aluos adstrictas reddi iam docuimus. Quapropter cùm ratione ætatis, & aquarum crudarum pituita aggregetur, ratione autem temporis æstiui bilis generetur, cũq; constipati sint pori cutanei, & interni canales, per quos ad aluum fluere solet, putredinem in aquoso, & pituitoso illo salso humore excitari facilè posse fit verisimile, vnde febres ardentes spuriæ excitantur, quæ plerunq; ad interitum ducant. Quod in iunioribus non æquè facilè accidit, quòd nec alui adeò adstrictæ sint, nec facultas concoctrix, & aliæ naturales operationes adeò imbecillæ redditæ sint; nec præterea æras ferat tantam pituitæ generationẽ; nec externa corporis superficies adeò constipata, vt in senibus esse solet.

X.

Τῇσι δὲ γυναιξὶν οἰδήματα ἐγγίνεται, καὶ φλέγμα λευκὸν, καὶ ἐν γαστρὶ ἴσχουσι μόλις, καὶ τίκτουσι χαλεπῶς. μεγάλα τε τὰ ἔμβρυα, καὶ οἰδέοντα. ἔπειτα ἐν τῇσι τροφῇσι φθινώδεά τε καὶ πονηρὰ γίγνεται. ἥ τε κάθαρσις τῇσι γυναιξὶν οὐκ ἐπιγίνεται χρηστὴ μετὰ τὸν τόκον.

Mulieribus autem œdemata oboriuntur, & pituita alba, & in ventre vix concipiunt, & difficulter pariunt, & fœtus magni, & tumidi; deinde ex alimento tabescentes, & deprauati fiunt: & purgatio in mulieribus post partũ commoda non contingit.

Prosequitur etiam hoc loco morbos mulierum hyeme consuetos iis, quæ palustres, & lacustres aquas bibunt, & œdemata illis sæpius euenire scribit. Quid verò per œdemata intelligat hoc loco Hippoc. non ita est facilè inuenire; dicebat enim Gal. 4. Aphor. 34. hoc nomine semper apud antiquos medicos, potissimũ autem apud Hippocr. genus quodcunq; tumoris intelligi, vt in Aphoris. iam citato; Si a febre occupato οἰδήματος tumore non existente in faucibus, suffocatio de repente contingat, lethale est: in quo loco Gal. dicit priscos per œdema idem significare quod & per tumorem; licet iuniores tumores sine dolore, & molles οἰδήματα particulariter appellẽt: vbi Leonicenus per œdemata inflationẽ vertit: cùm nomen hoc commune sit ad alios flatuosos tumores, & ad speciem, verum nempe œdema: & lib. 5. Aphoris. 65. Hippocr. cùm dicit, quibus œdemata tumores in vlceribus, &c. Galenus iterum dicit, omnes præter naturam tumores œdemata appellasse antiquos, inter quos etiam inflammationes continentur. Quod etiam repetit 3. de Officina med. 30. Galen. igitur æuo, & posteriorum œdema mollem, indolorosum, & laxũ tumorem ostendit, & digitis prementibus cedentẽ: vt videre licet tũ citatis locis, tum 1. Prognost. 30. vbi etiam notare oportet Hippocr. in eo. T. cùm dicit: œdemata mollia sine dolore, & quæ digitis prementibus cedant, &c. addidisse, vt cõtrà distingueret ab œdemate duriore, quem phlegmonem, siue inflammationem vocam⁹. Is verò tumor, qui apud recentiores œdema ꝓprie dicitur, duplex est apud etiam Galen. 2. ad Glauc. c. 3. alter est morbus, qui ex pituita alba, satis tenui, necnõ aquosa, & lubrica præsertim in carne, & prope cutim iecoris instar in lanis, & spõgiis infusi originem ducit: alter verò est, symptoma alium morbum insequens, puta hydropem, φθόην, cachexiam, suppressionem mensium, & huiusmodi, tum etiam grauiditatem, q non pituitam semper, sed vaporosum spiritum causam habet; qualis in cadaueribus euenit, vt docet Gal. 14. Meth. med. c. 7. cuius rursum flatuosi spiritus non magis pituita, quàm atrabiliarius humor, vitiosus sanguis, aut serosa superfluitas materia esse potest: morbos .n. aliquando sequitur, in quibus defectus potiùs pituitæ existit; vt videre licet in phthisi, cùm ꝓpe mortem ægros deduxit. Is verò simplex aliquando est, vt in tympanite, & ascite laborantium pedibus cernere licet, in quibus œdemata cõspiciuntur, quæ vaporosa sunt, carẽtq; vt plurimũ pituita alba: aliquando compositũ, vt cùm iidẽ tumores in pedibus eorũ oboriũtur, qui anasarca laborãt, quã albam pituitam vocat Hipp. vt docet Gal. 14. Meth. med. c. 4. Hæc igitur cùm ita sint, Hipp. hoc loco per œdemata meo iudicio nõ genus omne tumorũ intelligit, sed illas solùm species, quas sub proprio œdematis nomine apud recentiores comprehẽdi diximus: quò fit, vt quamuis apud Hipp. œdema vt plurimum generale quoddã nomẽ ad omnes tumores

res significet, aliquando tamen & ipse particularem hanc œdematis significationem cognouisse credã: quod enim hoc loco per œdema solùm eas species, q̃ vel ab alba pituita tenui inbibita in parte, aut a vaporoso spiritu, & crassiori per carnẽ transfuso generatur, intelligat, manifestum nobis faciũt, quæ immediatè subiungit [*& alba pituita*] harũ enim specierũ anasarca comes sæpissime esse solet: tum præterea, quę horum affectuũ causæ esse solent: cùm .n. crassiorũ alimentorũ vsu, & fęculentarũ aquarũ potione multa materia pituitosa in vniuerso generet, facilè rumores ij œdematosi poterunt generari, cùm præterea lien intumescat, & grandior fiat, nõ aliter, quàm in hydrope, aut cachexia pedes in œdematosum tumorem eliquabũtur: q̃d iam ex Gal. sententia docuimus, & quotidiana nos id docet experientia, potissimũ cùm & cachexia, & hydropes ex huiusmodi aquarũ potione oriãtur: harũ verò comites œdematosos tumores esse diximus. Hic igitur ea intellexit œdemata Hippocr. quæ 1. Prognost. 30. ab eo descripta sunt. Sequitur & inquit [*ϰαὶ φλέγμα λευκόν. Et pituita alba*] quid per pituitam albam hoc loco intelligat Hipp. neq; ita est facilè intelligere: nam nomẽ hoc aliquãdo significat cachexiã phlegmaticam, malũ videlicet corporis habitũ, in quo plurima pituita alba, vel subliuida aliis quibusdam humorib. admixtis, tum in vasis, tũ in toto corporis ambitu coaceruata est à frigida intemperie solidarũ partium, & iecinoris, ꝓpter quã sanguis aquosus generatur, per carnosum genus suffunditur, nec assimilatur, vnde cutis dealbescit, viuidi coloris flos deperditur, caro mollior est, & quoq̃modo prætumida; sic acceptum testatur *φλέγμα λευκὸν* Gal. ab Hippocr. 7. Aphor. 70. cum dicit, albæ pituitæ hydropẽ superuenire: sicut & 1. de Morb. cùm *ἐκ λευκοῦ φλέγματος ἐς ὕδερον μεθίσταται* scribit; quemadmodũ etiam eundem sumpsisse testatur Gal. 3. in 3. de Morb. vulg. 70. aliquãdo aũt, & hoc est frequentius, significat tertiam speciẽ hydropis à cachexia, tanquam habitus à dispositione præuia distinctam; maior enim hic est affectus, in maioremq; molem corpus est eleuatum, quàm in cachexia; tum q, in tumore hoc vniuersi corporis œdematoso impressi digiti diu cauitas remanere apta est, vt docet Trallianus lib. 9. c. 1. hic per *φλέγμα λευκὸν* intelligit veram speciem hydropis, quæ anasarca à recentiorib. Gręcis dicitur, primam enim speciẽ pituitæ albæ per œdemata intelleximus: nec quidẽ ab re: vniuersi enim corporis partes solidiores ob aquarum malitiã scatent pituita, albicante quasi sanguine toto, quo vniuersa corporis moles suffundit ob deprauatam coctionem iecinoris, & quasi demortuo calore, & suffocato, assimilatrix functio in omnibus partibus deperditur.

Καὶ ἐν γαστρὶ ἴσχειν μόλις.] Quamuis aliquãdo pro ventriculo sumatur, propriè tamen totũ ventrẽ inferiorem significat: at sępenumerò pro vtero sumitur, q, is in ea capacitate, quæ est infra diaphragma, cõtinetur: q̃m ergo semper Hipp. cũ mulierem vtero ferre, vel concipere posse vult significare, *ἐν γαστρὶ ἔχειν* scribit: q̃d genus locutionis etiã Aristophani est familiare: & hoc loco Hippoc. ita hoc nomine vsus est. Inquit igitur difficilè mulieres palustres aquas bibētes vtero concipere: nec quidem ab re: docuit enim 5 Aphor. 62. Hipp. quibuscunq; frigidi, & spissi, vel præhumidi à natura sunt vteri, minimè eas in vtero concipere posse: hic verò ob aquarũ maximã frigiditatem & cruditatem, duriores reddũtur vteri, & in adiacentib. partibus, cum & in ipsomet quandoq; multa aqua colligitur, vnde aut natiuus seminis calor extinguitur, aut recipi, receptumq; contineri semen in vtero nõ poterit; aut certè sanguis aquosus, pituitosusq; fœtus, & generationem, & augmentationem impediet: sed de sterilitatis causis satis superiùs.

Et difficulter pariunt] Non omnes steriles dixerat, sed vix concipere posse, in præsentia eas, quę concipiunt difficulter parere posse scribit. Superiùs cùm de habitantib. locis Septentrionem versus loqueremur, ob aquarũ cruditatem, & summam frigiditatẽ, difficulter parere dicebamus, eò q, duriorib. ligamentis, & solidioribus essent fœtus alligati; iis verò, de quibus in præsentia sermo habitus est, non tam propter hanc cotyledonũ soliditatem difficilem partum contingere dicemus, quã propter magnitudinẽ, & tumorẽ fœtus, virium parientis languorẽ, vteri angustiam, & duritiem, vicinarum partiũ compressionem, & fœtus imbecillitatem, qua minimè matrem adiuuabit.

Et fœtus magni, & tumidi] Magnitudinem hanc fœtus naturalẽ, quæ ex multo sanguine probè nutrire apto subministrato à matre solet prouenire, non intelligit, sed præternaturalẽ: cum .n. aquoso, & pituitoso sanguine nutriantur, prætumidũ embryonis corpus, & quasi pituita alba refertũ reddi oportet: & propter hanc eandẽ causam cùm morbosi sint, maloq;, & crassiori, tum & pituitoso sanguine, & lacte alantur, tandem obstructis viis, per quas spiritus nutritioni inseruiẽtes deferũtur, tum & venis, per quas materia ad nutritionẽ necessaria deducitur, contabescunt, & deprauati fiunt; q, si nõ moriãtur, valetudinariè admodũ vitam degunt. Vterina aũt purgamẽta post partũ aut non eueniũt, aut certè cum dolorib. difficilè, tum nec in ea quantitate, quæ necessaria est: angustiora .n. vasa reddita sunt ob aquarũ cruditatem, & frigiditatẽ: excrementa aũt crassiora, plura, & magis lenta ob eandem causam reddita sunt: vnde aut constipatis, aut obstructis viis, cùm puerperia exire non possint, dolores contingũt, aut certè in pauca quantitate exeunt, quæ scilicet tenuiora sunt, crassis in vtero retentis excrementis.

XI.

Τῇσι δὲ γυναιξὶ οἴδεα ἐπιγίνεσθαι μάλιστα ϰαὶ

τοῖσιν ἀνδράσιν κιρ[...] ἕλκεα ἐν τῇσι κνήμῃσιν.

In pueris verò ramices generãtur, maximeq́; viris varices, & vlcera in tibiis.

Κῆλαι nomẽ nõ vnã apud Græcos reperio habere significationẽ: docuit.n. Aëtius lib.15. suæ Med. c.6. antiq̃s genus q̃dcũq; tumoris κήλας nomine significare; vñ & bronchocele tumor gutturis, bubonocele inguinis tumor: vsu tñ receptũ est, vbi simpliciter κήλη ponat̃, ad omne genus tumorũ referri, q̃ in scroto, & testib. fieri solet, vt apud auctorẽ definitionũ medicarũ videre licet, & Gal. 5. lib. de Anat. admin. post med. lib. q̃ si etiã in tumorib. testiũ scrotive etiã compositionẽ addim⁹, vt in ὑδροκήλη, & ἐντεροκήλη, & huiusmodi, fit nõ à patiẽtis membri nomenclatura, sed ab eo, q̃ contentũ est, humore, aliáve quauis substãtia totius nominis fit cõpositio: quasi κήλη cõe q̃ddã sit nomen, vbi specificũ fuerit ad oẽs ramices testiũ. Inq̃t igit̃ Hipp. hoc loco pueris in iis locis, in quib. potus palustrium aquarũ est in vsu, ramices, siue hernias accidere: intelligo.n. hic p κῆλαι (per α Atticos scribere cõsueuisse, non aũt p η scribit Gal. lib. de Tum. præter naturã, c.15.) nõ q̃dcunq; gen⁹ tumoris, sed eos solũ, qui testib. & eorũ operimẽtis accidũt. Sed vt cõmodè rationẽ reddere valeamus, cur potissimũ pueris herniæ accidãt ex harum aquarũ potu, optimũ esse duxi, breuiter iterum eas recẽsere, q̃ de horum affectuũ generatione à nobis superi⁹ sunt ꝓposita. Ad ossa pubis nõ ꝑforat̃ peritonæũ, sed in imo abdomine sub obliquis musculis, qui descẽdentes à iuniorib. dñr, sunt duo meatus vtrinq; vnus, per q̃s descẽdit particula quædã eius similitudinẽ quandã sacculi referẽs, in qua tanquã in ꝓprio loco continentur vasa spermatica, vnà cũ testib⁹, vbi aliis etiã tunicis inuoluti tandẽ in scroto rugosa illa, & extima cute continẽtur: neq;.n. de eiaculatoriis, de neruis inseruientib. deq; tunicarũ testes vestientium natura, erythroide, & darto in præsentia aliquid nobis est dicendũ, cũ nec ad nostrũ propositũ negotiũ faciat, & de iis rebus doctiss. Ingrassius lib. de Tum. præter nat. longa disputatione egerit. Si qñ itaq; cõtingat, vt meatus illi aut disrũpantur, aut laxiores euadant, p hos in scrotũ delabũtur particulę in abdomine à natura collocatæ: quib. delapsis scrotũ intumescit, interdũ magis, interdũ minus, ꝓ magnitudine rei delapsæ. Intumescit etiam ex materia in illo collecta, siue ea fit inter erythroidẽ, & darton, aut inter testiculũ, & erythroidẽ, aut in ipsomet scroto: delabuntur aũt hiante nimium meatu, laxatáve, aut disrupta particula tum intestina, & ita ἐντεροκήλη nominat̃, q̃ est ramex intestinalis, aut omentũ, quæ ἐπιπλοκήλη, siue omẽtalis ramex. Laxant̃ aũt, aut disrumpuntur hæ partes, aut nimiũ hiant meatus, aut ex illato vulnere illi loco, aut ex vlcere illã partẽ occupante, aut à nimia humiditate illas partes emolliente nimiũ, aut aliquo ictu, cõtusione, saltu ab alto, vel à nimia, & subita cõpressione spiritus. Intumescit interdũ testis, & subinde scrotum tumore scirrhoso, & duro ex crassis humorib⁹ ad eũ cõfluentib. qui tumor, qa carnosus videt̃, σαρκοκήλη dicitur: qñq; verò ex superiorũ partiũ, puta iecinoris, vitiata actione, aut etiã splenis nimia repletione trãsmittit̃ aquosus quidã humor ad partes inferiores minùs nobiles, magisq́; tũ imbecillas, tũ capaces, vnde scrotũ ita plenũ conspicitur, vt vesicã aqua plenã referat; imò candelæ oppositum transparet, perinde ac vas vitreũ aqua plenũ: vnde ὑδροκήλη, quasi aquosam herniã dicamus; nonnunquã etiã vent⁹ eò transmittit̃, & hæc species πνευματοκήλη, vẽtosus ramex dicit̃. Interdũ tandẽ venæ, quę ad testes, & has particulas referũtur, imbecilliores factæ dilatant̃, & crassiore reddito sanguine melancholico intumescunt varicũ more, & sic κιρσοκήλη dictã speciẽ, quasi varicosum ramicẽ, constituunt. Cõplicant̃ sæpenumerò hæ ramicũ differẽtiæ, vnde etiã bis cũposita nomina sæpe sunt formata. Hæc igit̃ cùm ita sint, vt tandẽ ad rem redeamus, facilè pueris aquas palustres, & stagnantes bibentibus herniæ euenire poterũt: & quãuis ob superfluã humiditatẽ tum natiuã, tum aduentitiã ex aquis prouenientẽ, naturalemq́; omniũ partiũ mollitiẽ, & humiditatẽ, facilè in intestinalẽ, aut omentosam herniã possint incidere; sæpius tñ illis aut aquosam, aut ventosam, aut etiã carnosam euenire obseruatum est, rarissimè varicosam: cùm.n. vniuersum eorũ corpus humiditate quasi superflua abundet, accedẽte potione malarum aquarũ, quę minus confici, aut expelli extra corpus queũt, vnde retentæ diotius imbecilliorẽ concoctricem iecinoris facultatẽ, & lienis reddunt, aut flatuũ generationi ob debilitatum calorem naturalẽ occasionẽ præbent: aut certè ob crassitiẽ retentæ, in scrotum tandem (q̃ sæpius accidit) delabuntur: q̃ natu grandiorib. non ita facilè cõtingit; cùm & siccius eorũ corpus sit, & validiorib. ligamentis & intestina, & omentũ retineãtur, ne deorsum ferantur. Subdit postmodũ: [*Maximeq́; viris varices, & vlcera in tibiis aduenium*] κιρσὸς varix nobis dicta apud Gal. 13. Meth. med. c. vlt. in fin. nihil aliud est, quàm vena plus æquo intumescens, & dilatata; quæ quãuis vt plurimũ in tibiis suboriatur, non ita tamen certã, & determinatam sibi eam partẽ definiuit, vt in aliis nasci nequeat: docuit enim Paulus lib. 6. suę Med. c. 82. aliquando in temporib. aliquando in ima ventris parte sub vmbilico, nonnunquã circa testiculos, & scrotum, interdum circa inguina, & in palpebris nascitur, teste etiam Aëtio 3. Tetrab. Ser. 2. c. 84. & Corn. Cels. lib. 7. suæ Med. c. 18. in fin. quinetiam, vt Hippoc. auctor est, in ipsis pulmonibus lib. de Morbis, qui intus, post principium: pręsertim tamen dicitur de iis, qui in tibiis generantur vlceratis maximè; quinimò & super vlcus ipsum aliquando nascuntur varices, vt videre licet apud Galenum quarto Meth.

Meth.med.cap.2.in fin. & cap.5. & lib.de Atra bile,cap.4.& ante ipsum apud Hippocr.lib.de Vlceribus,post principium. Solent autẽ vt plurimum ij tumores ex humore crassiori,& atrabiliario generari,vt docet Galen.lib.de Atra bile,cap.4.versus finem:vnde Hippoc.6. Aphor. 21. dicebat varices insanientibus superuenientes insaniam soluere:quod exemplo Galen.libro de Atra bile,cap.7. confirmauit: vnde & in tibiis sæpius generantur, cùm id, quod graue est,& crassum,faciliùs ad partes inferuas decũbat: qua ratione etiam optimè ab Hippocr.dictum esse censendum est, pueris ante pubertatem varices non accidere lib. Coacarum prænot.versus finem,quòd ea ætate minus atrabiliario sanguine sint referta corpora: Fit tamen, quamuis id rariùs accidat, etiam varix quandoque ob venarum imbecillitatem sanguine etiam bono influente,vt ex Galen. colligi potest lib.de Tumor.præter naturam, cap.19. At verò Arabes medici non ab atrabiliario modò sanguine varices generari voluerũt, sed etiam ex superuacuis aliis humoribus potissimũ pituitosis salsis, vt videre licet apud Auicen. lib. 3. Fen 23.Tract.j.cap.15.& Halyabatẽ 8.Theor. cap.18.vbi etiam dicit Auicen. quòd si quicunque is fuerit humor, putredine careat, simplices varices producit: si verò putredinosus, varicosa vlcera. Hæc igitur cùm ita sint,facilè etiã intelligere quilibet potest, quomodo viris, id est iis,qui iam pubertatem excesserunt, varices in tibiis,& vlcera aduenire possint ex vsu aquarum palustrium, cùm & crassior sanguis generetur, &, cùm lien afficiatur, vt plurimum melancholicus: dicebat enim Halyab. inter Mauritanos medicos nemini secundus 8.Theor. capite 18.circa finem, quòd aliquando sunt criticæ expulsiones acutarum febrium, aliquando autem sunt morbi per se incipientes: id quod scribit iis potissimum accidere, qui splenẽ habent prætumidũ,& durum; & hos varices non suscipere curationem scribit; quoniam splenis abundantia, quæ duritiem in illo faciebat, nũc ad crura veluti iguobiliora transmittitur:id verò intelligitur, vbi parti curationem adhibeamus, non priùs hepate, & toto corpore ad naturalem statum reducto: sanati enim non sanitatem toti corpori afferunt, sed peiorem morbum, insaniam.

XII.

Ὥστε τὰς τοιαύτας φύσιας, οὐχ οἷόν τε μακροβίους εἶναι, ἀλλὰ προγηράσκειν τοῦ χρόνου τοῦ ἱκνευμένου.

Quapropter huiusmodi natura longæua esse non possunt, sed debitum tempus morte præueniunt.

Docet Aristot.lib.de Longitudine,& breuitate vitæ inter alias multas causas longitudinis vitæ,illas obtinere principem locum, calidi naturalis multam quantitatem,humidi cónnati,& radicalis copiam, eiusdem substantiam perpinguem, tum & excrementorum priuationem: cùm enim vita nostra calore perficiatur, q; enimæ primum [illegible] voluit Aristot. 2.de Gen.Animal. ca[illegible] [illegible]lidum in maiori quantitate [illegible]peratum sit, vtique etiam vita erit [illegible] quod in nobis ipsis facilè obseruari potest, qui quantò magis ad senectam accedimus, [illegible] per consequẽs ad mortem, tantò magis calore destituimur: quod etiã patet in homine respectu aliorum animantiũ, qui cùm caloris naturalis, & spirituum mult[illegible] maiorem habeat quantitatem, diuturnioris etiam vitæ plerisque ferè aliis esse conspicitur. Verùm cùm actiua sit, & multum efficax caliditas omnis naturalis, vt humidum radicale depascatur, necesse est, quod citò nimiùm a[illegible]sumeret, seq; cum illo interimeret, nisi ex[illegible] cibis animalium corporibus esculenta, & [illegible] lenta subministrarentur, in quibus naturalis calor vires suas exerceat, alterando semper & im mutando, absumpti loco subrogata. Quantò igitur maior copia est, radicalis huius humidi, tantò etiam animalia diuturniorem habent vitam: sed ne quæuis quidem humiditas radicalis quantacunq; fuerit, apta est diuturnitatem vitæ efficere, nisi illa perpinguis, & satis viscosa, non satis fluxilis fuerit, aut aquosa, cùm nec ita putrescat, nec tam facilè absumatur. Accedit postremò, quòd corpus quam minimè excrementa generet: in quo enim plurimum generantur excrementa, illi multa sanè contraria inesse necesse est: excrementitium enim omnẽ ex contrariis conflatum est; quicquid aũt multis contrariis expositum est, diuturnũ esse non potest, quòd corpus consumatur, vt inquit Aristot. aut naturã, aut morbo: quod meo iudicio intelligendũ est, aut destructa natura, puta obruto calore naturali, cõsumpta humiditate naturali, aut introducta intemperie aliqua morbum quidem non inducente, sed paulatim ad innaturalem statum, aut ad tabidum aliquem affectum alterante, aut morbo introducto in aliqua parte, ex quo postea mors sequitur. Cùm igitur iis, qui aquas palustres in vsum trahunt pro potu, & aliis parandis alimentis, ob frigiditatem, & malam aquarum qualitatem, quasi obruatur, & extinguatur calor naturalis, breuitatis vitæ causam iam inesse iis ptiorem manifestum est. Cùm verò tabidum vniuersum eorũ corpus reddatur, colliquescant carnes, absumatur humidum radicale ob defectum alimenti subministrati, qui rectè confici non potest à calore naturali, & radicale vices pro caloris actione supplere non possit, aquosumq; omnino id quod in alimentum sumitur corporis, & nimis fluidum efficiatur, non pingue, aëreúmve, tum etiam quàm plurimis excrementis refertum, efficitur, vt rebus iis omnibus complicatis, longæui esse non possint, nec ad præstitutam à natura metam vitæ peruenire. Quamuis enim &

à natura fortasse quantus satis est, & qualis esse oportet calor naturalis, & radicalis (vt aiūt) humor subministratus fuerit, vt longiùs vita protrahetur, externis tamen ob aquas frigidas epotas ingruentibus causis præstitutus hic terminus præuertetur.

XIII.

Ἔτι δὲ αἱ γυναῖκες δοκέουσιν ἔχειν ἐν γαστρί. καὶ ὁκόταν ὁ τόκος ᾖ, ἀφανίζηται τὸ πλήρωμα τῆς γαστρός. τοῦτο δὲ γίνεται, ὁκόταν ὑδρωπιήσωσιν αἱ ὑστέραι. τὰ μὲν τοιαῦτα ὕδατα νομίζω μοχθηρὰ εἶναι πρὸς ἅπαν χρῆμα.

Præterea fœminæ se in vtero habere putant, & vbi partus expectatur, ventris plenitudo euanescit. hoc autem contingit, vbi vteri hydrope laborarint. Et has quidem aquas censeo perniciosas esse ad omnem rem.

Non est multùm nobis laborandum in reddendis causis rerum, quæ hoc loco ab Hippoc. dicuntur: cùm enim iam docuerimus ex imbecilliore reddita epatis concoctrice facultate ob vsum crudarum, & fæculentarum aquarū multam pituitosi humoris, & aquosi copiam generari: quinetiam ob spongiosam liena naturam ad omnia fæculenta excrementa recipiēda institutam, plenos, turgidos, atque magnos lienes reddi, qui cùm continere non possint materiam totam, abdomini eam impertiuntur, totiusque ventris inferioris moles maior multò redditur, & intumescit adeò, vt mulieres se vtero gerere credant: cùm præterea etiam ventriculi concoctrix facultas imbecillior facta sit, non omnino autem deperdita, multi flatus generantur, qui molem augent, & conceptus suspicionem iniiciunt, cùm hinc inde commoti maturioris iam fœtus motum repręsentent: potest tamen hæc conceptus suspicio non ex toto ventre inferiori extumefacto ea, qua diximus, ratione desumi, sed ex particulari vteri affectione, quæ hydrops vteri dicitur: quod potius videtur Hippocr. intellexisse, cùm reddēs suspicionis huius rationem dicit: [*hoc autem contingit, cum hydrope vteri laborant*] hanc enim lectionem, quam Gadaldini liber manuscriptus nobis tradidit, hoc loco potiùs insequendam esse duxi, quàm aliam & Asulani, & Basiliensis, quę sic se habet: τοῦτο δὲ γίνεται ὑπὸ ὕδρωπος, ὁκόταν ὑδρωπιήσωσιν αἱ ὑστέραι, quod est: hoc autem contingit ex aqua, vbi vteri ex aqua concepta laborant: affectum hunc vteri hydropē dictam definiuit Aëtius lib. vltim. cap. 79. iis verbis: cùm mēses longo tempore fuerint suppressi, & impręgnatio impedita, sæpe humoris copia in vterum confluit, & aliquando corpuscula quædam vesicæ fellis quā simillime in ipso generantur, in quibus humor colligitur: sequitur affectionē hanc tumor circe imum ventrem, amplus, laxus, flatuosus, & murmura veluti in intestinis, in ambulando grauitas, & respirandi difficultas, aluī recrementa graueolentia sunt, & mēses, & conceptus impediuntur, & quæ prodeunt, nullo seruato ordine deferuntur. Cum igitur statutū sit iam, & multam aquam eggregari, & ob crassitiem difficilimè purgationes exire, ob frigiditatemq; aquarum cōstipari venas, per quas expelli extra corpus debent, patet iam præsentes adesse causas, quibus affectus hic possit excitari. Exactis autem multis mensibus, cùm iam ob grandem molem ventris, tempus opportunū partus instare videretur, plenitudo ventris soluitur aqua euacuata; quæ etiam quandoque ea esse videtur, quæ partū proximè præcedere solet. Ea tamē euacuata nihil amplius aut in ventre cōtinetur, aut ab eo amplius reiectatur. Hęc etiam ast, de qua Hippocr. 1. lib. de Morb. mulieb. dicit: & venter ipsi magnus erit, & grauitas intus erit, velut in ventre habenti, & velut puer in ventre ipsius moueri videbitur: nimirū dum vteri aqua pleni sunt, & aqua mouetur. Aliàs enim atq; aliàs eque fluctuat in ipsis, velut in vtre: & pars infra vmbilicum dolet, & claiculæ, & facies, & thorax, & oculi attenuantur, & mammæ attolluntur. Cùm igitur hæc ita sint, manifestum efficitur per hydropem hoc loco non vniuersalē, sed eam, quæ vteri est particularis, intelligere: hæc enim cùm diutius perseuereuerit per nouem, aut decem mēses, aqua euacuata facilè soluitur, & euanescit; cùm alioqui alia, quæ totius est ventris inferioris particularis, in iis, qui aquas palustres bibunt, exitiosa sit, & ad mortē ducat. Nec certè ab re, cùm in hac aqua ita contineatur, vt exitum difficilē habeat, illa autem partis potiùs particolari læsione, quàm iecinoris, producitur, locumq; hebet ad expurgationem magis idoneum: vnde Aëtius citato loco dicebat: vbi autē excernuntur, ruptis aliquando paruis illis corpusculis, quæ vesicis similia diximus, viscosa quædam, & aquosa erumpunt. Quibus verbis meo iudicio docet, quomodo tandem post diuturnam retentionem horum humorum aquosorum, vi & impetu facto tandem erumpant disruptis vesiculis ob nimiam repletionem, & tensionem. Quò fit, vt hæc quandoque soluatur, & euanescet, alia verò, quæ intra peritonæum est, exitialissima sit, & ad mortem ducat. Concludit postremo [*palustres aquas ad omnem rem perniciosas esse*] intelligit autem ad omne negotium medicum respectu hominis, quatenus scilicet aqua vtimur, & pro potu, & pro parando pane, & cæteris eduliis: ad hæc enim omnino inutilis est, vtpote quę epotæ noxas iam propositas secum inuehat, panem pessimum reddat, & legumina in iis decocta vix mitescant: vnde & Columella lib. 1. de Re Rust. cap. 5. noxias aquas palustres esse in potu dicit: deterrimas enim eas esse docuit, quæ pigro lapsu repunt, pestilentes, quæ in palude semper consistunt. Non tamen simpliciter ita vituperādæ sunt palustres, & lacustres

custres aquæ, vt ab omni vsu humano excludantur. Cùm videamus ad varia vitæ humanæ ministeria naturã eas paraſſe: ſunt enim ad hortorum irrigationes maximè vtiles Theophraſto teſte; delectant admodum iumenta in potibus,& equi earum vſu impinguantur,nec vbi ex labore,aut citato itinere incaluerint,dolorum periculis incurrunt,vt ſi frigidas bibant, & crudas. Verùm quoniam eò quandoq; deuenit humana miſeria, vt aut in ducendis per longinquos tractus exercitibus,aut longinquis petendis regionibus mercium gratiâ, cogamur iis vti,non ab re erit, ſi docuero modũ breuiter,quo fæculentæ eæ,& putidæ,& vliginoſæ,ſeu quocunq; alio vitio labefactatæ aquæ ad eum gradum reduci poſsint bonitatis,vt citra inſignem noxam poſsint potulentæ reddi. Si igitur fieri poteſt, circa paludem, aut fluuiũ lectum ſcrobes effodiantur, vt craſsioribus retentis partibus,ſubtiliores, quæ iam expurgatæ ſunt quaſi,traducantur ſenſim: ſic enim etiã vligines,hyrudines, & id genus alia faciliùs euitabimus,& puriores bibemus: vel per vaſa duplicia, tripliciáve plena ſabulone transfundentur,ſic enim pura ex arena vaſis vltimi accipi facilè poteſt. Diocles medicus, qui experimenta hæc ſæpius in exercitu Darij regis exercuit, decoquebat eas ad tertias iniectis ouorũ albuminibus, argillæq; ſemiſextario in ſingulis amphoris commixto, & mox transfundebat. Plin. lib. 31. cap. 3. Naturalis hiſt. nitroſas, ſalmacidas,& fęculẽtas aquas docet breui tempore ad meliorem ſtatum reducere addita polenta,quam intra duarum horarum ſpaciũ potulentas eas reddere ſcribit. Solinus percolare eas docet cum argilla, & ſabulo maſculo. Hoc tamen non niſi vrgente neceſsitate faciendum erit.

XIV.

Δεύτερα δὲ, ὅσων εἰσὶ αἱ πηγαὶ ἐκ πετρέων. σκληρὰ γὰρ ἀνάγκη εἶναι.

Secundo verò loco eas, quarum fontes ex petris ſcaturiunt, duras enim eſſe oportet.

Vt tandem, quam optimam aquam eſſe cenſeat, colligere poſſet, primò peſsimarum aquarum indicia,& naturas oſtendit, & quos morbos præterea parerẽt, & quænam tales eſſe cenſerentur: nunc, quænam ſint, quæ peſsimas illas in malitia ſequantur, oſtendit, & eas in malitia ſecundum locum obtinere ſcribit, quæ fontes habent ex petris originem ducẽtes: nec certè abs re: nam ſi lapidum generationem diligenter conſideremus, ſiue modò aliquorum opinionem, qui maximo calori ignis totam lapidum efficientiam tribuunt, ſiue, quod magis puto, Theophraſti dogmata ſequamur, qui alios lapides à ſummo calore, alios à ſummo frigore generari ſcribit lib. de Lapidibus nondũ, quòd ſciam, in Latinum ſermonem verſo, ſemper verum erit lapides ferè omnes frigidos eſſe,& aquas, quæ per eos primam ſui ſcaturiginem habent, crudas eſſe, duras, & ſaxorũ quaſi naturam retinere: Certum enim eſt ex ſaxis alia qua eſſe, quæ aqua humectando reſoluit, alia econtrà, quæ ignis calore ſuo liquefacit; horũ omnium materia frigida eſt, fęculenta, viſcida, ex qua tum calor, tum frigus, vbi excedant, lapides producunt: Calor ſiquidem ex materia humorem extrahẽs, vt etiam optimè docet Agricola lib. 4. de Ortu,& Cauſ. ſubterraneorũ, eam efficit duriorem, & in lapidis formã eam diſponit: frigus etiam illam eandem materiam aërem exprimendo magna ex parte quantum fieri poteſt arctiſsimè, ſi multum excedat, in vnum cõſtringit: vnde quos frigus in lapideam duritiem lapides vertit, eos ipſos calor liquefacit, quod verò calore induruit, id ipſum aquæ humectatione reſoluitur: ſemper tamen terreſtris illa eſt materia, quæ remanet, quæq; in lapide ſacto cõſpicitur. Huius igitur naturæ participem eſſe aquam, quæ per huiuſmodi venas ſcaturire ſolet, neceſſarium eſt,& ſubſequentes & duras eſſe, cõtumaces, crudas, & admodum calori noſtro,& coctioni aduerſantes: Maximè ſi ab origine ſtatim in vſum traducantur: poteſt enim longiùs defluxa aqua ſaxorum vi poſtea refrangi,& tenuior reddi; quæ etiã multò meliorem naturam aſſequetur, ſi non ſaxis modò, ſed ſabulone, glareáve purior reddat, alueo ducatur aperto,& rupibus patentibus, vt ſolaribus radiis quaſi percocta minùs cruda, ten[ui]órque reddi poſsit. Hoc fortaſſe intellexit Columel. lib. j. cap. 5. cùm villæ ſuæ vicinam [illegible] eſſe aquam fluentem, ex montibus oriun[dam] per ſaxa præcipitem ruentem: Neque [enim], vt in præſenti credidit Alemanus, eam lauda[t], quæ ex ſaxeis ſcaturiginibus ortum habet, ſed quæ per ſaxa defluẽs purior omnino,& ad potum magis accommodata redditur. Neq; Auic. lib. j. Fen 2. D. 2. Summa j. cap. 16. ab hac Hippocratis ſententia diſſentit, vt credidit Alem. motus verò eſt, quòd Auicen. in illo cap. inquit: & aquæ, quæ ſunt petroſæ, ſunt digniores, quòd non ſit periculum in eis putrefactionis; quaſi verò eas nõ compararet lacu[str]ibus, & has etiam petroſas cæteris aquis fontium, quæ ex glarea, ſabulonéve claro oriuntur, non ſcripſerit eſſe multò ignobiliores, & minus dignas: Laudat verò in hac conditione petroſas, quòd ob earũ frigiditatem nullum putrefactionis immineat periculum.

XV.

Ἢ ἐπὶ ὅκου θερμὰ ὕδατά ἐστιν, ἢ σίδηρος γίγνεται, ἢ χαλκὸς, ἢ ἄργυρος, ἢ χρυσὸς, ἢ θεῖον, ἢ στυπτηρία, ἢ ἄσφαλτον, ἢ νίτρον. ταῦτα γὰρ πάντα ὑπὸ βίης γίνονται τοῦ θερμοῦ. οὐ τοίνυν ἐκ τοιαύτης γῆς ὕδατα ἀγαθὰ γίνεται, ἀλλὰ σκληρά τε καὶ καυσώδεα, διουρέεται χαλεπὰ, πρὸς τὴν διαχώρησιν ἐναντία εἶναι.

Aut istic, vbi calidæ aquæ existunt, aut ferrum nascitur, aut æs, aut argentum, aut aurũ, aut sulphur, aut alumen, aut bitumen, aut nitrum. hæc enim omnia caloris vi generantur: non itaq; ex huiusmodi terra bonæ aquæ nascuntur, sed duræ, atq; æstuosæ; difficulter minguntur, & ad egestionem sunt rebelles.

Eundem ferè malitiæ gradum, quantum ad quotidianum earum vsum pertinet, eas aquas habere scribit hoc loco Hippocr. quæ ex locis, vbi thermales aquæ, metallaq;, & metallica scaturiunt, & excauantur, originem habẽt, quem eas, quę ex saxis scaturiunt, habere iam docuit. Inquit igitur, ex terra, vbi calidæ aquæ promanant, vitiosas aquas colligi, & duras, & æstuosas, quæ difficulter minguntur, & aluũ reddant adstrictiorem; quòd non modò eæ, sed etiam metalla, metallicaq;, quæ vt plurimum illis solent esse permixta, vi caloris prodeant. Verùm hæc difficilimè intelligi poterunt, nisi à nobis eorum aliqua, quę ad naturam, generationem; & qualitates tum aquarum thermalium in genere, tum metallorum diligentiùs, sed breuiter, quantum fieri poterit, considerentur. Thermarum, & aquarum calidarũ nomen apud antiquos non vnum habet significatum. Sumitur quandoq; pro communi nomine ad aquas calidas, siue parentur arte huiusmodi, siue sponte ita à natura producantur. Aliquando autem pro artificiosis solùm, in quibus lauare se consueuerant, vt apud Martialem lib. 5. Neronianas is refrigerat Thermas. Sæpiùs tamen Græci scriptores cum Thermarum, & aquarum calidarum mentionem faciũt, sponte calidas nascentes intelligunt. Sed ne istæ quidem vnius sunt generis. aliæ enim sunt calidæ & actu, & potentia, vt sulphureæ, bituminosæ, & huiusmodi quæ tepentes sunt, calidæ, & feruentes qu[illegible]oq; scaturiunt: aliæ calidæ solùm potentia, [illegible]gidæ actu e[illegible] terra promanant: aliæ denique [illegible] contrà calidæ quidem actualiter scaturiunt, [illegible] faciendi tamen nullam habent potentialem (quod ai[illegible] virtutem, quas etiam neq; medicatarum, neq; mixtarum nomine dignamur; neq; sub iis quas hoc loco vituperat Hippocr. comprehendi putamus: illas enim ad bibendum sanis ineptas esse scribit Hippocr. duras, ęstuosas, & difficulter transeuntes ob mixturam, quam habent; hæ autem sine sapore vllo, aut odore, atque ideo sine noxa omni bibũtur, qualitatis omnis, prẹter caliditatem vnam [illegible]m, expertes, vt frigefactæ continuò esse po[illegible] possint in sanitate, quales in Ægesta Siciliẹ esse scribit Strabo 6. Geograph. & in Laryssa, Troade, Magnesia, Melo, Lyppara, quas negat Plin. medicatas esse lib. 31. cap. 6. quales apud Vitruuium lib. 8. cap. 3. sunt illæ, de quibus ita scribit: Sunt etiam nonnulli fontes calidi, ex quibus profluit aqua sapore optimo, quę in potione ita est suauis, vt nec fontanalis à Camœnis, nec Martia saliens desideretur. Rarissimæ tamen sunt aquæ, quæ calidę scaturientes, non etiam & mixtæ, & medicatę dicendæ sint; quẽadmodum etiam medicatæ, & mixtæ à natura rarò reperiuntur, quæ frigidæ sint omnino: quòd si aliquæ frigidæ emergunt, id potiùs accidit, quòd per longum terræ locum feruntur, vbi nõ subsunt ignes, à frigiditate autem terræ in contrariam qualitatem transmutatur. Omissis igitur arte paratis calidis balneis, de aquarum calidarum sponte manantium, potissimum autẽ medicatarum ortu, natura, & qualitatibus quàm breuissimè fieri poterit, agendum est. Thermales omnes aquæ calidæ sunt, mixtæ, & medicamentosam aliquam habent facultatem, pro eorum, quæ ad mixtionem concurrunt, metallicorum varia materia. In harum autem aquarũ caliditate perpendenda multa sunt, quæ venire possunt in cõsiderationem, quantùm ad institutum negocium attinet: primùm an omnes aquæ thermales sint calidæ, & an caliditatem, quam habent à principio sui ortus nanciscantur, an potiùs in defluxu. Verùm huiusmodi problemata minimè intelligi poterũt, nisi quæ sit caloris huius in aquam impressio, à quo fiat, quomodo perpetua, & vniformis fit, à nobis diligenter perpendatur. Cùm aqua omnis naturaliter frigida sit, & humida, vt simplex est elementum, aquas thermales, quòd calidę sint, potiusq; exiccẽt, mixti potiùs nomine insignienda sunt: aquæ autem dicuntur, quòd humiditatem habeant actualem prædominantẽ, quæq; si extra fontem diutius remaneat, frigiditatem (quod aiunt) actualem humiditati tandem adiungunt. Cùm igitur hoc ita sit, oportet quippiam adesse, quod eas excalefaciat, aut in principio suę generationis, aut certè post ortum ex aliquo habita occasione, cùm nõ per propriam naturam, sed per aduentitium principium, & accidentale aquas huiusmodi caliditate prędictas esse statutum sit. Verùm non vna est doctorum hominum sententia de caliditatis huius efficienti causa, quas omnes non solùm ἀρχαίας, sed & alias πάνυ ἀρχαίας, nimirum ineptè, & incõcinnè prolatas ad pensum in præsentia reuocare est animus. Antiquissimi philosophi, quos Stoicorum Schola est secuta, cùm omnem vitam, & calorem naturalem cuidam insito omnibus rebus, & æthereo calori attribuerent, aquæ quoq; motum, & calorem ab eodem pendere crediderunt: neq; tamen explicarunt, qua ratione hæ calidæ, illæ feruentes, aliæ autẽ frigidissimæ sint, cùm aquarum eadem sit materia. Democritus in cinerem, & calcem, per quas pertransire, & percolare eas crediderunt, caliditatis huiusmodi aquarum causam omnem retulit; quam opinionem falsò Albertus Alemanus Aristoteli tribuit lib. de Propriet. Element. falsò Aristot. adscripto deceptus: viuę enim calci addita aqua feruere cõspicitur: aiunt ad eundem modũ aquas percipi calidas, quibus trãsitus,

tus, per illam ad nos fuerit. Sed vbi eam calx vn quam viua subterranea visa, aut alicubi cessa? simile aliquid possit, sed quod easdem habeat vires vix credi detur. Sed vt fit, quæ tandè materia tam longo feruori consumendi sufficiet? semel absomptam, aut delatione continua extinctam, quis restituet, aut rediuiuam reddet, vt calorem faciat? quis amarorem, & salsuginosam qualitatem abstulerit; quæ si hæc caliditatis esset causa, necessariò comes perpetua foret? cùm alioqui multæ reperiantur nullo prorsus B sapore præditæ, vt Lucenses S. Ioannis, Pisanę, Senenses, quæ Cotoeri dicuntur, & eæ, quas in Magnesia, & Arcadia scatorire testis est Aristot. 24. Sect. Problem. 16. tum &, quarum mentionē fecit Vitruuius 8. Architect. cap. 3. quas omnes feruidas scaturire certū est, cùm alioqui & gustoi suaues, neque sapore vllo præditas conspiciamus. Num igitur agitato (nam & hoc prodidêre aliqui) iisdem, quibus continetur aqua, caliditatibus terræ vero calefient aquæ? cùm enim C in subterraneis concludantur, spiritus exitum quęrentes motu magis rarefiunt, & accenduntur, accensiq; supra, & infra cuniculos ferūtor, quibus aquæ calefiuot. Quasi verò perpetui, & inuariabilis effectus, aliqua mutabilis, neque semper sibi similis, minimeq; perpetua assignari possit causa: quæ præterea agitatio venti vel in rebus extrinsecis excalefacere aquā potest, nisi aliunde caloris causa accedat? Cùm verò aqua multò sint subtiliores, cum aqua exire eos D oporteret, sicq; non perpetuaretur hæc causa. Thermophylus, vt annotauit Auctor lib. de Elemen. proprietat. Solem dicit per terræ poros penetrare, & in profundo viscerum roborari, fortiùs ibi calefieri, & instar igniū aquas quæcunque occurrunt calefacere, & combustibilia comburere. Opinionem hanc, quoniam recentiores, qui de aquis Retiubianis diligenter admodum scripserunt, sequi videntur, cæteris omnibus verioribus detisis opinionibus, lógiori oratione prosequi oportet. Inquit igitur, quòd E cùm mundi figura sphærica sit, & habeat principis sui motus, & caloris in circumferētia, à qua ad centrum Solares radij omnes vndequaq; ad perpendiculum simul in vnum conueniunt, & colliguntur, efficitur necessariò centrum locorum omnium, quæ sunt in mundo, calidissimum, cùm nullibi vnquam, sed ibi solùm semper adsint omnes caliditatis præcipuæ causæ, siue modò statuantur radiorum directiones, siue mora, siue reuerberatio, & eorundem collectio, diriguntur enim omnes in proprium centrum, id est, in cētrum terræ per angulos rectos collisis ad se inuicē in centro, ita vt feruor maximus excitetur, & ignis; non secus, quàm ex cono caui speculi Archimedes docuerit ignem excitari per collectionem radiorum; accedit, inquit, quòd cùm inter ignem, & terram ob siccitatem sit symbolei tas; certè, cùm vehementer sicca sit, semiignita dicetur. Neque, inquit,

A obstat distantia superficiei à centro, eiusq; crassities; siquidem respectu cœli tanta est terræ exilitas, vt omnino tanquam punctum statui debeat: vnde quamuis crassities hæc nobis maxima videatur, respectu tamen mille & viginti duarum stellarum octaui orbis, quarum minor viginti vicibus (vt eius verbis vtar) maior eorum, & quindecim maior existit, tum & respectu magnitudinis planetarum, & orbom, nulla est proportio inter agens, & passum. Vnde quēadmodum in fornace ardente granum sinapis si iniiciatur, nihil impedit, quominùs caliditas ad centrum grani statim perueniat; ita cùm minorem habeat terra proportionem ad cœlorū magnitudinem, meritò nihil impediet, quominùs per poros caliditas per radios Solares in intimis terræ penetralibus immissa actionem faciat. Vnde concludit, cùm radiorum horum collisio perpetuò fiat, calorq; inde genitus sit elementalis, & æthereus, non indiget pabulo, sed perpetua quadam serie in infinitum perpetuari potest, quem etiam ipse credit esse locum inferni, in quo ignis est perpetuus, nullo tamē pabulo indigens, qui tanquā per caminos quibusdam in locis euaporat, vt de Ætna in Sicilia, & aliis montibus ignem, & fuliginem continuò euomentibus certa est historia. Ab hoc igitur, inquit, calore, & igne eleuantor in abditis terræ penetralibus vapores, qui postea ab ambientis, & terræ frigiditate condensantur, & formantur; sed cùm calor ille sit in centro terræ potentissimus, nō æqualiter agit in profundis partibus, & extimis; sed quantò magis distat à centro Zonæ terræ, tantò minus calorem illum persentiunt, nisi cuniculi aliqui subterranei sint, per quos ignis ille ascendat, & per diuersas partes deferatur: Quemadmodū in thermis nobilioribus hypocaustum erat, à quo tanquam à promptuario per tubos, & epistomia deferebatur calor etiam sub Xistis, & in viridariis ad omnes ædium partes: ita calor iste à centro terræ delatus potest non modò vbiq; terrarom aquas simplices fluuiorum generare, sed etiam thermarum aquas efferuescentes reddere, in hoc à sententia Thermophyli diuersus, q, ille radiorum reflexionem, & vnionem, nō in centro fieri, sed in ipsis superioribus locis, vbi aquæ thermales promanāt. Verùm hæc fere teoria omnium est maximè à veritate aliena: nam cui, quæso, verisimile esse videatur, Solem F ipsum caloris huiusmodi, quo sæpe in tantum feruere scaturientes aquas videmus, vt depilari porcos, deplumari aues, reseratis meatibus, resolutaq; pennarū, setarumq; compage, qua radicitus priùs hærebant, durari oua experiamur, esse authorem posse? quomodo præterea quis credet Solis, & aliorum astrorum radios adeò esse potentes in actionibus, vt tantam terræ molem, & profunditatē permeate possint, ignemq; excitare? quos resoloi in superficie ferè, tellurisq; ipsius propè in corio, vel æstuans

tissimo tempore triginta duos pedes vltra nō magnopere agi scimus, & docet Theophrastus primo lib. de Hist. Plantarum, cap. 11. quinimò cum Lucretio dicemus vix posse

—— Per septa domorum
Insinuare suum radiis ardentibus æstum.

Accedit, cuius non parum mirari mihi subeat, quomodo ignis hic, qui in centro generatur, ex vnione, vt ipse inquit, & collisione ad inuicem, quamuis efficientes causæ perpetuæ sint, sine materia, & pabulo conseruari possit, quo tamen carere omnino recentior hic asserit. Neque vlla est huius rei cum igne ex concauo speculo per radios genito comparatio, cùm is ob materiam lucidam efficiatur, per quam radij feruntur, & magis vniuntur, cum caua sint, cuius ratione maximè vniti radij ignem excitant: at cùm terra rotunda sit, tantum abest, vt radiorū vnionem efficiat, vt potiùs eos dispergat. At si quispiam ea, quæ ab Aristot. primo lib. Meteorolog. c. 4. diligenter considerauerit, vbi de caliditate Solis in hæc inferiora disputat, tum & secundo de Cœlo, part. 42. in eam statim veniet opinionem, à principiis naturalis philosophiæ sententiam hanc omnino dissentire: longa enim oratione vtrobiq; disputat non alia ratione Solem in hæc inferiora calorem excitare, quàm motu: dubitat enim, quomodo Sole calido non existente, calor excitari possit ab eo: respondet, motum etiam cum velocitate factū nō calorem modò, sed etiam ignem posse producere. Cùm igitur cœlum vehementer, & celeri motu feratur, ignem secum rapit, qui etiam aërem excalefacit, & consequenter hæc inferiora. Verùm quomodo hoc fiat, ne in longius, quàm par sit, sermonem nostrum extēdamus, consulendus est doctissimus Aphrodisæus secundo lib. Naturalium quæst. cap. 3. Qui fieri igitur poterit, vt caliditas hæc à Sole producta per motum hac ratione ad terræ centrum perueniat: verisimilius est igitur, & Aristotelis verbis magis consentaneum, caliditatē in superficie terræ genitam, quasi per manus internis partibus communicari, neq; tamen vlterius procedere, vt recentiores hi voluerunt; sed statutum terminum habere, qui qualis, quantusq; sit, an qui positus est à Theophrasto loco citato: an alius, non est præsentis speculationis. Calor præterea cœlestis mitis, & blandus est, qualis est calor noster naturalis, vt docet Aristot. 2. de Gen. Animal. cap. 3. quomodo igitur supra suas vires calorem præter naturam elementalē, imò potiùs igneum (neque enim ignis elementalis calidus est in summo, sed solùm is ignis, qui mixtus est, is enim caloris effer uescentia est, non alius, in concauo orbis Lunæ positus, vt optimè nos docuit Aristot. primo Meteorol. & 2. de Ortu, & interitu) poterit generare. Postremò nulla esset ratio mixtionis aquarum thermalium, si sola caliditate ab igne introducta sine alia materia aquæ eæ à cæteris distinguerentur.

Aristot. tandem, vt eum nos iudicem sequamur, quem omnibus in rebus naturalibus imitandum assumpsimus, cum obseruasset aquarum eam esse naturam, vt frigiditate, & humiditate maximè constaret, necessariū esse duxit tam vehemētis caliditatis aquarum causam esse, quæ è directo aquarum naturæ aduersetur, nihil igitur vno igne excepto, tale esse potest. Hunc igitur censuit in subterraneis locis contineri conclusum, vt colligi potest 2. Meteorol. vbi quærit causam varij saporis fontium, & fluminum, in ignes enim sub terra ebullientes totam causam illius saporis refert: & vbi de ventis agit, asserit terram multum ignis in se continere: Cùm etiam de terræmotu tractat, id multò manifestiùs ostendit: ante eum etiā in hanc sententiam venit Empedocles referente Seneca lib. 3. Natural. quæst. vbi habet: ignes multis in locis opertos terra tegit, & aquas calefacien do inalterat, si subditi sint solo, per quod illorū incursus est. Quam sententiam & auctor lib. de Mundo, quisquis ille est, amplexatus est, & Lucretius cùm dicit:

Principio tellus habet in se corpora prima.
Vnde mare immensum, voluentes flumina fontes
Assidue renouent: habet ignes, vnde oriantur:
Nam multis succensa locis ardent sola terra,
Ex imis verò furit ignibus impetus Aetna.

Huius sententiæ fuit etiam Vitruuius 8. libro Architecturæ, cap. 11. Plinius, & Plutarchus in Quæst. natural. tum & ex poëtis nostris Virgilius in Ætna, & Ouid. in Metamorph. sed optimè omnium Manilius in Astronom. cùm dicit:

Sunt autem cunctis permixti partibus ignes,
Qui grauidas habitant fabricantes fulmina nubes,
Et penetrant terras, Aetnaq; minantur Olimpo,
Et calidas reddunt ipsis in fontibus vndas.

Est igitur ignis hic noster mixtus in visceribus terræ inclusus caliditatis aquarum causa efficiens. Verum quomodo excitetur is in iis partibus, neq; inter scriptores conuenit. Albertus Alemanus in materiam subsistentem maximè inflammabilē huius caloris initium refert sulphur, & bitumen. Cùm alioqui certum sit, nisi aliunde ignis admittatur, ex se ipsis ignem nūquam accendi: alioqui, vbicunq; essent, ignem excitarent: Cuius oppositum docet experientia. Neq; etiam, quod aliqui faciunt, ad externas causas, puta ignem immissum, vel fulmen confugiendum est: quomodo enim eò vsq; huiusmodi causæ peruenire possunt, cùm adcò profundæ sint eæ partes, vt verus exortus locus vix semel inueniri possit. Qua ratione etiā efficitur, quò minus credamus à radiis Solarib. excitari. Satius igitur est, cum Aristot. 2. Meteorolog. vbi agit de terræmotu, asserere exhalationem calidam, & siccam in terræ cauitatibus conclusam exitum hinc inde quærentem, nec inuenientem agitari, atteriq;, attritam rarefieri, inde accendi, in ignem verti, pabuloque ampliorem reddi. Verùm cùm perpetuò calidæ huiusmodi

iusmodi aquæ thermales persentiantur, ignis
autem caliditatis productiuus oon posit ibi
diutius perdurare, nisi aliquod adsit contrariũ,
in quod operetur, vt in sui naturam conuertat,
pabuliq; vices subeat; de hac causa maxima est
inter doctos controuersia: Aliqui enim ventũ,
& exhalationem calidam, & siccam continuò
excitatam à radiis solaribus pabulum oportu-
num esse volunt: locum autem dicuot esse me-
diam regionem terræ: ne scilicet natura purior
terræ in centro, si io earegione ponatur ignis,
interturbari à cõtrariis queat, aut superiora, pu
ta plantę, & genita in extima regione terræ cõ-
burautur, si in superiori parte ignis hic, & pa-
bulum constituantur. Verùm vix mente quis
concipere potest subterraneum hunc ignem à
nostro hoc mixto nõ absimilem; quinimò pru-
nas ipsas, vt optimè doctissimus Cardanus no
ster libro de Subtilitate, exhalatio oe calida, &
sicca, & vento conseruari in cauernis, còm vi-
deamus ab iis potiùs dissipari: quinimò vbi ve
hemens est caliditas in solidiori materia igoẽ
excitatum esse oportere quotidiana docet ex-
perientia. Quocirca Vitruuius 8. Architect. cap.
3. alumen subterranei ignis pabulum potiùs es
se credidit, quòd cùm substantia sit solidiori, &
compacta, nõ ita facilè ab igne consumi queat.
Verùm cùm ignis pabulum, aut oleosam ali-
quam substantiam in se habere debeat, aut cer-
tè ita siccum sit, & raræ substantiæ, vt faciliùs
ignem concipere possit: alumen cùm neq; o-
leosam aliquam habeat substantiam, neq; po-
rosam, sed omnino terrestrem, & solidã, ignis
pabulum esse noo poterit: vnde neq; accendi
etiam, si diutius in igne remaneat, aliquando
visum est. Alij, vt Agricola, & alij Germani vni-
uersalis Cosmographiæ scriptores crediderũt
non aliam continuatorum ignium causam es-
se posse, quàm bitumen liquidum, tum q; nihil
ad ignem suscipiendum magis accommodatũ
reperiatur ipso bitumine: tum præterea, quòd
sæpius in subterraneis repetiri illud obserua-
tum sit. Et postremò quod maximè eos mouet,
est, quoniam aquarum thermalinm aliquæ om
nino feruidissimæ persentiuntur, qoæ tantam
caliditarem concipere nõ posseot, si solùm cu-
niculis ignis subterraneus subiiciatur: quare,
inquiunt, debet aquæ esse permixtus; nullum
autem subterraneum reperitur, quod etiam in
aqua inflammetur, & ignem conseruet, præter
quàm bitumen: quales asserunt fontes ardere
in Apolloniatarum nymphæo, & in lacu Baby
loniæ. Verùm, si hæc sententia vera esser, vtiq;
aquæ omnes thermales bitumen olerent, atq;
impuræ conspicerentur: quinimò cùm per eos
bituminosa materia ardens aquas calefaciens
in ipsis sit cuniculis contenta, necessarium es-
set cum ipsis aquis pingnedinem effluere, & si-
mul ignem euomi. Accedit experientia, qua
falsitas huius opinionis conuincitur citra con
trouersiam. In balneo enim agri Patauini san-
cti Bartholomæi dicto fonticulus est, in quo si
frigidæ aquæ confluant, vbi in alueum cecide-
rint, calidæ reddnntur, vbi tamen nulla bitumi
nis portio repericur, nec ignis vllus in aqus re-
peritur, sed calor is ex subterraneo igne proma
nat. Falsum verò est quod ab ipsis supponitur
ex subiectis caloribus non posse adeò calefieri
aquas, nec tanta varietate: experiẽtia eoim Ro-
manorum oppositum docet: vt enim in dome-
sticis ędibus id arte pararent, quod natura non
subministrabat, parauerant sibi aeneas quasdã
fistulas in gyros obuolutas, & orbes plùres dra
conum spirarum instar; cuius ratione etiam no
men draconum sortitæ sunt, & miliaria à lon-
gitudine, per eas in suprema parte per foramen
ingrediebatur aqua frigida, sub spiris fistularũ
ignis accendebatur, quo aqua primæ spiræ vix
incalescebat, secundæ magis, & adhuc magis
tertiæ, & sic successiuè reliquæ magis calidas
dabaot, & dedissent, perpetuoq; id effecissent,
si ignis perpetuò subministratos fuisset. Alij
postremò, inter quos & doctissimus Fallopius
& Andreas Baccius crediderunt materiam hãc
fouentem ignem non aliam statui posse, quàm
sulphur vt plurimũ, & aliquando bitumẽ: con-
firmant suam hanc sententiam aoctoritate Ari
stot. 24. Problem. Sect. Prob. vlt. vbi calidas di-
cit aqoas sponte manantes sacras dici, qnia sa-
cerrimis rebus sulphure, & fulmioe ita reddan
tur: illud enim communi nomine cum rebus
diuinis Græci θεῖον appellarunt: quod etiam ha
bebant in religionibus ad expiandas suffitu do
mos Plin. auctore: experientia id confirmant,
quòd nonnullæ aquæ non latentes, sed oculis
conspicuæ cernũtur, in quibus sulphur imme-
diatè subsistens accensum calorem excitat, vt
in agro Volaterrano in monte Cerbaro voca-
to, vbi sont lacunæ aquarum calidarũ, in quarũ
extremitatibus sulphur ardens continuò con-
spicitur: Postremò cùm omnes ferè aquas non-
nihil sulphuris redolere conspicerent, certum
suæ opinionis sibi statutum esse fundamẽtum
crediderunt. Verùm, vt ingenuè fatear, neque
huic vllo modo possum assentiri opinioni:
molta verò sunt, quæ me ab hac sententia retra
hunt: primùm Hippocr. hoc loco anctoritas, q
cùm aquas has mixtas enumeraret, sulphureas
inter species recenset, sicut & bituminosas, &
nitrosas, & alias, cùm alioqui si omnium aqua-
rum calidarum mixtionẽ ingrediatur, potius
genus quoddam esse deberet ad omnes alias
species, cùm per eos omnes sulphur rędoleant.
Sed esto sulphur causa materialis ignis, & con-
seruãs. Erit igitur vel in cuniculis, vbi est ignis,
vt illi pabulo esse posit, vel in superioribus ca
uernis, & tubis, vbi aquę: si illud dixerint, quo-
modo aquæ ex & sulphuris portionem habe-
bunt (per sublimationem enim sulphur extra-
hi scribunt) & sulphur redolere poterunt? si ve
rò alterum, tunc nullo modo ignis voracitati
satisfacient. Est postremò, quod citra contro-

uersiam eos euincet; fatentur ipsi & omnes ferè illius sententiæ sectatores subterraneos ignes pruoas potius esse, quàm flammam, quòd eoa ratio vincat, qoomodo si tantæ flammæ in cuniculis essent, tamq; diuturnæ, tandem exitum sibi quærentes impetu facto etiá integros montes non aperirét, quomodo igitur tandem credent sulphur pabulum esse perpetuũ ignis subterranei, si experientia nobis ostendit sulphur, vbi ignem concipiat, non prunas excitare, sed flammam: Præterea cùm ignis natura vorax sit, & tandiu perdurabilis, quádiu côbustibile suppeditatur, quomodo tanta copia sulphuris reperitur, vt perpetuo alimento esse possit, & vndenam propagatur, vt mirum videatur in tanta ignium combustione non integros montes sulphuris esse conflagratos. At huic difficultati satisfaciunt, omnium rerum mutuá esse, & successiuam generationem, & corruptionem: vnde inquiuot, contiouò tantum sulphuris generator, quantum satis est pro cõseruatione ignis calore adurente, & terra materiam præbente: quasi verò, vbi adeò ingens est calor siccus nulla præexistéte materia humida, & calida, oleaginosa, & perpingui sulphur, quod huiusmodi materiæ est, possit generari. Concederem vtiq; sulphor in superioribus cauernis, & tubis posse generari, quemadmodum & metalla, & metallica calore subsistente agente, & materia terrestri exiccata, & quasi adusta cum aëreis vaporibus, & oleaginosa substantia commixta: & hinc efficitur, vt plurimæ aquæ sulphureæ reperiantur; eoq; maximè, cùm in generatione metallorum ob ignis subsistentis vehementem actionem, sulphuris aliqua portio reperiatur; at id in locis, vbi Ignis cõseruatur, diutius aut reperiri, aut generari impossibile esse censeo. Quapropter quemadmodũ cum Aristotele causam efficientem calorum subterraneorum, & aquarum ignem constituimus, ita cum eodem, materiam, in quam agit ignis hic, & per quam conseruatur, potissimam statuimus esse terrá: nam cùm de varij saporis aquarum causis secũdo Meteorolog. ageret, in hanc venit sententiam. Sunt autem in multis locis fontes, & fluuiorum fluxus omnis generis saporibus effecti, quorum omnis causa in ignis facultate ingenitam, aut insitam, referenda est. Cùm enim terra aduritur, quia magis, aut minus adutatur, omnis generis colorum, saporumq; species accipit. Aluminis enim, & calcis, & aliarum huiusmodi facultatum plena redditur; per quas dulces aquæ, dum colantur, permutantur, & aliæ quidem acidæ fiunt, &c. Ex quibus verbis manifestè constat, terram eam esse, quæ à fobterraneo igne in sui substantiá trahitur, & qua mediante, tanquam pabulo diotius conseruatur. Sed & ratio docet, cùm maxima sit in altera qualitate similitudo, cùm tam ignis, quã terra summam quandam à natura habeant siccitatem. Igne igitur excalefacieote facilè terra potest aduri: & quamuis non ita omnis terra facilè ignem concipiat, aliqua tamé reperitur, quæ ita ignem in se admittit, vt etiam prunas faciat: testimonium huius rei aliquç Galliç Belgicæ prouinciæ nobis faciunt, in quibus cùm lignis destituantur, glebæ genus habent, qua vtantur, ad ignes faciédos loco lignorum: Cùm verò non ita facilè ignem admittat, vt sulphur, neque ita facilè cõsumatur, sed diutius conceptum ob duritiem, & densitatem cõseruet, maximè cùm elementorum semper mutua sit generatio, & corruptio, non est, quòd quæramus, quomodo iam diuturno igni terra sufficiat; & incommodo alij, qui aut bitumen, aut sulphur materiam, in quam ignes subterranei agerent, ponebant, maximè laborabant. Quòd verò omnes ferè sulphur, aut bitumen redoleant, id ob infernam ignis actionem accidit; igne enim excalefaciente, & exsiccante, materiæ, quæ in coniculis superiotibus sunt, cum aëreis vaporib* mixtæ, & cum exhalationib. crassiores, simul coalescũt, & sulphur, aut quippiam simile, metallicumq; producunt, per quas etiam aqua potest defluere, aut in iisdem locis igoi ex vaporibus in cauitatibus contentis. Hanc etiam si sequamur sententiam, incommodum aliud euitabimus. Nam quæcunq; alia tandem statuatur causa materialis, quã depascatur ignis, siue sulphur, siue alumen, siue bitumen, siue quippiam simile, cùm per eos illorũ qualitas aquæ communicetur, oecesse est aqoas omnes naturaliter calidas, & aliqua preditas esse qualitate, vt odore, vel sapore, & duras esse, sanlsq; omnino inutiles, cùm alioqui aliquas esse ab initio demonstrauerimus calidas ab ioitio, quæ tamé præstantissimæ sint, maximeq; ad quotidianũ potum vtiles: at nos, qui terram aliquam comburi, & calorem inde excitari docuimus, cùm non semper sulphur, aut metallicum in superioribus partibus reperiatur, facilè talem aquã optimam esse concedemus; aut certè solùm ex tubis in decursu caliditatem suscipere dicem*, cùm à principio sincera, & optima in proprio alueo per sublimationem genita esset. Est verò, quod etiam aliquid de harum aquarũ mixtura in genere dicamus, vt ad Hippocr. sententiam faciliùs intelligendam planus nobis aditus pateat. Quod verò hac in re dubitari solet, est, an à principio sui ortus pura, & sincera frigidaque esset, mox ex accidenti per corporum aliquorum occursum, & mixturam mixtæ, & per calores sub cuniculis existentes calidæ euadãt, an potiùs à principio sui ortus mixtę, & calidę nascantur. Videtur Aristot. eius fuisse sententiæ, cùm de causis saporum in aquis loquitur, aqoas omnes à principio sui ortus fuisse ex aëre, & subterraneis vaporibus, cæteras autem caloris, saporis, odoris, & coloris differentias ex accidenti prouenire, puta ratione terræ, & eorum, quæ in illa resident, per quæ fluũt. Probat haoc sententiam Gabriel Fallopius vir eruditissimus,

tißimus, ea ratione, quòd si ab initio suæ originis, & ita mixtæ, & calidæ nascerentur, in fontibus Aponi minus calidæ persentirentur aquæ, quàm quę è fontibus montis Grotti, Sancti Petri, & Domus nouæ, quòd illi longius à principio suę originis scaturiant, quàm ij enumerati. Non eam tamen Aristotel. fuisse mentem ipse crediderim, sed solùm id sibi voluisse, quòd quamuis puræ, & sinceræ aquæ in principio sui ortus nascantur, in defluxu tamē contaminantur, & mixtæ fiunt, calidæq; redduntur. quis enim nesciat, quòd sicuti simplex aqua ex simplici aëre, & vaporibus generatur, ita ex mixtis mixtæ, in suo tamen genere perfectæ producuntur. Et si ignes, & calores locis, vbi generantur, subsint, quare vapores calidiores redditi in aquam calidiorem verti nō poterunt; non secus quàm ex aqua in olla operculo obducta ebulliente calidas guttas per euaporationem in operculo factam generari videmus? quòd si mixta fuerit materia ebulliens, guttæ decidentes & sapore, & odore illi correspondebunt. Quod ex stillatitiis liquoribus ex balneo (quod aiunt) Mariæ factis, multò apertiùs licet conspicere: Sed & hoc validiùs conuincitur, quòd ex naturalibus iis aquis quàmplures sunt purißimæ, & sincerißimæ, quantum sit ratione ponderis, coloris, & substantiæ, nihilque à limpidißimis aquis simplicibus differentes; quod tamen si solùm per mixtionem illam abrasa portione materiæ, per quam decurrunt, mixtæ essent, fieri non posset. Accedit, quòd mixtura, quæ ex accidenti est, quæque per solam partium aliquarum corrasionem fit, non potest perpetuò sibi similis esse, & conformis, sed altiorem debet habere causam. Verùm hanc esse germanam Aristotelis mentem, & sententiam, manifestum inde fit, quòd non aliter in subterraneis aquas generari docuerit libro primo Meteorolog. quàm aquam in aëre pluuiam generari obseruamus: docuit autem Aristoteles (si modò illius sunt illi libri) in Problematis, hyeme dulciores fieri pluuias ob vaporum, & nubium sinceriorem naturam, econtrà autumno salsiores ob exustos, salsos, caliginososque vapores: quinimò certis locis, & temporibus sulphuratas aquas pluere testantur auctores: quas Olaus Magnus in Hyperboreis ob multitudinem, & minerarum, & sulphuris, ordinarias esse testatur. Multò igitur verisimilius est in subterraneis, vbi eleuantur mixti vapores, & materia vicinior est, magisque conclusa, & calores sæpe adsunt, & calidas, & mixtas esse ab initio. Quod verò Fallopius in contrarium adducit, non vniuersaliter concludit: non negamus enim nos in decursu aliquas aquas, quæ fortasse ab initio puriores erant, per longam colaturam mixtas reddi, & etiam effici ex frigidis, vbi per cuniculos defluant, calore subiacente æstuantes. Dicere etiam poterimus ab initio quidem calidas esse Aponenses aquas, sed in defluxu cuniculos habere calidiores, quàm alij fontes. Vnde, quamuis longiori tractu ferantur, caliditas ab initio acquisita augetur, & conseruatur. Miscentur itaque aut in sui prima generatione, vel vaporum admixtione: cùm aut in ipso fonte, siue in defluxu, diuersi generis vapores in se concipiunt, quorum naturam postmodum induunt, aut certè abrasa, & sibi admixta portione aliqua rei, super quam defluit, quæ omnium maximè imperfecta est commixtio. Quæ suis quoque signis interstinguuntur: primi enim generis limpidiores erunt, minusque mixtionem commonstrabunt, & sibi similes semper existunt, & ad regiones allatæ distantißimas non minorem habebunt virtutem, quam in propriis locis. Secundi generis sinceræ quidem, at non ita limpidæ, quòd in propria matrice per coctionem vapores illi non sine admixti, vt in priori, nec adeò vniformes emanant, quòd ex aqua, & vaporibus compositæ possunt aliquam ex tempore suscipere mutationem, & varietatem, nec ita conceptas facultates conseruant, facilè vaporibus successu temporum exhalatis. Posterioris generis quicunque vel mediocriter eruditus cognoscere ex mixtura poterit, & hæ pro potu in vsum duci non possunt, sed solùm pro balneis ad scabiem, & cæteras cutaneas affectiones auferendas. Ex iis, quæ à me hactenus proposita sunt, & explicata, con stat, quomodo aquæ thermales vi caloris nascantur, & quomodo æstuosæ dicantur: nunc superest, vt singulas ab Hippocrate hic propositas consideremus, vt videamus, an tales sint omnes, quales ab Hippocrate hoc loco sunt statutæ, ab iis exordientes, quæ ex terra nascantur, vbi est ferrum. Ferratas has aquas nusquam reperiri censuit Gabriel Fallopius; quòd difficile illi visum sit terrestrem admodum rem posse citra manifestam sui demonstrationem aquæ tenuißimæ admisceri: quódque eas, quæ pasßim à scriptoribus inter ferratas censentur, sublimatas nusquam videat ferrum emittere. Verùm non aliunde falsißima hæc opinio promanauit, quàm ex malè intellecta ratione, qua ferreæ aquæ dicantur, aut metalli alicuius participes. Venio enim & ipse in eam sententiam, aquas non eam suscipere ferri mixtionem, quæ corrasa substantia aliqua in fluxione fieri solet, hanc enim rerum cum aqua mixtionem inutiles ferè aquas reddere ad potum dicebamus: non negandum tamen est ex materia, ex qua concreta ferrum in subterraneis generatur, dum adhuc fusa est, nec in ferrum concreta & vapores eleuari posse, qui concreti in aquam tandem vertuntur, quæ postea ferreæ dicun-

tur, & si eodem modo subsistat argentum, aurum, æs, plumbum, argenteæ, aureæ, æneæ, & plumbeæ nuncupantur. Cùm verò metalla calore genita non nisi frigore condensentur, aquæ quæ à metallis denominationem habent, non nisi in matrice generantur: non autem in locis, vbi concreuerunt metalla: à loco enim vbi subsunt ignes, ad alia loca frigidiora, tanquam per venas funduntur liquata metalla, quæ postea à frigiditate terræ condensantur. Quocirca aquæ illæ cùm longiori tractu ferantur, & per loca, vbi metalla iam concreta sunt, aut actualem (quod aiunt) caliditatem amittunt, aut certè minùs multò calidæ redduntur; secus quàm in iis accidat, quæ aut sulphuratæ, aut bituminosæ sunt, quòd è materia calidiori, & admixtis multis exhalationibus fiant, subsistente maiori calore, quasique adurente. Quapropter mirari satis non possum, recentiores quosdam, qui de aquarum ferratarum temperamento agentes, statim ferrum concretum considerant, quod frigidum esse, & ea ratione tales etiam aquas suas reddere probant Aristotelis auctoritate quarto Meteorolog. vbi ferrum ex iis esse, quæ concrescunt à frigore per euaporationem totius penitus caloris, materia ergo frigida relicta est. Confirmant idem auctoritate Galeni nono Methodi medend. capite decimoseptimo: vbi, inquit, metalla, puta ferrum, æs, aurum habent suam consistentiam à frigore, tum & quarto Simplicium, vbi ferrum corpus esse crassum, & terreum: terrea autem eodem libro cap. de Terris frigida esse statuit, & sicca. Ratione præterea id confirmant, quòd quæ adstringenti facultate prædita sunt, frigida esse solent, vt docet quarto de Simplicium medicamentorum fac. cap. septimo, ferri autem squamam, & ferrea balnea adstringentem habere facultatem quotidiana experientia ostendit. Accedit postremò communis omnium scriptorum sententia, qui ferratas aquas omnes refrigerare volunt, vt sunt Calderianæ, Villenses, Boiæ in agro Florentino, Brandulæ in Regiensi, & Masinenses in Volturrena sitæ. Quasi verò ferrum, vbi iam condensatum fuerit, certum non sit frigidum esse, & actu, & potentia: potentia dico, quoniam cùm ob soliditatem suam natura in ipsum agere non possit, si adhibeatur, qualitatibus actu positis operatur: quamuis etiam si eo modo paretur in minima redactum, vt formari solent ex eo cataporia, nonnihil caloris habere certum sit. Verùm cùm ex eo nondum concreto, id est, ex materia, ex qua fit, eleuentur vapores, ex quibus aqua coalescit mixti cum exhalationibus calidis, & siccis ob ignes subsistentes, aut præsentes ex parte, hoc modo & calefacere, & æstuosas esse cum Hippocrate affirmabimus. In aquarum enim qualitatibus inuestigandis, & inueniendis, respicienda semper sunt principia. Hæc autem constat nihil aliud esse, quàm vaporosam exhalationem, & siccam, vt docet Aristoteles tertio Meteorolog. capite vltimo, quæ conclusa in visceribus terræ densescit. Quocirca & terram (subdit ipse) habent in se, & vruntur, quæ siccam habent exhalationem. Quapropter cùm ex actione caloris vapores, aër, & exhalatio calida, & sicca, & eleuentur, & terræ admisceantur, sulphur, quod eius est naturæ, sæpenumerò generatur, & ea ratione cum metallis ferè omnibus aliqua ex parte & generatur, & commiscetur. Quod etiam Galenus lib. nono de Simplicium medicament. fac. cap. de Metallis confirmasse visus est, cùm dicit, quòd, quemadmodum in speciebus terræ plurimū reperitur terreæ elementalis, ita in metallis omnibus plurima inest essentia, substantiáve ignis. Vnde inquit, cùm bona medicamenta ex iis parentur, diligenter sunt abluenda, vt acredo auferatur. Sed de aquis mineralibus, quas etiam thermales esse constat, manifesta est Galeni sententia primo ad Glauconem capite nono: & vndecimò Method. medend. capite nono, mineralia balnea, quòd exsicafaciant, inutilia esse febribus scribens. Tuetur etiam hanc sententiam Oribasius Sardianus libro primo ad Eustathiū, capite vigesimoseptimo, cùm aquarum calidarum sponte nascentium alias aluminosas, alias sulphureas, alias chalcanthosas, alias ferrum, aut æs, aut aliud id genus quippiam referentes esse, omnes autem vim excalefaciendi, & exiccandi habere vt plurimum scribit: Prosunt autem, inquit, corporibus frigidioribus, & humidioribus: Dixit autem, vt plurimum, non vt ferreas excluderet: non enim dixisset omnium dictarum aquarum eam esse facultatem, sed vt magis, minusque id illis inesse ostenderet pro earum varietate. Quod nobis manifestiùs ostendit in libro decimo, Collect. ad Iulianum, capite tertio: etiam ex Antylli sententia iis verbis. Balneorum sponte nascentium multò maior, & efficacior vis est, quā eorum, quæ arte parantur. Multæ autem eorum differentiæ sunt propter terræ, per quam feruntur, qualitatem: alia enim nitri, alia salis, alia aluminis, alia sulphuris, alia bituminis, alia æris vim obtinent, alia composita sunt ex multis harum qualitatum simul coniunctarum: vis autem omnium aquarum spōte nascētium est exiccans, & calefaciens prorsus, &c. & Paulus lib. primo, cap. 52. de Aquis calidis loquens sponte manantibus ferreas inter ipsas enumerat, & eas omnes calefacere non actu modò, sed etiam potentia docet. Ex Mauritanis etiam doctissimus Haliab. quinto Pract. cap. 14. aquam ferri & ficeare, & calefacere lienē scribit: quinimò in lienis affectibus, in quibus & calefaciēdum est, & exiccandum, plurimum tum Græci, tum & Arabes, & recentiores Latini aquas ferratas

ferratas commendant. His igitur positis concludendum est ferreas aquas thermales calidas esse, & cæteris etiam omnibus hanc eandem caliditatem inesse, quibusdam minùs, quibusdam magis. Ferreæ tamen, quòd respectu aliarum minùs calidæ sint, frigidæ dicuntur: potissimum cùm calidioribus iis partibus aliquę reperiantur, quæ vim simul habent refrigerandi: eoque magis, quòd refrigerare videntur, quòd in calidissimis passionibus in vsum venire solent, in quibus, quæ mediocriter calidæ sunt, infrigidare dicuntur; maximè cùm sanitas sit in mediocritate consistens à cõtrario inducta: frigida esset, si ad frigidam intemperiem reduceret, at ad mediocritatem adducit, quæ & in homine ad calidum vergit. Exemplo id aquæ tepidæ calidissimæ admixtæ facile inrel ligitur. Et hinc non sub cane assumi solent ob eam causam ferreæ aquæ, quòd, frigidæ cùm sint, calidissimo tempore assumendæ sunt, vt recentior hic somniauit, sed vt calore ambientis difficultas ad penetrandum, quæ alioqui in iis esse solet, quæcunque tandem eæ sint, vt dócet hoc loco Hippocrates, faciliùs euitari possit. Hac igitur ratione potissimum, quòd vi caloris ignei oriantur, quòd æstuosæ sint, duræ, difficilis penetrationis in sanis ad quotidianũ vsum inutiles esse scribit Hippoc. vnde iis, qui ex angustia pectoris, asthmate laborant, minùs conueniunt, nec iis qui natura strictas aluos habent. Verùm duo sunt, quæ difficultatem faciunt; primum, quòd sanis inutiles scribit (neq; enim de ægris id intelligendum est, quòd constet multis morbis conferre, de qua re consulendi sunt balneatij scriptores, cùm nostri instituti nõ sit hac de re agere in præsentia, qui Hippocr. sententiam & explicamus, & quomodo vera sit, docémus) cùm alioqui Auicen. & Razes prima medicinæ lumina inter Arabes aquã ferratam inter minerales habere aliquam laudem in quotidianò vsu dixerint, quia confortat viscera: quinimò vbi desint naturales, arte chalybeatas parant, in quibus pluries ignitum chalybem extinguunt. Alterum, quod & Paulus, & Aët. ferratas aquas potissimum arte per extinctionem chalybis paratas obstructis lienibus conducere, & obstructa viscera reserare scripserint, quos etiam recétiores omnes sunt recta ratione secuti, cùm nos ex Hippocr. hoc loco, & ratione docuerimus, & adstringenti facultate præditas esse, & difficilimè excerni per vrinam. An, vt vtrique dubitationi satisfaciamus, dicendũ est minerales ferratas aquas nunquam sanis pro quotidiano potu conuenire, quòd medicamentosam habeant ferri admixtam qualitatem, quodque & æstuosæ sint, & difficulter mingantur: nunquam autem huiusmodi cibis quotidianis admiscédæ sunt, quòd obstructiones pariant. At ferratæ arte paratæ per extinctionem chalybis aliquando in vsum traduci possunt (de iis enim credo locutum Auicennam) quòd mediocriter ferro sint dilutæ; at ne iis absolutè quidem sanis, sed in iis, quibus viscus aliquod obstructum est, tunc enim, sicut etiam minerales, pro ratione medicamenti assumptæ maximè conferunt: Cùm enim contrariis prædictæ sint facultatibus, aperire ex accidenti, nimirum exiccando poterũt, & villos densando visceris, innatumque calorem vniendo, facilè quod reliquum est excrementi, digerunt, atque excernunt: quod obseruatum ab Aëtio videmus libro decimo, capite decimo, in cura lienis in scirrhum indurati ex Galeni sententia. Æneæ eandem habent naturam: sunt enim & æstuosæ, duræ, & quæ difficillimè per vrinã excernantur, quinimò quòd duriores aluos, & adstrictas reddant, non tam metalli ratione fit, vt dicebamus, quàm ob pręuia ipsius principia, calorem agentem, & materiam: Cùm enim calore agente, & calidæ astu reddantur, & potentia ob admixtionẽ aduſtarum partium, & sulphurearum, meritò æstuosæ sunt: materia verò æris, vltrà terram, & vapores, & exhalationes proximior est chalcitis, & chalcanthum; cùm chalcanthum nihil aliud ferè sit, quàm chalcitis in aquam dissoluta, vt docet Galenus nono Simplicium medic. fac. & tractu temporis, inquit, transit chalcanthum in chalcitim: ex chalciti autem facilè in æs fit transitus: vnde & aquæ, quæ ex terra, vbi gignitur æs, promanant, solent esse puriores, quia ex natura digestæ, & percolatæ in terræ visceribus, spiritus potiùs metalli conceperunt nobilissimos, & tenues, quàm materiã ipsam, quæ tota mixta est, atque igneæ naturæ: virea tamen illius in se continent, qua ratione non mixtas modò, sed & contrarias habent facultates; nam & adstringentém æs maximam à natura facultatem sortitum esse docet Galenus 6. de Composit. medicament. secundùm genera capite 1. & 3. & 9. de Simplicium medicamentorum fac. & repulsiuam tertio de Comp. medicamẽt. secundùm genera cap. secundo: quin & maximè exiccare, & acre esse, discutiendiq; validam habere facultatem, & mordicandi docuit idem sexto de Composit. medic. secun. genera capite 4. & primo de Simplic. medic. fac. capite 17. vnde ob adeò contrarias facultates dicebat Plinius nullius naturam adeò admiratione dignam esse, & Galen. 9. de Simplic. medicament. fac. miratur in hoc metallo, quomodo vehementi adstrictioni caliditas non parua admixta sit. Hinc igitur non multùm nobis facesset negotij difficultas, quæ ex verbis Razis inter Mauritanos medicos eximiæ laudis oriri posset, quòd Hippocr. hoc loco æneas aquas aluum adstrictam reddere scribat, ob adstringentem materiæ æris facultatem: ille verò æneas acerrimas appellat, & quæ ebibitæ excretricem vrgeant facultatem, & laxent tandem,

tanquam medicina: quæ enim vapore æris solùm sunt imbutæ, & quæ paucam, & puriorem æris substantiam conceperint, licet sanis inutiles sint, & noxas eas pariant, de quibus hoc loco Hippocr. purissimæ tamen sunt, & in potibus medicatis, & in balneis tutissimas experimur, & electissimas: at quæ mixtionis tertio iam dicto genere improprio compositæ sunt, cùm abraditur portio aliqua metalli, & aquis commiscetur, acerrimæ sunt, & æris potiùs excrementis refertæ, aut chalcanthosæ dici debent, quàm æneæ: qua ratione fit, vt quamuis adstringentem habeant facultatem, cùm tamē igneæ sint, & acribus admodum excrementis refertæ, vbi assumantur, facultatem excretricem ventriculi, & intestinorum stimulant, quemadmodum in salmacidis aquis vsu venire videmus: de iis excrementitiis aquis, quales in Cypro esse legimus, locutus est Razes: quales etiam in Perside, de quibus fortasse experimentum sumpserat: In ea enim regione inter Crermam, & Cobinam insignia oppida tales se obseruasse scribit Marcus Paulus Venetus in suis itinerariis, quas alui profluuium inducere scribit, quemadmodum quæ in Cypro sunt, venenosas, & corrodentes esse experientia docuit. Aquæ verò, quæ ex terra nascuntur, vbi argentum, aut aurum nascitur, quamuis minores noxas epotæ, dum sani sumus, quàm aliæ thermales aquæ, inferant ob puriorem materiam, ex qua componuntur, in quotidiano tamen potu vituperantur etiam, quòd ob adustam materiam, & admixtas exhalationes, & sulphurosas partes, & æstuosæ sint, & difficilè excernantur. Ex auro tamen (vt & hoc obiter annotem) etiam liquato non eleuantur ita vapores, vt admixtionem auri eum aqua faciant, sed solùm ex præexistenti materia auri vaporibus mixta aquæ hæ compositæ producuntur: quò etiam fit, vt non tot, tantasque illis virtutes tribuamus, vt balnearij scriptores fecerunt: neque tamen cum Fallopio, & aliis eas negabimus, quòd aut durior sit auri, aut argenti materia, quàm vt mixtioni aquæ par esse possit, cùm non ex corrasione metallorum, sed ex vaporibus ab illis colliquatis, aut à præexistenti materia excalefacta eleuatis aquas metallicas thermales fieri docuerimus. Iisdem propemodum rationibus vituperat Hippocr. sulphuratas aquas: quæ nihilominùs etiam cæteras enumeratas malitia superant. Si enim aliæ ob caloris actionem nimiam, & ob mixtionem, quòd æstuosæ, quódq; difficulter, & per vrinam, & aluum excernantur, vituperantur, eæ, quòd maiorem vim caloris sortitæ sint, & impuriores sint ob mixtionem, magis venient repellendæ: æstuosæ enim dicebamus, tum quòd vi caloris generentur, tum quòd ob admixtas exhalationes calidas, & siccas, necesse erat materiæ calidæ, & portionis sulphuris esse participes; at in sulphuratis non modò vis caloris maxima est, sed materia tota ferè æstuans est, & calidissima. Mixtiones præterea eas etiam reddunt omnino noxias. Nam cùm tria sint temperamentorum genera, quæ ex omnibus aquarum impressionibus ab initio proposuimus, nempe quæ ex tota origine, ac essentia emanant, venarum, aut vaporum sunt qualitates, quos ipsæ aquæ concipiunt in suis venis, aut denique ex mixturis inficiuntur, quibus se aquæ obiter concorporant, sicque nouam quandam ex illis concipiunt qualitatem omnes sulphuris impressiones: de hoc tertio sunt vt plurimum genere, vel etiam de secundo; rarissimè ex primo consistunt. Quippe vt plurimum acquiruntur ex admixtione substantiæ sulphuris, ac aquæ simul: aut ex vaporibus sulphureis, quos ipsæ aquæ obiter imbibunt, rarissimè ex substantia, vaporeque ipso sulphureo, qui conuertatur in ipsas aquas. Et ratio est, quoniam sulphuris vapor, vel potiùs exhalatio natura calidus, siccúsque; idoneus idcirco magis ad producendos caloris effectus, atque ignis, quàm frigoris, atque aquæ. Bituminosæ pariter eandem ferè habent & mixtionem, & naturam; quapropter vltra eas, quæ ab Hippocrate hoc loco propositæ sunt, noxas, aliæ quoque à balneariis recensentur: nam sensoria, & maximè oculos lædunt: neruos quoque eas tenuiter calefacere asserunt, ac mox emollire, quare imbecillis, frigidisque esse vitandas. In eodem censu sunt & aluminosæ, & nitrosæ, & aliæ iis similes. Cùm igitur hæc ita sint, manifesta erit Hippocratis sententia hoc loco vituperantis aquas omnes sponte nascentes calidas, si in quotidianum vsum pro potu, & eduliis assumantur; sic enim intelligenda est Hippocratis sententia: quamuis enim quàmplures sint harum aquarum medicamentosæ facultates, quibus humano corpori languenti aliqua ratione maximè sunt vtiles, sanis tamen noxas afferre quasi inemendabiles solent: nam rem, quæ est medicamentum, quum pro alimento sumitur, si non possit à natura digeri, necesse est in malum conuertatur humorem, qui plurifariam postea sese exerit noxius: duplici enim ratione aquarum vsus in sanis institutus est, tum vt sedandæ siti aliquid sit, quod oportunè satisfaciat: id verò ex aqua, si simplex sit, facilè habemus; cùm hæc frigida sit, & humida, sitis verò humidi, & frigidi est appetitus; aquæ autem thermales omnes cùm aut actu, aut saltem potentia sint calidæ, & siccæ, non poterunt huic negotio vllo modo inseruire. In vsum præterea aquæ pro potu traducuntur, vt pulcherrimè docet Galenus 4. de Vsu part. cap. 5. vt tenui sua, & aquosa humiditate esse possint humori in ventriculo ex cibis iam parato tanquam vehiculum: neque enim commodè ex ventriculo in venas transumi

possel chymus ille, neque facilè pertransire venas, quæ sunt in hepate, nisi aqua sua tenuitate illum perduceret: at commodum hoc præstare non possunt aquæ calidæ sponte nascẽtes, cùm ob mixtionem terrenarum partium, & sæpenumerò adstringentium, minùs aptę sint ad penetrationem. Qua potissimum ratione hoc loco thermales aquas damnauit Hippocr. quòd per vrinas, & per aluum minimè omniũ excernantur. Quòd si, dum morbi alicuius gratiâ eas assumimus, oppositum cernamus, vt & facilè per vrinas expurgentur, & sæpenumerò aluum decurbent, vt quæ sulphureæ, aut subsalsę sunt, solent efficere; id ob quantitatem, & immixtionẽ cum cibis, & ob qualitatem accidit. Nam cùm operantur, id præstant quantitate, qua ebibitæ comprimunt ad excretionem, tum qualitate, qua præditæ sunt abstersiua: quin cæteris crassioribus rebus immixtæ natura ipsa cooperante detrusæ interna, quacunq; transeunt, mẽbra expurgant omni excremento. Contrà verò accidit, vbi aut in cibariis, aut in potibus sumendæ veniunt: nam ob modicam quantitatem neq; sollicitant naturam ad excretionem; sed cum alimento simul ad intima vsq; viscera distributæ, necesse est alterum duorũ, vel vt corrumpantur, & in malum vertantur humorem, vel certè vt assumptarum huiusmodi aquarum portio aliquam rei, cuius mixtionẽ habet, in venis, & aliis mẽbris, per quæ pertransit, & in sanguine faciat impressionẽ, cuius ratione, si non statim, saltem tractu temporis sanguis, aut spiritus, magnam aliquam labem contrahant; vnde ex insperato aut febris, aut viscerum inflammatio, aut vrinæ difficultas, aut calculi genus aliquod promanat, aut etiam dysenteria: quæ pericula inferre aquas, quæ per tegulas excolatæ sint, metallicas Galenus 7. de Composit. med. secund. loc. & vniuersa medicorum schola docuit.

XVI.

Ἄριστα δὲ ὁκόσα ἐκ μετεώρων χωρίων ῥέει καὶ λόφων γεηρῶν. αὐτά τε γὰρ ἐστὶ γλυκέα καὶ λευκά, καὶ τὸν οἶνον φέρειν ὀλίγον οἷά τε ἐστι. τοῦ δὲ χειμῶνος θερμὰ γίνεται, τοῦ δὲ θέρεος ψυχρά. οὕτω γὰρ ἂν εἴη ἐκ βαθυτάτων πηγέων. μάλιστα δὲ ἐπαινέω, ὧν τὰ ῥεύματα πρὸς τὰς ἀνατολὰς τοῦ ἡλίου ἐρρώγασι, καὶ μᾶλλον πρὸς τὰς θερινάς. ἀνάγκη γὰρ λαμπρότερα εἶναι, καὶ εὐώδεα, καὶ κοῦφα.

Optimæ verò sunt quæcunq; ex sublimibus locis, & terreis collibus fluunt: hæ enim & dulces sunt, & albæ, & vinum ferre quàm minimè possunt: hyeme autem calidæ scaturiunt, æstate verò frigidæ. Tales enim erunt, si fuerint ex profundissimis fontibus: maximè verò eas laudare oportet, quarum fluxiones ad Solis exortus erumpunt, & maximè ad æstiuos; oportet enim claras esse, fragrantes, & leues.

Aristoteles primo lib. de Anima rectum sui, & obliqui, & cognitionem parere, & iudicem esse docuit: Cùm igitur aquarum tractationem institueret Hippoc. nonnullis propositis aquis ad potum quotidianũ inutilibus, meritò iam optimam aquam ob oculos proponit, in præsentia, quibusq; notis hanc à cæteris interstinguere valeamus. Vt tandem hac cognita, cæteræ omnes nobis facilius innotescere possint; quanto enim a summa hac aquarum perfectione declinabunt, tantò minùs vtiles in potione esse cognoscemus. Asserit igitur optimas esse, quæ ex sublimibus locis, & collibus terreis scaturiunt: hoc verò ita non intelligendum est, vt quæcunque ex sublimibus locis, & terreis collibus scaturierint, eæ optimæ censendæ sint: si quidem multæ sunt, quæ aut ob aspectum cœli, puta quę ad Austrum spectant, perfectionem hanc amittant; alię etiam ob vitiatum solũ, vnde scaturiginem habent, non ita commendandæ sunt, etiamsi à sublimibus locis, & terreis scaturiant. Sed hæc conditio ita intelligenda est, vt cæteris, quas subdit, coniuncta perfectissimam aquam ostendat: subdit enim & aspectũ cœli, cùm dicit, maximè si earum fluxiones ad Solis exortus erumpunt, & quæ ad solum rectè dispositum pertinẽt, cùm terreos colles debere esse dicit: & quæ ad substantiam, cùm limpidã, & claram, tum & ad accidẽtia, cùm inodoram, & dulcem esse debere dicit. Ex sublimibus igitur locis scaturire debet aqua, vt in optimarum censu statuatur: nec certè ab re: si enim Aristot. opinionẽ de fontium generatione sequamur, qui ex aëre, & vaporibus in subterraneis cauitatibus condensatis, & in guttas versis voluit fontes fieri; ita vt vbi omnes in vnum coëant, fluxionique, & eruptioni paratę sint, fontes generentur, quantò sublimiora erunt loca, tantò magis aër in eis contentus magis naturã suam seruabit, minusq; terreus erit, & crassus, qui vbi in aquam vertatur, certè aëreas, quæ omniũ potissima est aquarum conditio, id est, & simpliciores, molliores, magisque permeabiles aquas generabit. Verùm quoniam non satis est ad optimam producendam aquam, vt in sublimibus locis producatur, nisi solum tale fuerit, vt aptum sit aëream hanc naturam in aquis relinquere; ideo addit, [*& collibus terreis*] vt aquas illas excluderet, quæ ex sublimibus quidem locis scaturiunt, sed tamen vituperandę sunt, tanquam nimis crudæ, & frigidæ substantiæ, quales quæ ex saxis originem habent. Quod verò Hippocr. de prima aquarum optimarum scaturigine docuit, Alemanus expositor ad earũ fluxionem malè traduxit: non negandum tamen, vbi tenuis glarea, sabulum masculum, vel arena aquis fluentibus subsistat, si à prima sui origine optimæ sint in eum statum conseruari: Si autem crudiores fuerint, etiam iis perfractis, & tenuatis, salubriores reddi. Lutum autẽ quod pro aqua puriore reddenda in fluxione ab eo-

dem tantopere celebratur, quòd & mundet aquas, & quasi expurget, partesq; extraneas separet, nunquam ipse commendauerim: tantú enim abest, vt hoc præstare valeat, vt potiùs feculentam quandam materiam, & saporem, & odorem terream aquæ communicet, impuriorem que omnino reddat. Quòd si Auicen. quandoque laudasse visus est, per lutum tamen ab eius interpretibus traductum malè, cretam claram, & glaream intellexisse certū est: quæ cùm purior sit, minusque apta naturam suam alteri communicare, poterit terrestriores aquæ partes in sese retinere, & hac ratione præterfluentem aquam puriorem reddere.

Hæ enim & dulces sunt.] Quamuis iis verbis videatur Hippocr. docere perfectiones aquarū in sublimibus scaturientium; eius tamen iis verbis præcipuus scopus est docere aquæ optimæ conditiones ea, qua diximus, ratione: Et dicit debere esse dulces: quamuis autem dulces appellet, non est tamen, quòd quispiam eas intelligat, quibus sapor insit dulcis; quòd enim huius quoque generis aquæ fontium existant, historiarū scriptores grauissimi perspicuè testantur. Pausanias vir in Græca historia nobilis refert, calidam esse Cardiæ aquam in campo, qui vocatur albus iuxta pagum Dascyri, quam bibentes homines lacte dulciorem sentiūt. Quin & fontis aquam præditā vini sapore iuxta Paphlagoniam inueniri narrat Theophrastus. Vini autem saporem sub dulci auctor idem collocat. Consimilem præterea fontem in insula Naxo reperiri scriptores alij memoriæ prodiderunt: de quo certè Propertium equitem Romanum, & poëtam iucundissimum in iis carminibus meminisse arbitror:

Et tibi per mediam bene olentia flumina Naxon,
Vnde tuum potat Naxia turba merum.

Non est, inquam, vt de dulcibus verè aquis intelligamus: siquidem omni sapore carere debere optimam aquam censuit Galenus primo libro de Simplic. med. fac. cap. 5. vbi optimam aquam tribus sensibus docet cognoscere, gustu, visu, & olfactu. In gustu eam commendat, quæ nullam offerat qualitatem, sed ad vnguē qualitatis expers appareat: quam sententiam quarto Simpl. med. fac. cap. 4. cōfirmauit, cùm eam, vt optima sit, omni qualitate saporosa priuatā esse debere scribit, neque habere dulcedinem, aut amarorem: quin & ratio id ostendit, si enim naturam suam seruare debet aqua, vt potulenta sit, erit frigida, & humida, dulcis autē sapor caliditatis soboles esse solet. Dicitur igitur dulcis, vt docet Hippoc. lib. de Alimento, in potentia, quia facilimè, cùm sit sine quocunq; sapore, dulcedinem cōtrahit. Dulcis etiam dicitur, quia grata, nullum tamen saporem sensui gustus offeret, nisi is sit aqueus. Cuius differētias miro quodā modo abstemij statim cognoscūt, aquarumque differentias ex sapore facilè colligunt, quas nemo ex iis, qui vino assueti sunt, animaduertere poterit: quemadmodum artifices videmus quoscunque peritos materiæ suæ minutissima sæpe quæque discrimina tenere artium illarum, idiotis inaoimaduersa semper.

Καὶ λευκά, & albas.] Quemadmodum superiùs dulces aquas dixit, id est, gratas gustui, sed sine omni sapore, ita hic albas appellat eas, quæ oullo colore sunt præditæ, sed claræ, & limpidæ: neque verò multùm abusus est hoc nomine: siquidem aqueus color tanquam sub genere sub albo continetur. Quòd verò per albas propriè albas non intelligat, manifestū nobis fecit Aristot. j. Problem. 8. Sect. & 5. de Gen. Animal. 6. vbi albedinem ab igne proueoire vt plurimum scribit, quod in cera, calce, & in cinere facilè quilibet animaduertere potest: ne igitur alienā hanc qualitatem aquæ tribuamos, omnino per albam aquam, splendidam, & perspicuam intelligere debemus. Obseruatum enim est albas aquas omnes habere aut calcis, aut cioeris, aut gypsi noooihil admixtum: Talis est Oaxes Scythiæ, talis Araxes Armeniæ, talis Etimátus Arcadię, qui fluuiorum albissimus esse dicitur.

Καὶ τὸν οἶνον φέρειν ὀλίγον οἷά τε ἐὸν.
quæ nos vertimus:

Et vinum ferre quàm minimè possunt.] Georgius Agricola lib. 3. de Natura eorum, quæ effluunt ex terra, optimæ aquæ conditiooes recensens, ita locum hunc interpretatur: quòd parua eius mole opus est ad vinum temperandum. Ego autem multò secus locum hunc expono, quòd quemadmodum vinum dicimus optimum, q̄d multam aquæ admixtionem ferre potest, ita econtrà optimam aquam statuimus, coi quantumuis vini parum admixtum fuerit, quàm minimè ferre potest, id est, statim admiscetur: & ratio est; quoniam sicuti optimum vinū dicimus vinosum, cuius partes cùm crassiores sint, & vires validæ, vbi aqua admisceatur, in sui naturā conuertit: ita econtrà aquæ, cùm ea laudetur, quę quàm leuissima est, & tenuissima, si vinum admisceatur, ob tenuitatem suam intra sua viscera admittit, sicq; quasi corrumpitur, & propriam naturam amittit. Exemplo certissimo experientia comprobato id conspicuum redditur: compertum enim est, si aquæ puteali, aut cuicunq; crassioris substantiæ vinum potens admisceatur in pauca quantitate diutius aquā illud ita respuere, vt non ita statim in sese admittat: quòd si in vas aquæ subtilissimæ fontanæ, aut cisterninæ vinum idem iniiciatur ob aquæ subtilitatem, statim ita permeat, vt vera quasi fiat mixtio: quod quotidie quilibet experiri potest.

Hyeme autem calidæ fiunt, æstate autem frigidæ.] Cur aquæ optimæ hyeme calidæ esse debeant, & æstate frigidæ, explicat, licet obscurè sequētibus verbis, cùm inquit: [*tales enim erant, si fuerint ex profundissimis fontibus*] quasi vellet aquas optimas eas esse, quę aëris ambientis iniuriis quàm minimum subiiciuntur, quia meliùs naturā pro-

ptiam

priam seruabunt. Id verò obtinent, si ex profundissimis locis scaturiant. Cur autem aquæ huiusmodi æstate frigidæ, hyeme calidæ esse soleant, non vna est antiquorum philosophorũ sententia. Peripatetici omnes ad contrarij circumobsistentiam, quam antiperistasim appellant, confugiunt, à qua & grandinem, & coruscationem produci docuit Aristot. 1. & 2. libro Meteor. in hac à frigore circumobsesso calore, in illa calore frigus intercludente; sic hyeme tepent aquæ in fontibus, æstate frigent. Tepēt quidem hyeme, subtrahente se intra cauernas terræ calore æstatis. Æstate contrà frigent, alteratæ nimium à frigore hyemali, quod æstate in euore refugit intra terram. Hanc visus est omnino reddidisse causam Alexaoder Aphrodisæus lib. 1. Problem. prob. 56. si modò non Aphrodisęi, sed alterius, aut Tralliani, vt ipse sentio, ea fuerint. Inquit enim; Cur aqua puteorũ per hyemem calida, per æstatē frigida est? quoniam contrarium omne suum vitare contrariũ solitum est. Cùm igitur frigidum, quod calido contrarium est, atq; exitiosum, fugiat per æstatem, cùm cœlum recalet, ad ima telluris refugiat necesse est, quò euenit, vt aqua frigida efficiatur. Contrà per hyemem, quoniam extrinsecus vergit calor, ad ima fugiens aquam tepefacit: Contraria enim per idem loci, & temporis, simul manere natura noluerat. Secutus videtur hanc sententiam Ruffus Ephesius lib. 2. de Porionibus, vt videre licet apud Oribas. 5. Collect. med. ad Iulianum, cap. 3. Hippocr. autē lib. de Natura fœtus aliam omnino videtur causam attulisse sanè quàm probabilem; quærit enim, cur fontes, & marinæ aquæ hyeme calidiores sint, & auctiores, totamque huius rei rationem in terræ superficiem extimam nimiùm condensatam, & in poros terræ minùs transpirabiles refert. Cùm enim, inquit, cauitates terræ tum ob aërem contentum, tum ob vapores ab aquis eleuatos, & attritos caliditate aliqua participent, & vapores calidiores inde eleuari soleant, cùm exitum sursum petentes non inueniant, retrocedunt, & in aquā mutantur: vnde maior aquæ copia eo tempore generatur: calidioresq; tunc sunt aquæ, quoniam calor vnitus est, & internus aquæ permixtus, minimeq; euaporatus. Econtrà autem, inquit, æstate internæ terræ partes multò sunt frigidiores: & rei huius rationem dat inquiens: terra æstate rara est, & leuis, nimirum Sole vehementiùs irruente, & ab ipsa humiditates ad sese trahente: vnde vapores eleuati ex aqua continuè cùm calidi sint, peruiamque inueniant terram, & transpirabilem, facilè exhalant, & euanescunt. Qua ratione fit, vt & minor aquæ copia per id tempus scaturiat, & frigida: cùm calor quicunque, & spiritus internus calefacere aptus euaporauerit per occultos terræ meatus reseratos. Tales enim erunt, inquit, vbi aqoæ à profundissimis partibus scaturiant; eò quòd cùm in profundo sit generationis earum locus, ęstate non possunt radij solares eò vsq; peruenire. Quòd si resides sint aquæ, & in superioribus partibus terræ generentur, cū Solis radij eò perueniant, minimè frigiditatem habebunt, sed temporis naturam, & temperiem seruabūt: & hinc aquas Austrum spectantium locorum vituperabat, quia à profundissimis partibus non scaturiųnt, sed in superficie terræ generantur; vnde æstate calidæ, hyeme frigidæ sunt: & hoc est meo iudicio quod Ruffus apud Oribasium dicebat. Hęc est Hippocr. de Aquarum calore in hyeme sententia, ab Aristot. opinione longè diuersa, quādoquidem ille in terræ densitatem, quæ ab humore proficiscitur, & frigore, spiritum calidũ exire, ac frigus ex ventis ingredi non permittente, causam refert. Aristot. autem, vt videre est locis citatis, sed potissimum primo Meteorolog. in tractat. de Pruina, & rore in frigus aëris, cuius præsentia calor intra terram compellitur, & illic veluti obsidetur, nulla densationis terræ facta mentione; sed vtraque probabilitatem habet, & defendi potest.

Maximè autem laudare oportet eas, quarum fluxiones ad Solis exortus erumpunt, & præsertim ad æstiuos.] Inter eas conditiones, quibus optima aqua, quæ tanquam Polycleti regula ad cæterarum differentias dignoscendas statuitur, solet designari, ea vna est, quam & superiùs innuit, cùm de vrbium situ, & positionib. variis loqueretur: proponens eas, quæ orientem spectant, in quibus optimam esse aquam docuit; & inferiùs cùm fontium scaturigines, & defluxus varios inter se in bonitate comparat, idem ostēdit, cùm ad alias conditiones, quę optimam aquam constituunt, illam etiam addendam docet, vt ad Solis exortus erumpant, potissimum autem æstiuos, cuius causa partim superius est explicata, partim inferiùs explicabitur: Sed & hoc loco ex parte ab Hippoc. tradita est, cùm dicit *(necesse est enim claras esse)* perspicuitas enim aquarum non aliunde prouenit, quàm ex eius tenuitate, & puritate, imò quasi aërea natura: Huiusmodi autem redduntur, vbi Solis calor ita in aquam agit, vt crassitudinem eius concoctione quadā auferat; neq; tamen ita eam adurat, vt subtiliores partes auferantur.

Καὶ εὐώδεα, fragrantes, vel odorantes] Hoc non aliter intelligi debet, quā quod superiùs exposuimus, albas, & dulces: quemadmodũ enim dulces dicebamus dici, quòd si quis est sapor gustui iucundus, dulcis is est. Cùm verò in aqua, quæ omnino sapore caret, laudare vellet delectationem, quam gustui parit, nec nomen saporis haberet aliud, dicit debere esse dulcem: ita pariter cùm puritatem aquæ laudaret, albam dixit, quòd color is maiorem impermixtionem significet quocunq; alio. Ita hic odoratas dixit, quasi nihil mali redolentes; quamuis omni bono etiam odore carere debeat, quoniam si odor halitus quidā est, vt Platoni in Timæo pla-

cuit, aut certè in halitu consistens accidens, vt Aristot. aqua, vt optima sit, externo halitui quã minimè debet esse permixta, vnde omnino odore carere debet.

Et leues] An statera pendẽda sit grauitas hæc, & leuitas aquarum, an ventriculo, & viscerib⁹, dubitare iure merito quispiam posset: Galenus enim lib. 5. Aphor. Comment. 26. cùm Aphorismum illum explicaret, qui etiam ab Hippoc. 2. Epidem. Sect. 2. repetitus est: Aqua, quæ citò refrigeratur, & citò calefit, leuissima est, nõ statera pendendam esse leuitatem aquæ voluit; sic enim, inquit, nihil magnum edoceret; præter id, quod per quendam circuitum illud inuenit, quod facile erat statim inuenire: nam si pondere, inquit, leuiorem aquam dignoscere quærit, promptum ipsi fuit ad proprium eorũ, quæ ponderantur, iudicium rem reducere, eiusque per lancem, ac pondus inquisitionem facere: Sed nunc leuiorem dixit aquam, quæ ventrem non grauat, & quæ citò permeat: Sicut isti contrariam grauem vocamus, quæ citò non permeat: quam sententiam secutus est Oribas. 5. Collect. med. ad Iulianum, cap. 1. & Plin. lib. 31. cap. 3. vbi aquas aliquas tam bonas, quàm malas æqui ponderis esse scribit, quales fortasse erant Amphiarati, & Eretriæ aquæ collatæ ab Erasistrato apud Athenæum lib. 2. cap. 2. quarum cùm æquale esset pondus, diuersa tamẽ erat bonitas: Cui rei etiam sæpenumerò experientia respondet: Ego tamen nequaquam existimo Hippocr. in hoc libro per aquas leues solùm id intellexisse, quod in Aphor. 26. 5 Sect. Aphoris. sed illis veram leuitatem maiorem inesse, quã in iis, quæ non probantur: certum est enim, si aquam fontanam optimam, aut cisterninam, quæ pluuia est, cum eadem portione, aut puteã lis, quæ fontana est, sed reses, pendamus, illam sursum ferri, & supereminere, hãs aũt deorsum ferri, & subsidere: at quod sursum fertur, & alteri supereminet, id leue est: quod verò deorsum fertur, & subsidet, illud est graue: hoc pacto enim definit Aristotel. 4. de Cœlo graue, & leue: quin inferius cum Hippocr. sententiam de Aquarum pluuiarum leuitate explicabimus: idẽ copiosiùs ex eo ostendemus, quòd non tenuissimas modò eas esse dicat, quæ sunt, quæ facilè hypochondria permeant, sed etiam leuissimas addat: neq; verò nostræ huic expositioni aduersatur Galenus loco citato; cùm ibi non neget aquam optimam leuissimam esse põdere; cùm certum sit tenuitati iunctam esse leuitatem tanquam necessariò consequens accidens: dicit autem eo loco Hippocr. leuissimas docuisse cognoscere ex eo, quòd facilè calefiunt, & refrigerantur, non quatenus ad lancẽ leuissimæ sunt; absurdum esset enim lance omissa, quę alioqui vera, & sola est ad id cognoscẽdum regula, eam assumere regulam, quæ & impropria est, & omnino secundum accidens: quocirca reuera leuissimam eo loco intellexit, quæ omnium facilimè hypochondria permeat (quæ alioqui & ad pondus leuissima esse solet) & reuera secundũ rationem: cùm ibi præcepta medica tradat ad corpus humanum necessaria; aquam autem leuem esse, qua leuis est, nihil ad hoc facit, nisi quatenus talis existens, facilè ventriculum, & viscera pertransit: at hoc loco cùm doceat medicum & aërẽ, & aquas cognoscere, vt in vsum medicum traducat, & inde naturas hominum posset cognoscere, eas leues dixit ad pondus: curiosa tamen, & sedula diligentia vti cuilibet opus est, vt in pauca quantitate differentiam hãc leuitatis, & grauitatis in aquis dignoscat. Verùm cùm rerũ ponduscula tam sæpe minuta coaptari ratione vix possint, ex Arabibus inuenio auctores quosdam excogitasse, qua id demum assequi ratione valeamus. Accipere nos iubent pannos lineos, laneósve duos exquisiti ponderis eiusdem, aut gossipij etiam pondera duo exactè eadem, quæ duabus itidem aquis, quarum facere periculum pariter statuerimus, & iisdem temporum momentis madescant simul, extracta nullo facto loci, tẽporisve discrimine, ad siccandũ reponantur, quod priùs exiccatum fuerit, id aqua leuiori imbutum credendum iudicant, & eam ad potum vtiliorem censent haud dubia tenuitatis maioris faciliùs exuaporatæ ratione. His igitur credidit Hippoc. nos optimam aquam cognoscere posse, indiciis sumptis à locis, vnde erumpunt, qui colles sublimes, & terrei sint, & per quos fluunt, qui sabulone, vel glarea tenui, vel arena scatere debent; à cœli partibus, sicq; ea optima censetur, quæ à locis ad Solis exortum potissimum estiuum nascuntur: à sensibus quoque sumitur eiusdem rei iudicium, à visu, vt quæ clara, limpida, & perspicua, tenuis, nulli alteri substantiæ admixta: à gustu, vt si dulces sint, id est gratissimæ, nulloq; prauo sapore refertæ: ab olfactu, vt si sint odoratæ, & fragrantes, id est, omni prorsus odore carentes: & à tactu, vt cùm æstate frigidas, hyeme calidas debere esse dicit: Quin & à substantia, & eiusdem consistentia, vt cùm leuem dicit, & quæ citò hypochondria permeet: iis signis optimam aquam, quæ sit ad alias dignoscendas veluti Polycleti regula, docuit cognoscere. Alia tamen sunt etiam, quæ partim ab eodem sumpta, partim à Galeno, & aliis medicis deprompta nos in huius rei cognitionẽ ducere possunt: docuit enim 5. Aphor. 26. aquã, quæ citò calefit, & citò refrigeratur, leuissimã esse, & optimam: quam sententiam repetit 2. de Morb. vulg. 2. Sect. hac enim facili sui transmutatione in contraria ostenditur aqua simplicissima, aërea: vnde & citò calefit ob sui tenuitatem, & citò ob eandem ad pristinam naturam mutatur. Est alterum itidem signum à Galeno propositum 4. in 6. de Morb. vulg. C. 10. vt scilicet legumina, olera, & radices facilimè in optima recoquãtur, sicut difficilimè in praua; quòd vbi tenuis sit, faciliùs substantiã etiam duriorẽ legumi-

leguminom permeet, vnde difficilè mollescere possunt: quòd si crassa,& terrestris fuerit, minimè id præstare poterit. Verùm à iuuantibus,& lædentibus desumptum signum, vt in arte medica nobilissimum est, ita in aqua dignoscenda nullo modo prætermittendum: quod nobis Palladius tradidit, incolarum corporis habitū, & sanitatem: nam si sani incolæ degant, fancibus bibentium liberis,& puris, capite, pulmonibus,& thorace insontibus, si venter indolēs, si viscera, aut latera, vel renes nullo dolore, aut inflatione vexentur, si vitia vesicæ nulla sint, dignum, inquit,& indubitatum de salubritate aquarum indicium habebitur. Hęc ferè optimarum aquarum indicia tradidit etiam Ruffus apud Oribas. lib. 5. Collect. ad Iulianum, c. 3. ex lib. 2. de Potionibus. Adduntalia signa recentiores: optimam enim censent, quæ in candidū linteum infusa non commaculet, quę feruefacta nō demittat fæcem, quæ alueum per quem fluit, nō commaculet, aut inquinatum reddat, qua bonus efficitur panis. Hæc,& alia addunt recentiores, quæ tamen cum superioribus ab Hippocr. traditis, cùm coincidāt,& ab illis pendeant, superfluūm duxi recensere.

XVII.

Ὁκόσα δὲ ἐστὶν ἁλυκὰ καὶ ἀτέραμνα καὶ σκληρά, τῷ μὲν πάντα πίνειν οὐκ ἀγαθά. εἰσὶ δ' ἔνιαι φύσιες καὶ νοσεύματα, ἐς ἃ ἐπιτήδεια ἐστὶ τὰ τοιαῦτα ὕδατα πινόμενα, περὶ ὧν φράσω αὐτίκα.

Quæcunque verò sunt salsæ, indomitæ, & duræ, ad hoc quidem, vt omnes bibant, non bonæ sunt. Sunt tamen aliquæ naturæ, & morbi, quibus tales aquæ in potu commodæ sunt, de quibus statim dicam.

Hac verborum serie Hippoc. meo iudicio nihil aliud nos docet, quàm quòd respondet taciæ obiectioni: dubitare enim meritò quispiam potuisset, quomodo tenues,& dulces aquas optimas statuis, crassas autem omnino,& salsas, & duras improbasti, cùm tum in morbis curandis, tum etiam in iisdē præseruandis, tuendaq; valetudine, vtilissimè in vsum traducuntur, vt in iis, qui nimium lubricam aluum habent, sæpenumerò medicos salubriter huiusmodi aquarū vsum laudare videmus: quocirca eæ, quę proximè propositæ sunt, tanquam optimę, minimè eo nomine venient recipiendæ, cùm in omnibus etiam sanis non conueniant. Huic difficultati satisfacit,& inquit, aquæ illæ durę, indomitæ,& salsę, quamuis aliquibus naturis, & morbis conueniant; cùm tamen vt plurimū vituperentur pro quotidiano potu, tanquā malæ sunt reiiciendæ: appellat autem salsas nō verè salsas, sed subsalsas, quales sunt Australes, q vi caloris quasi adustæ salsedinem contrahunt: Et has cùm pessimas statuat inferiùs, hoc loco cùm de aquis agat, quæ optimis iam enumeratis è directo opponuntur, meritò inter primas conditiones pessimæ aquæ hanc potissimam dicit,& primo loco posuit. ἀτέραμνα autē, quod nos indomitas aquas interpretati sum*, & σκληρὰ, eas intelligit, quæ crassiores sunt,& crudæ, quę à loco Septentrioni verso scaturiūt, & generantur: cùm enim radij Solares non satis in illis operentur, crudæ,& indomitæ remanent: Sunt tamen aliquibus naturis vtiles, de quibus inferiùs copiosiùs agemus.

XIIX.

Ἔχει δὲ καὶ περὶ τουτέων ὧδε. ὁκόσων μὲν αἱ πηγαὶ πρὸς τὰς ἀνατολὰς ἔχουσι, ταῦτα μὲν ἄριστα αὐτὰ ἑωυτῶν ἐστίν.

Habet autem & de his hoc modo. Quæ quidem fontes ad Orientes habēt, hæ certè omnium optimæ sunt.

Non vniuersalilla, tum deprauatorum aquarum natura, tum de optimarum cōditionibus tractatione contentus Hippocr. particularius in præsentia rem meam prosequitur: Quoniam cùm primum in bonitate locum aquas illas tenere docuerit, quæ vltra cōditiones alias id habēt, vt loca generationis,& scaturiginis ita habeant disposita, vt aquæ erumpentes faciāt fluxionem versus orientem Solem, potissimū æstiuum: decæteris aquis, quæ aliud habent ab hoc principium,& aliam fluxionem, difficilimum fuisset nobis afferre iudicium, quænam meliores essent,& quæ magis noxiæ, an quæ occidentem Solem respiciunt,& ad eum punctum fluxiones babent, an potiùs, quæ versuś Austrum, an potiùs, quæ Aquilones excipiūt: propterea in hac particula diligenter hoc prosequitur Hippocr. primumq; locum ea, qua diximus superiùs ratione, tribuit aquæ, cuius ortus Orienti exponatur,& quarū fluxiones versus eandem partem continuētur. Dixit autem πρὸς ἀνατολὰς, id est, ad Oriētes, vt non solùm punctum Oriētis intelligeremus, à quo Subsolanū ventum flare diximus, sed etiam laterales punctos, puta punctum æstiuum,& brumalē, à quibus duos ventos principales Cæciam,& Eurū diximus prouenire. Vndecūq; enim intra hoc spacium aquæ fluxerint, primum bonitatis gradum habent: quamuis ne sic quidem simpliciter similes sunt in perfectione: vbi enim directè orientem Solem respiciunt, meliores sunt; mox quæ æstiuum Solis exortum, à quo Cęciā dicebamus principiū flandi habere, respiciant, & ad illam lineam fluxiones habeant. Mox autem quæ fontes habent, Orientem quidē spectantes, sed magis laterales versus meridiem, vt quæ à puncto Orientis brumalis erumpunt, & per eam lineam fluxiones habent: nec certè ab re: nam si aquæ à medio puncto Oriētis nascentes, ea ratione laudātur, quòd radij solares eos percoquant mediocriter; quantò magis ab extremis distabit locus, tantò meliorem aquam

præbebit, qui locus medius est inter Orientem æstiuum, & brumalem, à quo dicebamus Apeliotem ventum oriri. Ab hoc secundum locum habet locus ad æstiuum Solis exortum: quia cùm natura sua aqua frigida sit, & humida nimium; cum locus is versus Septentrionis naturam paululũ deflectat, minùs aptus erit, vt Sol naturam aquæ omnino percoquendo ad naturalem statum pro hominũ beneficio in ea permutet. At si ab orientis brumalis puncto scaturiant, cùm magis ad naturam meridiei accedat, magis etiã aquas illas alterat, & subtiliores partes earum aliquantisper cõsumit. Vnde quamuis hoc loco nulla posita differentia vniuersaliter proposuerit aquas illas meliores esse, quę fontes habent versus Orientes, superiùs tamẽ, vt hanc differentiam magis particularem ostẽderet, magis laudauerat quæ emergunt ex fontibus Orientem æstiuum spectantibus. Neq; tamen hac in re à nostra sententia dissentit, qui magis laudauimus eas, quæ à medio loco inter æstiuum, & brumalem exortum scaturiũt: cùm enim eas magis probet, quæ Solem orientem aspiciunt, intelligit medium illum locum: sed quoniam plures sunt ij ortus, vt differentiã poneret, vel saltem innueret, inter laterales subdit; & magis si ab ęstiuo Solis exortu fluant: q̃d ita esse quiliber ex iis, quæ de situ locorũ ad Orientem positorum iam dicta sunt, intelligere potest.

XIX.

Δεύτερα δὲ τῶν τα μεταξὺ τῶν θερινῶν ἀνατολέων ἐστὶ τῦ ἡλίυ κὴ δυσμέων. κ̀ μᾶλλον τα πρὸς τας ἀνατολας.

Secundum ab his locum habent, quæ inter æstiuos Solis exortus, & occasus emergunt: & magis quæ ad Orientes.

Aquarum fontanarum, & per consequẽs fluuialium ordinẽ in perfectione prosequitur recensere, & secũdum in bonitate locum scribit obtinere aquas, quæ oriuntur inter ęstiuos Solis exortus, & occasus, id est, intra punctum, vnde superius lib. j. per circinum ductum, & diuisum docuimus exoriri ventum Cæciam, & alterum punctum, vnde Argestem exoriri dicebamus. Intelligit autem totum spacium Septentrionale, vnde Boreas medius, & illi collaterales venti Thrascias, & Meses fluunt: Vltra tamẽ hęc tria puncta comprehendi etiam vult spaciũ à puncto, vnde Meses oritur, ad ortum æstiuũ, vnde Cæciam oriri dicebamus, & alterum spacium à puncto, vnde Thrascias oritur, ad occasus æstiui punctum, vnde Argestem flare diximus: Et sicuti in iis aquas non comprehendit à puncto æstiui exortus orientes, quòd eas primum bonitatis gradum eo, quo diximus, modo obtinere superi⁹ docuerit, ita eas, quę à puncto, & adiacentibus partibus occasus æstiui scaturiunt, vnde Argestem docuimus exoriri, minimè hunc secundum gradũ perfectionis obtinere credimus, cùm sub sequenti eas collocet: & Ruffus Ephesius lib. 2. de Potionibus apud Oribasium 5. Collect. med. ad Iulianum, cap. 3. id ipsum ostendit, cùm post orientales aquas enumeratas, quibus primum bonitatis gradũ tribuerat, secundo loco collocat septentrionales, occidentales sub sequenti partitione collocans. Reddit autem ibidem rationem, cur aquę septentrionales secundum in perfectione locum obtineant, cùm dicit; quia dulces quidem sunt, sed immoderatiùs refrigerant. Cùm igitur magis accedant ad naturam aquæ propriã, ad perfectionem etiam accedere credendũ est: eam tamen non habent absolutè, quòd pro potu nõ opus sit simplicissima illa aqua, quæ quã proximè accedit ad naturam elementi, sed debet esse aliquantulum mixta, & refracta qualitatibus. Docuit enim Galenus j. de Simpl. medic. fac. cap. 5. sinceram dici aquam non secundùm naturam, sed ad sensum, & ad vsum: & rationi hoc maximè cõsentaneum est: cùm enim simplex aquæ elementum naturâ quam frigidissimum sit, inutile foret simplex, cùm frigiditatem magnam vix admittat humana natura cũ humiditate maximè impenetrabili. Si qua igitur aqua accedit ad puritatem elementi, ea cruda dicitur, quo nomine solo venit improbanda, plantis inepta, & omnibus animantib. iniucunda. Cæterùm cùm septentrionales sint huiusmodi, neque vllam aliam per admixtionem habeant labem, meritò secundum illis bonitatis gradum attribuit Hippocr. At quemadmodum inter primum illum gradum reperiri in perfectione differẽtias dicebamus, ita etiam in hoc secundo adesse ostendit, cùm dicit [*& magis quæ ad Orientes*] magis enim eas ad pfectionem accedere verisimile est, quæ etiam magis fruũtur beneficio solarium radiorum, quibus cruditas illa, cuius ratione minùs bonæ sunt, corrigeretur, vt eæ ad perfectiorum naturã magis reducerentur. Vnde satis non possum Alemanum demirari, qui cùm non videret infrà codicem esse deprauatum, ita particulã hanc corrupit, vt ne ipse quidem postea intelligat, quid illa sententia sibi velit Hippocr. legit enim; secundum ab iis locum habent, quæ inter æstiuos Solis exortus, & hybernos emergũt, & magis, quæ ad Orientes. Viderat enim inferiùs, cùm pessimas aquas ad censum reuocaret, inter alias pessimas statuisse, quæ inter æstiuum Solis exortum, & occasum scaturiunt. Non igitur secundum in perfectione locum habent, vt hoc loco visus est voluisse Hippocr. si legatur, vt à nobis, & communiter legitur. Quasi verò dum à contradictione Hippocr. conatur vindicare, eum magis sibi ipsi repugnantem non faciat: Semel enim, atq; iterum, superiùs docuit, primum, non secundum perfectionis gradum aquam illam obtinere, quæ ab Oriente promanat, id est, ab orientali puncto æquinoctiali, &

latera-

lateralibus æstiuo, & hyberno exortu, sed tamē inter duos laterales ea magis laudabatur, quæ est à puncto exort⁹ æstiui: quomodo igitur statim subdit, secundum gradum bonitatis habere aquam, quæ nascitur inter punctū æstiui ortus, & hyberni. Quæ verò est in Hippocr. apparens contradictio, suo loco diluetur.

XX.

Τρίτα δὲ τὰ μεταξὺ τῶν δυσμέων τῶν θερινῶν, καὶ τῶν χειμερινῶν.

Tertio verò loco sequuntur quæ inter occasus æstiuos, & hybernos scaturiunt.

Concludit hic in tertia fontanarum aquarū classe esse eas omnes, quæ scaturiūt in toto spacio incluso à puncto occasus æstiui, vnde Argestem oriri dicebamus, ad alterum punctum occasus hyberni, à quo Libap rouenire diximus, & intermedium punctum, à quo Fauonius. Illud tamen obseruandū est vniuersaliter, aquas, siue sint septentrionales, quibus secundum bonitatis gradum tribuimus, siue occidentales, quas in perfectione sequi dicebamus, vbi ventos ex Oriente perflantes recipiant, semp nonnihil propriæ imperfectionis amittere: quòd tum radij Solares magis directè respicientes, tū venti orientales perflantes, & aquas permeantes, de cruditate illa, & impuritate aliquid auferant. Ruffus apud Oribasium loco citato cùm septentrionales solùm nimia frigiditate vituperasset, has humano corpori noxias, & violentas scribit, tum frigiditate, tum duritie. Vnde raucedines, & laterum dolores, & conuulsiones scribit parere.

XXI.

Φαυλότατα δὲ τὰ πρὸς τὸν νότον, καὶ τὰ μεταξὺ χειμερινῆς ἀνατολῆς καὶ δύσιος. καὶ ταῦτα τοῖσι μὲν νοτίοισι πάνυ πονηρά. τοῖσι δὲ βορείοισιν ἀμείνω.

Pessima verò, quæ ad Austrum, & quæ inter hybernum Solis exortum, & occasum. Et hæ quidem ad Australes valdè praua sunt, ad Boreales, meliores.

Non possum hoc loco non multum mirari Alemani expositoris conniuentiā, qui hoc loco vbi in impressis Græcis exemplaribus mendum adeò manifestum suberat, non animaduerterit, vbi verò nullum aderat, præter rationē aliquod subesse suspicatus sit. Quis enim etiā non adiutus exemplari manuscripto Gadaldini non animaduertisset hoc loco, vbi est θερινῆς eius dictionis loco, legēdum esse χειμερινῆς, nam si primo maximè laudauit orientales, & magis quæ sunt versus exortum æstiuum, quàm quæ ad hybernum, quomodo nunc easdem maximè omniū vituperat. Asserit igitur aquas, quæ ad Austrum scaturiginem habent, pessimas esse: Et ne quis crederet eas solùm pessimas esse, quæ aut à puncto meridiei; vnde Austrum spirare docuimus, oriuntur, aut ad summum collaterales, puta illas, quæ à puncto, vnde Libanotum oriri, & quæ ab alio puncto collaterali, vnde Phœniciam incipere docuimus; subdit subsequentia verba [*& quæ inter hybernum ortum, & occasum scaturiunt*] vt eas etiam pessimas esse doceret, quæ intermediis spaciis inter puncta, vnde Libanotus, & Aphricus, & inter puncta, vnde Phœnicias, & Eurus perflare solent, scaturiginem habent, vt ex Circino primo lib. in diuisione ventorum posito quilibet facilè colligere potest. Nec certè id præter rationem docuit Hippoc. ob maximam enim radiorum Solis actionem subtiliores partes eus nescunt, & consumuntur, crassiores autem, & magis terrestres remanent, quasi adustæ, vnde salsiores etiam esse solent, calidiores, & ad meiendum difficiles; vt optimè annotauit Ruffus apud Oribas. loco citato, quamuis postea asserat moueream alnum: quod quomodo intelligēdum sit, inferiùs explicabitur. Accedit, quòd aquæ Australes ventorum ratione ad putrescēdum idoneæ maximè redduntur. Et sicut verisimile est, partes magis collaterales, puta quę magis sunt versus puncta ortus hyberni, & occasus hyberni, minùs malas esse, quàm quæ vicinæ sunt meridiei, & verè collateralibus punctis, ita Hippoc. per illa verba [*& eæ quidem ad Australes valdè praue, ad Boreales, meliores*] credo non ad partes respicere, cùm Boreales ex opposito sitæ sint, sed ad ventos, quos in fluxione recipiunt: vbi enim aquæ à parte meridiem respiciente scaturiant, in meridiemq; fluxiones habeant, ita vt Austrinos ventos excipiāt, multò peiores esse credendum est, quàm si in partes oppositas, id est, versus Septentrionem fluxiones faciant: sic enim Aquilones excipient, qui malitiam earum corrigere valebunt. Nisi etiam dixerimus per Australes, quas valdè prauas esse dicit, intelligere eas, quæ à puncto Austri, & collateralibus scaturiunt, per eas verò, quæ fluunt ad Boreales, quas meliores iudicat, intelligere alias, quæ nascuntur in spaciis à puncto ortus hyberni, & à puncto occasus hyberni ad puncta collateralia Austri. Sunt enim duo illa spacia magis versus Boream, quàm intermedia, vt quilibet ex Circino per ventos primo lib. diuiso facilè intelligere potest: vix enim hæc omnia intelligi possunt, nisi ante oculos ea figura ponatur. Ruffus apud Oribas. locis citatis vnum maximè notatu dignum subiungit, quod est, Nilū ab hac regula eximi oportere: positus est enim, vt credebant, & etiam fluit ad Austrum, cùm tamē eius aqua maximè commendari soleat: origo enim eius, quamuis antiquis & incognita fuerit, & omnino fabulosa, nostra tamē tempestate, quā ad vniuersum ferè orbem peragratum est, & nauigatum, constat ab extremo Aphricæ oriri, vbi alij Lunæ montes appellant, alij argenteos, alij de Bet; alij citra montes à lacubus maximis

in regno Goiamę, quod spacium vltra lineam æquinoctialem octauo circiter gradu Australi incipit,& hinc ad trigesimum vsq; gradū,quod est reliquum Aphricæ, ad mediterraneum terminatur,quod spacium in totum continet supra vigesies centies milliariorum,non computatis adhuc gyris,ac flexibus,quos toto itiuere hic fluuius facit innumeros: meritò autem licet meridionalis sit, aquarum meridionalium vitia non incurrit. Assidui enim illi calores tantum abest, vt absumāt partes subtiliores,vt potiùs eas & puriores reddant, & magis sinceras, & coctas: hoc autem illi soli à natura est concessum ob eius magnitudinem, & profunditatē, qua non modò non absumitur, sed potiùs percoquitur magis,& dulcescit. Accedit,quòd alij fluuij non ita salubres ad potum existunt,paucis exceptis,quòd continuis niuibus colliquatis, & pessimis aquis hinc inde collectis magni fiunt:Nilus autem si augetur,magis ex hybernis pluuiis, & maximis eo tempore, ita excrescit,& extra suos limites transfluit,quā colliquatis niuibus,vt ex relatione Frācisci Aluarezij,qui eas partes peragrauit,quilibet intelligere potest: quòd si etiam niuales aliquæ colligantur, eæ sunt in leoi quātitate respectu tam magnæ molis: pluuia autem tantum abest, vt perfectionem minuat,vt eam potiùs adaugeat. Quòd si ab initio aliqua insit malitia; aut in defluxu eam assequatur, cùm velox, præcepsq; currat, tum etiam longissimo cursu, cōfractis, domitisq; aquis, perfici tandem necesse est:quā etiam ratione non ita solarium radiorum vi, vt alij minores fluuij solent, excalefieri Niloticæ aquæ poterūt.Cùm præterea directo in Septentrionem, nusquamq; deflectente cursu,& flantibus ex aduerso Aquilonibus Nilus fluat,multum claritatis accipere,simul & tenuitatis, assiduo ventorū verberatu concussum, necesse est; vt licet turbidior primò appareat, mox tamen clarescat, & tenuitate multa limpidior semper euadat aqua: nec quāuis Aquilones flatus sentiat,noxam inde contrahit, accepto antea per tot terrarum spacia calore.Vnde prętet alios vsus multos fœcunditatem bibentibus aiunt esse paratam exinde. Quare olim [illegible]putatum militibus ab Imperatore scribuut, cùm de Nilo bibere licet et vinum poscentibus, paria cum vino facere posse Niloticæ aquæ potū existimare. Hactenus Hippocr. aquarum tractationem aggressus,quæ pessimę censeantur, docuit,sub iis palustres,lacustres,& id genus alias comprehendens: quæ præterea in malitia iis proximæ sunt,explicauit,sub iis collocans,quęque ex petris scaturientes fluunt, & quæ vi caloris erumpūt, quales thermales diuersi generis esse censuit, tum prætereà & quæ salsę sunt,duriores,& crudæ: ex aduerso etiam explicauit, quænam optimæ censendæ sint, quibusq;, vt hunc gradū perfectionis habeant, conditionibus præditas esse oportet. Mox cum ad fontes optimarum aquarum tractationem reduxisset, particulariter cuiusque; ortus fontium perfectiones, & vitia recensuit; primam orientalibus, secundā septentrionalibus perfectionem, sequentē occiduis fontibus triboens. Postremum autem locum obtinere censuit meridionalibus. Verùm quoniam sub fontanis aquis non currētes modò cōtinentur, de quibus hactenus locutus est Hippocr. sed etiam quæ longiùs, latiusq; peruagatæ flumina constituunt,& quæ resides dicuntur, quęuis fontes viuos habeant, quas nos puteales appellamus; vt optimè nos docuit Aristot.2. Meteorolog. diuidit enim terrestres aquas in fluentes,& resides primùm;& addit:ac fluxiles quidem omnes sunt fontanæ:mox subdit:earum verò,quæ sunt resides, aliæ sunt collectitiæ,& subsidentes,vt palustres,& quęcunque lacustres copia,& paucitate differunt, aliæ sunt fontanæ:ex quibus patet,sub fontanis resides huius generis contineri. Si quis verò etiā anceps sit animo,& quærat,quid sint aquæ fontanæ,quæ resides ab eodē vocatæ, is paruo negotio isthuc ipsum ex eodē Aristot.loco intelligere poterit. Ibi nanq; post ea verba,quæ proximè supra recitauimus, statim hæc habentur: ταῦτα δὲ πάντα χειρόκμητα, λέγω δ' οἷον τὰ φρεατιαῖα καλούμενα. quod est:eæ autem omnes manu constructæ sunt. Dico autem eas,quæ puteales dicuntur. Quamuis autē aquæ,quas appellamus puteales,minimè sponte fluant,tamen ars ipsa,vt fluant eædem,& scaturiāt,effecit: omnes enim quæ sponte fluunt aquæ, eas locum superiorē, quàm fluxio fit,habere necesse est. At aquæ puteales fontem habent inferiorē. Vt igitur fluat, & scaturiat, atq; in puteis ad quotidianos vsus recipiatur, hominum industria fit. & hoc erat, quod eodem loco subiungebat: quocirca fontanæ, & fluuiatiles aquæ sponte fluunt; hæ verò fontanæ resides, quæ puteales dicuntur, artis ministerio indigent. Rem hanc octauo lib. Architect. Vitruuius declarauit, in quo etiam eam,quam Aristot.posuit, fontanarum aquarū differentiam nobis significat;ita enim non longè ab illius libri initio scriptum est: Est enim aqua maximè necessaria & ad vitam,& ad delectationes, & ad vsum quotidianum. Ea autē facilior erit, si fontes erunt aperti, & fluentes; sin autem non profluant, quærēda sunt sub terra capita,& colligenda.Modum verò,quo fontium non profluentium capita quærenda sint, & colligenda, deinceps Vitruuius ponit,quem eundē & Plin. & Palladius postea in suis quoq; libris reposuerunt. Constat igitur ex his aquas fontium cùm fluentes, tum resides significare, fluuialesq; sub fluentibus poni, sicut puteales sub reside. Propterea nihil nos in hisce nostris commentariis præstitisse arbitraremur,nisi aliquid de aquis posteriorum horum duorum generum particulatim diceremus. Quamuis enim ex iis,quæ ab Hippoc.hactenus de fluuialium,& stagnantium natura dicta sunt, nonnihil

hil possimus colligere, quod ad præsentē speculationem faciat, multa tamen sunt, quæ peculiari aliqua consideratione indigent. Fluuij fontes sunt magnitudine, & aquarum multitudine differentes: ex fontibus enim sæpe multis, & fluminibus aliis, quibus sui itidem fontes sunt, aggregantur, & magni redduntur: nō vna autem est earum aquarum ratio in bonitate: aliæ enim potabiles sunt, & corpori vtiles; aliæ, quæ est plurima pars, inutiles. Sicut nec vna est earum natura, nec simplex semper vena. variantur enim primùm ob originem fontium, vnde emanant, sed maiorem sumunt ex aliis aquis per fluxionem admixtis varietatē. Accedit, quòd fluuius aliquis ab origine malus erit, qui in longo defluxu perfectionem assequitur. Longissima enim sæpe terrarum spatia emensi cursu, quemadmodum arenæ multùm euehunt, ita accepta, euolutaque per omnes partes, ea veluti fracta, detrahi potest crudi tas: sed & quasi detersa tota repurgatior aqua reddi potest ratione alueī, per quem fluit: hoc iam Nili exemplo superiùs manifestis rationibus demonstrauimus. Cùm igitur tanta sit eiusdem sæpe fluuij varietas, difficilè admodū est, aut vniuersaliter de iis dignoscēdis bonis, aut malis quippiam docere, aut particulariter hûc, vel illum perfectum, aut imperfectum stabilire: conabimur tamen breuissimè aliqua hac de re in vniuersum dicere, quibus quantum fieri poterit, fluuiorum aquæ dignoscantur. Laudantur itaq; fluuiales aquæ, quæ laudabili terræ genere, & felici cœli aspectu dulces è largo fonte emergunt, & copiosæ, & citato cursu, & longissimo fluentes patentibus, & Soli expositis alueis, saxosis, sed & multa glarea, viuoq; sabulo conspersis, quæ non recipiant multarū aquarum, porissimum mixtarum defluxum: quò fit, vt raræ admodum reperiantur fluuiales aquæ, quæ probandæ sint omnino, quòd raræ conspiciantur iis conditionibus insignitæ. Nilum laudauit antiquitas, & nostra ætas id probat. Persarum reges Coaspis, & Eulei aquas fluuiales habebant, quas secum, quocunque tenderent in peregrinationibus, circumferrent. Tiberis nostra ætate aqua præstantissima habetur, non statim tamen, sed subsidente priùs arena, purgamentisque omnibus hydriis ad id paratis; quas etiam non secus, quàm Persarum reges illi suas Eulej, & Coaspis aquas summi Pontifices Romani, quocunque irent, curarunt secum afferre purgatas. Puteales aquæ sequuntur. Hæ omnes crudiores sunt: nec certè immeritò; cùm rarò admodum ex halitu nascantur, vt fontes fluentes, sed vel per collectionem imbrium, vel quod sæpius accidit, per colaturam quandam per subterraneas venulas à mari, vel vicinis fluminibus: quò fit, vt ea puteorum aqua magis laudetur, quæ laudabilem habet originem, quæ prætereà per terram percoletur non viciatam, & quæ nullas habeat vicinas cloacas, vel latrinas, quarum impuritate contaminari aquæ possunt, quarum postremò putei structuram, & situm idoneum obtinuerint. Si enim puteales aquæ in proximo fluuio, lacu, vel palude excolatione, per occultos terræ meatus producuntur, quantùm origo erit melior, tantò magis putealis erit laudanda. Sed ne hoc quidem ad perfectionem satis est: aliquæ enim ab origine optimæ sunt, quæ ratione soli, per quod decurrunt, & in quo firmantur, deteriores, vbi excauati fuerint putei, redduntur: quales Bononiæ putei omnes pessimas habent aquas ob solum gypseum, per quod decurrunt: & Romæ, cùm alioqui ab electissima Tiberis aqua promanent, aquæ puteales duræ, & ad transeundum contumaces sunt vitio soli, quod totum tophaceum est, & salsum; tum etiam ex infinita propemodum subterranearum cloacarum, & latrinarum antiquarum innumera multitudine, quibus impuriores aquæ reddūtur. Et è contra multæ ab origine malæ sunt, quæ tamen percolatæ per solum purius satis commodæ redduntur; quales sunt puteales aquæ iuxta Padum, Danubium, Rhenum, lacum Thrasimenum, & alios, excauatæ. Debet igitur per terram nullo vitio, aut naturali, aut accidentali contaminatam percolari. Situm prætereà non parum facere ad perfectionem aquarum putealium dicebamus: si enim altis admodum in locis putei sint excauati, vnde altissimè veniant ad libramentum fluuij, magis laudabuntur: & prætereà si sub dio positi fuerint, & si publici sint: cruditatem enim, & crassitiem auferre videtur creber ille haustus, quo veluti percussa immissis ad hauriendum situlis aqua verberatione illa quasi exercetur, & tenuior redditur. Structura verò ampla esse debet puteorum, vt quoquo modo perflati possit, nec suffocari. Atque ex iis, quid de reliquis putealium aquarum differentiis statuendū sit, quisquam ex se colligere poterit.

XXII.

Τούτοισι δὲ περὶ ὧδε χρέεσθαι· ὅστις μὲν ὑγιαίνει τε καὶ ἔρρωται, μηδὲν διακρίνειν, ἀλλὰ πίνειν αἰεὶ τὸ παρεόν· ὅστις δὲ νούσου εἵνεκα βούλεται τὸ ἐπιτηδειότατον πίνειν, ὧδε ἂν οὕτω ποιέων μάλιστα τυγχάνοι τῆς ὑγιείης.

His autem hoc modo vti conuenit. Quicunque quidem sanus est, & valet, nihil distinguere, sed bibere semper eam, quæ præsens est, debet. Quicunque verò morbi causa vult commodissimam bibere, is, si sta fecerit, maximè sanitatem assequetur.

Dum optimam aquam suis circumscriptam conditionibus nobis cognoscendam præberet Hippocr. simul quænam omnino reiiciendæ essent à communi hominum vsu tanquam

inutiles, quales sunt exustæ, & salsæ, aut indomitæ, & crudæ, duræque, explicauerat: quas tamen in vsum traducendas esse ibidem docuis, tum pro curandis morbis, tum pro tuenda valetudine, & pro conseruanda hominum natura: & de iis inferiùs se actutum pollicitus est. Hoc in præsentia cùm velit explicare, vniuersale præceptum in omnium aquarum vsu, & potione proponit priùs; cùm priùs solùm in speculãda natura bonarum, & malarum aquarum versatus esset, de vsu simpliciter nulla facta mentione. Docetque eum, qui sanus est, id est, qui nullas culpatas habet operationes, & qui valet, id est, qui firmam habet valetudinẽ, & robustas vires, nullum discrimen facere debere in electione aquarum, sed quæcunque ad manus fuerint, eas bibere debere. Dixit autem quicunque sanus est, & valet, non pro synonimis, & idem significantibus dictionibus accipiens: sed quoniam sanus quidem esse potest quispiam, qui indifferenter aquis vti non debet, vt qui non multùm firma valetudine constat: vt etiam qui nimis fluidas, aut duras aluos habent, nec tamen sanitatis terminos excedunt: propterea dixit [*& valet*] cùm verò subdit [*nihil debet distinguere, sed eam bibere, quæ est ad manus*] non intelligit eum non debere discrimen in bibendis aquis adhibere omnino, sed omnes bibere, puta palustres, putridas, & medicamentosas: si enim sanus sit, facilè sanitatem amittet, vbi iis vteretur, sed omnea, quæ sunt ad man^9, re vera potabiles intelligit, quales sunt fontanæ quatuor generum, & pluuiales, & puteales, & aliæ similes. Vnde Aurelius Cornelius Celsus libro primo suæ Medicinæ, capite primo elegantissimè, vt sui moris est, vniuersaliter, quod hic solòm de aquis proposuir Hippocr. ad omnia transtulit, cùm inquit: Sanus homo, & qui bene valet, nullis obligare se legibus debet, neque medico, neque iatralipta egere. Hunc oportet varium habere vitæ genus, modò ruri esse, modò in vrbe, sæpius in agro, nauigare, venari, quiescere interdum, sed frequentiùs sese exercere; siquidem ignauia corpus debilitat, labor firmat, illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Prodest interdum etiam balneo, interdum frigidis aquis vti, modò vngi, modò id ipsum negligere. Nullum cibi genus fugere, quo populus vtatur. Interdum in conuiuio esse, interdũ ab eo se retrahere, modò plus iusto, modò non amplius assumere. Bis die potiùs, quàm semel, cibum capere, & semper quàmplurimum, dum modò hunc concoquat. Cùm igitur quis sanus est, & robustus, aqua vti debet, quæcunque sit ad manus: ob vires enim validas, si quid insit virij, corrigere potest, & superare. non debet tamen hac in te excedere. Quemadmodum enim paulò deteriorem cibum, & potum in ægris laudauit, modò ægris applaudat Hippocr. secundo Aphorismorum 38. & quarta Sectione, sexti libri de Morb. vulg. decimo: non tamen concedit simpliciter malum, sed paulò deteriorem: ita sani, & beneualentes, vt omnibus assuefiant, debent indifferenter genus quodcunque aquarum, quod sit ad manus, bibere. Non tamen vbi in malitia multùm excedant. tantum enim abest, vt corpora omnibus sufferendis assuefaceremus, vt potiùs in morbos iudiceremus. Quòd autem per sanum non genus quodcunque sanorum intellexerit, sed eos, qui robusta sanitate prædiri sunt, vt superiùs docuimus, facilè nobis ostendunt subsequentia verba: [*quicunque verò morbi gratia, & quæ sequuntur*] quibus verbis ægrotantes non indifferenter quocunque genere aquarum vti debere dicit; sed ea aqua, quæ commodissima sit ad morbum depellendum. Docet autem inferiòa, se non de ægris actu solùm loqui, sed de sanis, qui tamen valetudinarij sunt, quique nisi præternatrice artis medicæ parte tuerentur, in morbos laberentur: quales qui nimis adstrictas, aut molles nimium aluos habent. Sed hoc superiùs manifestiùs explicauit particula decimaseptima; cùm enim docuisset aquas salsae duras, & crudas, ad hoc vt io vsum communiter traducantur, inutiles esse; subdit aliquas tamen esse naturas, & morbos, quibus commodę sint. Quid enim per naturaa intelligit, quàm homines sanos quidem, sed ad morbos propensos? & hoc etiam est, quod nunc aggreditur docere, cum inquit.

XXIII.

Ὁκόσων μὲν αἱ κοιλίαι σκληραί εἰσι, καὶ ξυγκαίειν ἀγαθαὶ εἶναι, τουτέοισι μὲν τὰ γλυκύτατα ξυμφέρει καὶ κουφότατα, καὶ λαμπρότατα. ὁκόσων δὲ μαλθακαὶ αἱ νηδύες καὶ ὑγραί εἰσι καὶ φλεγματώδεες, τούτοισι δὲ τὰ σκληρότατα καὶ ἀτεραμνότατα καὶ τὰ ὑφαλυκά. οὕτω γὰρ ἂν ξηραίνοιτο μάλιστα. ὁκόσα γὰρ ὕδατά ἐστιν ἕψειν ἄριστα, καὶ τὰ κουφότατα, ταῦτα καὶ τὴν κοιλίην διαλύειν εἰκὸς μάλιστα καὶ διατήκειν. ὁκόσα δέ ἐστιν ἀτέραμνα καὶ σκληρὰ, καὶ ἥκιστα ἕψειν ἀγαθὰ, ταῦτα δὲ ξυνίστησι μᾶλλον τὰς κοιλίας καὶ ξηραίνει.

Quorum quidem ventres duri sunt, & ad hoc, vt exurantur, idonei, iis quidem dulcissima prosunt, & leuissima, & splendidissima. Quorum verò molles ventres, & humidi, & pituitosi sunt, iis durissima, cruaissima, & subsalsa conueniunt. Sic enim resiccari maximè possunt. Quæcunque enim aqua sunt concoctu optima, & maximè permeabiles, ea & ventrem maximè laxare, & eliquare possunt. Quæ verò sunt indomita, & dura, & minimè concoctu bona, ea magis constringunt ventrem, & resiccant.

Diuiserat superiori particula vsum aquarum pro

pro potu in duo genera, vel enim conseruamus sanitatem in iis, quibus inculpata à natura, & ab ortu corporis constitutio donata est, aut etiam artis beneficio, sic enim aut optima, aut etiam cuiuscunque generis aqua conuenit, modò putrida non sit, aut mineralis, vt aut in optimo statu conseruetur, aut vt facilè quibuscunque causis extrinsecus occursantibus resistere posit: aut in prophylactica medicinæ parte, vel etiam curatrice versamur, vtræque enim partes hae in re sicut in multis aliis conueniunt, vt illæ in vsum traducantur, quæ contrariæ sunt morbo, aut morbificæ causæ imminenti: superiùs primam partem prosecutus est, & duas has partes innuit, quas in præsentia diligenti opera exequitur, & dicit; [*quibus ventres duri sunt, & ad hoc vt exurantur, idonei*] Quod hoc loco proponit Hippocrates, non vna ratione accidere potest: duæ enim inprimis generales excrementorum alui retinendorum causæ esse solent, altera ex iis, quæ intrò sumuntur, assumpta, altera in ventrem, intestinaque refertur. Cibi consistentia nimium sicci, iidemque, & potus austeritate, acerbitateque aliqua præditi, aut in pauca nimis quantitate assumpti adstrictiorem aluum, & duriora excrementa possunt efficere. Ventris, intestinorumque culpa, quam alteram enumerabamus causam, excrementa, aut vno aliquo partium illarum naturali vitio, aut aduentitio cohiberi possunt. Naturale autem, aut aduentitium hoc vitium, aut primò in iis partibus est contractum, aut certè aliunde habuit originem. Primarij ij affectus aut intemperaturam solùm causam habent ab initio, naturaque sua contractam, aut aliunde acquisitam, aut certè instrumentali aliquo vitio fiunt. Præditus venter ab origine, vel etiam aliunde calido, siccoque temperamento, vel in infantili ipsa ætate præter eius rationem, modumque, reficcare aluum potest: potissimum autem siccitas id præstat. Potest prætereà, vt diximus, in ventre, intestinisque vitium aliud reperiri, quod instrumentarium sit; vt si fortè qui bilis in intestinum ad proritandum portionem defert canalis factus à natura iusto angustior fuerit: minor enim bilis copia ad intestinum allata, minùs etiam ad expulsionem proritabit naturam: sed præter ventris, intestinorumque vitia, quibus durior aluus, & calidior reddatur, aliunde quoque ingruere de corpore possunt causæ: idque in primis ob iecur propter viciniam, cuius calidius fortè, & siccius temperamentum attingere ventriculi, supernasque intestinorum partes, iisque ipsis siccitatem addere, simul & ex functione vehementiore paulò magis exsiccata ibi facere cuncta potest, vnde firmata sistatur aluus. Iis igitur de causis summatim durior aluus esse solet; quibus meritò dicebat Hippocrates dulcissimas, leuissimas, & splendidissimas conuenire; redditque rationem, cùm inquit [*quæcunque aquæ concoctu sunt optimæ, & maximè permeabiles, hæ & ventrem maximè dissoluere, & eliquare possunt*] vbi illud obseruandum est, vbi Aldinus, & Germanicus liber habent χωρητώτατα, id est, maximè permeabiles, Theodorum Zuingerum doctissimum legisse τηκτικώτατα, id est, ad eliquandum, emolliendúmve maximè opportunæ: & huius rei rationem reddit: quòd quæcunque extra corpus ad elixandas carnes, & emollienda, macerandáve quæuis alia maximè conferunt, eas in corpore quoque idipsum præstare verisimile est: sicque actiuè nomen illud interpretatur. Cornarius autem passiuè videtur legisse τηκτότατα, vertens, quæ facilimè coquuntur, & eliquescunt, nec in hypochondriis diu hærent. Quibus opponuntur τὰ ἀτέραμνα. Ego tamen duxi multò melius esse communem lectionem Aldi sequi, & Germanicam, quòd & vera sit, & optimum sensum habeat: iis enim verbis demonstrat, quomodo eæ aquæ omnibus illis causis satisfaciant, à quibus alui duritiem prouenire dicebamus: cùm enim facilè à calore nostro incalescant, & commodè ob subtilitatem partium permeent, duritiem alui, à quacunque causa proueneit, dissoluere necesse est. Nam si ab assumptis cibis proueniat adstringentibus (quod tamen vix in considerationem venire debet, cùm causa minimè sit perpetua) rectè permeando, & vias aperiendo, lenitatem, & mollitiem inducet. Si à siccitate, & caliditate ventriculi, & intestinorum fiat, aqua huiusmodi contrarias inducet qualitates, & per consequens vitium auferre potest. Si ab angustia meatuum, cùm eam statuerimus subtilissimam, & optimè permeabilem, vitium hoc facilè auferre poterit, viam bili parando ad transitum. Si denique ab intemperie iecinoris calida, & sicca proueniat, certum est hanc induratas fæces emollire posse, & simul contrariam iecinori qualitatem introducere.

Quorum verò molles ventres, & humidi, & pituitosi, &c.] Genus aliud naturarum tradit, cui ob nimiùm laxatam aluum, & pituitosam naturam aquæ non ita laudabiles conueniunt. Laxata autem nimium aluus quemadmodum nimis duræ contraria est, ita etiam contrarias habet causas: quamuis vbi iam limites sanitatis egreditur, multò plures habere certum sit. Fit enim in sanis, non tamen omnino integra sanitate fruentibus nimis laxata aluus, tum ob intemperiem frigidam, & humidam, & ventriculi, & intestinorum, vnde & pituitosi succi generantur, & magis aquosi facti facilius deiici possunt: aut propter facultatis ex-

pultricis robur, & retentricis imbecillitatem. Fit quandoque ob canalem illum bilem ad intestina ducentem ampliorem, quàm par sit: vnde maior copia bilis delata expultricem facultatem sæpius ad deiiciendum stimulat, aut etiam ob serosiorem humorem ex frigida, & humida intemperie iecinoris genitum mollia alui excrementa reddentem. His igitur durissimas, crudissimas, & subsalsas conuenire scribit, sic enim alui resiccari poterunt: & cùm crudissimæ non sint subsalsæ; sed hæ nimis potiùs coctæ, & adustæ, diuersis causis etiam diuersas has aquas conuenire credendum est: vnde inquit [*quæ verò sunt indomitæ, & duræ, & minimè concoctu bonæ, hæ magis constringunt ventres, & resiccant*] per minimè bonas ad concoquendum etiam subsalsas intelligit: si enim alui fluor ob bilis delluxum nimium ad intestina fiat, indomitæ, & ductæ conueniunt, acrimoniam bilis reprimentes: si verò molles, & humidi fuerint ob humoris copiam, aut ob intemperiem frigidam, & humidam intestinorum, sine dubio aquæ subsalsæ conueniunt: exiccant enim, & excalefaciunt.

XXIV.

Ἀλλὰ γὰρ ψευδόμενοί εἰσιν οἱ ἄνθρωποι τῶν ἁλμυρῶν ὑδάτων πέρι, δι' ἀπειρίην, καὶ ὅτι νομίζεται διαχωρητικὰ εἶναι τὰ ἁλυκά. τὰ δὲ ἐναντιώτατα ἐστι πρὸς τὴν διαχώρησιν. ἀτέραμνα γὰρ καὶ ἀνέψανα, ὥστε καὶ τὴν κοιλίην ὑπ' αὐτῶν στύφεσθαι μᾶλλον ἢ τήκεσθαι. καὶ περὶ μὲν τῶν πηγαίων ὑδάτων ὧδε ἔχει.

Sed enim mentiuntur homines de aquis salsis propter imperitiam: propterea quòd existimant salsa esse deiectoria: maximè enim contraria sunt secessui: sunt enim indomita, & incoctilia: quare venter ab ipsis magis adstringitur, quam soluatur. Et de fontanis quidem aquis sic res se habet.

Videbat Hippocrates inueteratam antiquorum opinionem de salsis rebus, & consequenter de aquis eiusdem saporis in eo, quòd arbitrati sunt salsa omnia deiectoria facultate esse prædita: vnde quis meritò ipsum reprehendere potuisset, quòd ad molles, & nimium laxatas aluos, vt ad mediocritatem reducantur, vtendum voluit aquis subsalsis. Propterea horum opinionem in hac particula reprehendit: cùm enim salsa omnia aluum deiicere, & ad excretionem proritare crederent, id ipsum etiam salsas aquas facere voluerunt: sed suppositum falsum esse constat ex natura salsorum diligenter considerata, quæ talis est, vt à calore nostro vinci, aut concoqui vix possit: vnde intus assumpta tantum abest, vt soluant, vt potiùs exiccare, & adstringere necessarium sit. Quæ Hippocratis sententia, quamuis experimentis, & multiplici ratione nitatur, est tamen quod etiam contrarium videatur persuadere, & multiplex grauissimorum virorum; quin etiam sua ipsius Hippocratis sibi repugnans auctoritas, & experimentum varium, & non debilis ratio. Quapropter vt hac in re quid sentiendum sit, breuiter explicare valeamus, quid hinc, & inde adduci potest, breuiter est considerandum. Hippocrates igitur hoc loco non modò non deiectoriam facultatem aquis salsis non attribuit, sed potiùs salsa omnia adstringere testatur. Sic enim legendum esse credo ex Theodoro Zuingero, & libro Græco manuscripto: καὶ ὅτι νομίζεται διαχωρητικὰ εἶναι τὰ ἁλυκά: cùm in aliis non legerentur illa verba: εἶναι τὰ ἁλυκά, vt non de aquis solùm, sed de salsis in genere loquatur. Quam sententiam facilè confirmare licet Galeni testimonio cum quarto de Simplicium medicamentorum facultatib. cap. vigesimo, & libro nono eiusdem, capite de Sale, tum secundo de Compositione medicamentorum secundùm loca, capite quinto: & Oribasij lib. decimoquarto Collectaneorum medicinalium ad Iulianum, cap. quinto. Sed etiam ratio id manifestè ostendit: salis enim natura calida est, & sicca, & propterea adstrictoria, & absterforia. Cæterùm cùm siccitas caliditate maior sit, in effectibus etiam eiusdem longè superat; siccat quippe vehementer, & superuacuum veluti humidum depascens omne exugit, demit laxitatem rebus, easque quodammodo corrugat. Vnde quæ salsa sunt, ea ratione in primis tabulis feruntur, vt adstringenti illa sua facultate morsiunculis quasi tentato ore ventriculi, corrugatoque, appetitum euocare possint. Hinc aquæ subsalsæ, vbi in vsum veniant, ventre, & intestinis multa pituita refertis, & superfluè humidis, vitium hoc corrigent, exiccante hac, & adstringente facultate. Vituperantur autem, vbi aluus aut bene se habuerit, aut adstrictior sit: Cùm enim terrestres sint, & crassiores, non facilè permeare poterunt. Sed diutiùs in corpore firmatæ, & in venis aut obstructiones facient, à quibus febres, aut sanguinem retentæ corrumpent. Quòd verò etiam adstringant, manifestum facit experientia aquarum Tettucij montis Catini oppido Pistorio in Hetruria confinis, quæ si in multa quantitate sumantur, puta à libra ad tripondium, quamuis ob eam, quam dicemus, causam per aluum excernantur, adeò tamen adstringenti facultate, & exiccante prẹditæ sunt, vt dysentericos etiam, si nomæ intestina corraserint, & multum sanguinem deiecerint, plerosque sanent.

Est

Est tamen, quod aduersus hanc sententiam nõ paruam faciat difficultatem. Primùm ipsius Hippoc. auctoritas lib. de Affectionibus versus finem, si modò liber is est Hippocr. vbi salsa, & aluum mouere, & vrinas ciere scribit: & secundo lib. de Diæta ante medium, salsamenta in cibo assumpta siccare, attenuare, & plerūq; aluū mouere testatur. Quod tamen hoc loco reprehendere ex professo videtur: quinimò Galenus lib. de Attenuante victus ratione cap. 3. habet hæc verba: Incidunt præterea, & quæ saporem quendam habent nitrosum, aut salsum, quorū etiam plurima aluum deiiciunt. Et Aëtius lib. 9. cap. 45. vbi de dysentericorum curatione agit, aquam putealem subsalsam esse scribit, ventremq; perturbare. Quod etiam firmari ratione potest: nam quæ detersoriam, & quæ mordicantem, & irritantem habent facultatem, facillimè possunt naturam ad excretionem prouocare. Huiusmodi autem esse sal, & salsa omnia vltra experientiam, & rationem docet etiā 9. de Simp. med. fac. cap. de Sale: quapropter ea, quæ salsa sunt, hac ratione, quòd abstergant, etiam dejectoria erunt. Accedit experimentum, quòd videamus aquas plerasque minerales, in quibus salis non parum sæpenumerò inest, vt sunt Patauinæ, tum & verè salsas, quales Tertucij per os assumptas pro variis curandis passionibus sæpenumerò alui excrementa deiicere, atque aluum mouere. Vidit has difficultates doctissimus inter Mauritanos scriptores Rhazes, & inquit auctoritate Ioannitij, laxare quidem aluum aquas ei, qui ipsas bibere consueuerit pungendo intestina, sed cùm vsus eis fuerit, retinent stypticando, & exiccando. Verùm solutio hæc, prærerquàm quòd non vniuersalis est, sed aquarum salsarum peculiaris, habet etiam in salsis aquis difficultatem, quòd hoc loco vniuersaliter Hippocr. salsas aquas aluum adstringere testatus est. Præterea oppositum experientia nos docuit in iis, qui aquas subsalsas balneares assumunt, potiùs progressu temporis alui deiectiones excitari, quā primis diebus assumptionis illarum. Rorarius, qui in Græcos plerosque scriptores medicos, & Arabes conciliationes locorum aliquot apparenter inter se contradicentiū edidit, ita conatus est hanc difficultatem dissoluere, & loca conciliare, habita consideratione ad magis, minusve salsas aquas: salsas enim impensè, quòd vehementer exiccent, semper etiam adstringētem habere facultatem credidit, qua etiam laxiores aluos adstringere possint; at contrà sub salsas voluit laxare, & deiicere aluum; cùm nō magna in iis sit virtus exiccans: Est verò non parua virtus irritans expulcricem facultatem ad motum: & hac ratione, inquit, Hippoc. cùm salsas aquas adstringere scribit, de impensè salsis loquitur: Cùm verò econtrà salsa laxare scriptum est, de subsalsis est sermo: vnde Aëtius cū puteales aquas laxare, & deiicere scribit, non esse salsas dicit, sed subsalsas. Verùm hæc difficultas omnino meo iudicio hac solutione tolleretur, nisi esset locus Hippoc. in contrarium, qui omnino huic sententiæ ex professo aduersatur, in hoc enim lib. particula 23. cùm regulas tradit circa aquarum vsum iis, qui nimiū molles, & humidas aluos habēt, in vsum traducendas esse scribit aquas subsalsas: Et ne quis forte interpretis errorem esse suspicetur, sciat in Græco esse ὑφάλυκα, quod subsalsum significare, constat etiā cuiuis in Græca literatura vel mediocriter erudito. Subsalsa igitur etiam aluum adstringunt, & siccant, quorum ratione postmodum es, quæ de salsis docet, omnia in considerationem venerunt. Andreas Baccius, qui lucu lentissimè, & omnium optimè totam balnearum materiam prosecutus est, vidit hanc difficultatem lib. 2. cap. 19. & ita conatus est eam dissoluere, quòd aquæ salsæ, aut in cibis, & potib. quotidianis in vsum veniunt, aut certè medicamenti vices subeunt, cùm ieiuno ventre assumuntur: primum si sumamus, an scilicet salsa omnia, & aquæ eiusdem saporis, si in cibis, & potionibus quotidianis assumantur, aluū deiiciant, an constringāt, sine dubio dicendum est aluum constringere, quòd cibis crassioribus admixtæ aquæ salsæ sua natura crassiores minùs commodè permeare possint, vnde retētæ diutius exiccant, & constringunt. Quòd si pro medicamento in vsum traducātur, cùm ieiuno stomacho assumantur, & in multa quantitate, omnino ea ratione habeant, quod eorum mordicantem, & irritantem facultatem obtundat irritando facultatem expultricem acri sua qualitate laxare, & multitudine deiicere aluum testatur. Hæc sententia, vt aliquid eam in se contineret faremur, quod veritatem habet, ita nullo modo loca proposita inter se conciliare poteſt. Quis enim nesciat lib. de Diæta, & lib. de Affectionibus, vbi Hippocr. salsa, & salsamenta quàm plurima aluum deiicere scribit, de iis in cibum assumptis loqui, vt ex ipsius verbis licet cuilibet obseruare. Præterea Gal. sententia lib. de Attenuante victus ratione necessariò intelligenda est de salsis in cibum assumptis, cùm alioqui afferat quàmplurima aluum deiicere: & Aëtius loco citato manifestè, cùm puteales sub salsas esse dicit, & aluum deiicere, de iis intelligit, non vt sunt vt medicamenta assumptæ, sed vt iis singulis diebus vtimur in potione. Quapropter hac parte omissa alteram partem eiusdem sentētiæ si quis amplexetur, facilè cognoscet ea facilè omnes has apparentes contradictiones posse cōciliari: si dixerimus salsa quæcunque ea fuerint, siue absolutè salsa, siue subsalsa omnia, quā talia, & secundùm se aluū adstringere, & exiccare, vt hoc loco Hippocr. testatur. Per accidens tamen aliquando possunt aluum deiicere, id est, si in multa quantitate assumantur, potissimum ieiuno ventriculo: nec mirum; nam acri sua qualitate, vbi multa, aut

in cibis salsis assumantur, vel in potione, potissimùm si ieiuno stomacho ventrem, & intestina abstergunt, & incitant expultricem ad munus suum obeundum. Verùm est, quod etiam faciat difficultatem locus Georgij Agricolæ libro 3. fossilium, vbi sal potissimum fossile Sarmaticum ad drachmæ pondus aluum deiicere experimento comprobat, & nos videmus leuē admodum eius quantitatem infusis per aluum admisceri ad irritandam quasi obdormiscētem expultricem facultatem. Verùm cùm illud ex vino dandum in potu doceat, vt deiectoriam hanc facultatem nanciscatur, manifestè ostendit quoque, quomodo possit aluum deiicere: cùm enim vinum salis alioqui natura sua crassioris, & terrestris, minusq; apti permeare ad intestina, substātiam subtiliorē reddat, moxq; etiam irritantem, & mordicantem facultatem eius magis acuat, potissimum cùm ieiuno stomacho sumatur, nihil aduersus nostram sententiam efficitur. In enematibus verò adhibitum potiùs stimulat, quàm constringat, quòd cùm in parua sit quantitate, multis lenientibus, & oleaginosis admixtum, vis eius adstringēs obtundatur, mordicans autem facultas, quę alioqui validissima est, non omnino aufertur, potissimum in intestinis natura sua ad sentiendum maximè propensis.

XXV.

Περὶ δὲ τῶν ὀμβρίων, καὶ ὁκόσα ἀπὸ χιόνος, φράσω ὅκως ἔχει, τὰ μὲν οὖν ὄμβρια κουφότατα, καὶ γλυκύτατά ἐστι, καὶ λεπτότατα, καὶ λαμπρότατα.

De pluuialibus, & quæ à niue fiunt, vt habeant, dicam. Quæ quidem igitur pluuiales sunt, leuissimæ, & dulcissimæ sunt, & tenuissimæ, & splendidissimæ.

De aquarum potabilium differentiis omnibus tractaturus Hippoc. cùm aliquot esset prosecutus, vt palustrem, & lacustrem, tum & fontanam cuiuscunque generis, sub qua & fluuialem, & putealem posuimus, postremò de cœlesti alio genere agit: quæ differentia quamuis nobilissima sit, non minùs tamen, quàm fontana, suas quoque habet differentias, quarum aliquæ sunt præstantissimæ, aliquę non ita laudabiles, quæ tamen in vsum venire possint, & aliæ ita ignobiles, vt omnino sint euitandæ: posterioris generis esse, quæ glacie, & niue liquefactis producuntur, docebit inferiùs. At verè pluuiales, tenuissimas, dulcissimas, leuissimas, & splendidissimas esse hic docet. Verùm cùm alibi inter pluuiales aliquas ponat differentias, quarum aliquas summis laudibus celebrat, alias verò aut vituperat, aut certè à perfectissima hac aquarum natura, & perfectione, aliquo modo deflecterę ostendit: hoc loco cùm aquas pluuias leuissimas esse dicit, & tenuissimas, dulcissimas, & splendidissimas, non de omnibus idipsum affirmare cēsendum est. Est enim propositio indefinita, affirmatiua, quæ particulari affirmatiuæ correspondet, non autem vniuersali, si ea, quæ in analyticis docuit Aristot. sint recipienda. Alioqui Hippocr. & sibi ipsi, & experientiæ repugnaret. Docuit enim 6. de Morb. vulg. Sect. 4. partic. 19 aquarum arte carentium, quæ ab æthere excreta est, aut cum tonitru, temporariam bonam esse, procellosam verò malam. Est tamen non mediocris hac in re difficultas, quid Hippoc. per ὡραῖον ὕδωρ, id est, aquam temporariam, & ab æthere excretam sibi velit: neque enim antiquos Hipp. expositores Græcos video in idem incidere, vt etiam annotauit Galenus in Comment. aliqui enim intellexerunt temporariam, id est, congruenti tempore delapsam: quam expositionē tanquam minùs artificiosam Galenus non admittit. Alij, vt annotauit Galenus, magis inter pluuias laudarunt ὡραίας, id est, verno tempore cum impetu excretas. Cuius sententiæ visus est fuisse Ruffus Ephesius lib. 2. de Potionibus, vt videre licet apud Oribas. 5. lib. Collect. ad Iulianum, cap. 3. vbi habet hæc verba: Vernales ergo, & hyemales opportunissimæ, ac optimæ sunt, quas ego sanè præcipuè laudo. Autumnales autem, & æstiuales fuerint quidem aliis præstantiores, sed non omnes omnibus: viribus enim eas antecellunt, quæ in terra sunt: quàm verò sint vernalibus, hyemalibusq; inferiores, dici sanè non potest. Nam æstate, & autumno terra secciores vapores edit, aerq; multas sordes habet, quæ à pluuis expurgantur. Idcirco fit, vt tales aquæ necessariò ficciores, nitrosioresque sint: & ad abstergendum, & per intestina descendendum accommodatæ: sed neque renibus, neque pulmoni, neque arteriæ idoneæ: quin etiam plus vini ferre necesse est, vt nitrosa facultas vincatur. Reprehendit Galenus sententiam hanc, quòd nullus ex Græcis scriptoribus ὥραν, verno tempori attribuit per excellentiam: sed eo nomine solùm insignitum est, quemadmodum & alia anni tempora. Neque verò ea ratione concedi potest vapores æstate eleuatos deteriores esse, quia sint ficciores: neq; enim vapores ficci dici possunt, nisi quis per exhalationis admixtionem ita ficcos appellauerit: quod tamen & maiorem aquæ subtilitatem, & maiorem aquæ coctionē arguit: maximè cùm vapores relinquat magna ex parte exhalatio, vbi ad mediam aëris regionem peruenerint, vt ex iis, quæ lib. de iis, quæ in sublimi fiunt, scripsit Aristot. quilibet potest intelligere. Aër autem æstate non modò non est excrementitius, sed potiùs eo tempore maximè clarus, omnique caligine destitutus conspici solet. Dicendum igitur est cum Galeno citato loco, ex aquis pluuialibus, quæ æstiua est, quæque ab æthere, id est, ex nubibus claris expellitur, primum locum obtinere: neque ob aliam

alism carterationem, qoàm ob asm, quæ à Galeno proposita ast, quæ ita habet: Æstatis tampora ao, quod horæ nomau apud Græcos obtinuit, sudo, serenoq; cœlo (ὑπὸ τε, enim, αἰθέρ@ ἀποκειδῶν, dixit) caloribus magnis aquei attenuàti vapores sublati tollōtur in aëra, inuisibiles; inobseruatiq; nobis; latent enim tenuitata aërea, tantumque ibi moram trahunt, donac propter aliquam ad frigidum mutationem, aut vàtis ax aduerso inter se flantibus, densatoq; circumambienta, vapores vnà ipsi in materia iam pluuiæ sansibilem dansentur, cadantq;. Quòd verò par horæam aquam intelligat æstiuā, probat, quòd media æstatis pars, in qna ariam fructus, qui ob asm ratiorrem horarij dicūtur, aut maturuerint, aut maturescere incipiant, eo nomine insigniatur: tempus varo id est diarum farè quadraginta, in cuius spatij madio Caniculā fare exoriri contingit; vt docat Galao. 2. da Alim. fac. cap. 2. Cuius verba sunt hæc: ὡραῖον ὀνομάζουσιν οἱ Ἕλληνες ἐκεῖνον τὸν καιρὸν, ἐν ᾧ μεσοῦντι τὴν τοῦ κυνὸς ἐπιτολὴν γίγνεσθαι συμβαίνει. χρόνος δ' ἐστὶν οὗτος ἡμερῶν τεσσαράκοντα, κατὰ τοῦτον ἐν τῷ χρόνῳ ἅπαντες εἰσὶν οἱ ὡραῖοι καλούμενοι καρποὶ. qood est: Horam anni appellant tempns Græci, in cuius madio Caniculam oriri contingit. Tampus autem hoc per quadraginta diarum spatium durat, quo vtiq; tempora omnes horæi fructus vocati proueniunt. Id verò ita esse docet Galenus ex præcedantibus verbis, aqua ab æthera excreta: vateres antem Græci cœlum nos ambiens exquisitè purum, æthera appallarunt. Caliginosum autem, & nubibus opacum, aëram vocara consueuarunt. Cùm varò æstate & purior sit aër, & qnasi calore flagrās, & ignitus, cùm aquam horæam dicit, quæ àb æthere ast axcreta, constat; aqoam æstate depluram intelligera. Hanc igitur ita ex vaporibus iis, æstu, Solisq; radiis, & sarenitate cœli tenuissimis redditis ganaratam cæteris pluuialibus præfarandā dicimus. Hanc proximè, quæ cum tonitru depluta rectè fortasse tonitruosa dici potest, facilè seqoitur. Fit autem tonitrus, cùm inclusus ignis continante eum nuba erumpere tentans excratus eruptionem facit, cadētibos tunc fulminibus, aut cùm mutuo attritu colliduntur inter se nubas: quocunqua autam modo fiat, samper magis alaboratam aquam reddet, & magis axcoquar. Nimbosa autam vituparatur, quòd in ea constitutione continua quædam, & obscura, atraq; nubes circa densatum aëram consistit vniuarsum occupans, vnda etiam non fiunt tonitrus tunc: quia cùm vna continua sit nubes, nō potest ad alteram, cùm totum occupat, allisione facta refrangi, tonitrumq; efficera: vnde segnior omnino aqua ex procellis; neque tam collisionib. intar se, attrituq; mutuo, quàm tonitruosa, aut æstiua illa, quam priùs diximus, alaborata, veraque ex crassioribus vaporibus crassior, ideóque duabus illis meritò posthabenda. Quod igitur indefinitè affirmauit Hippoc. aquam pluuiam esse leuissimam, dulcissimam, tanuissimam, & splandidissimam, nō in vniuersum de quacunque aqua intelligara oportat, sed solùm ex deplutis aliquam essa speciem, quæ cætaras omnes iis conditionibus superat.

XXVI.

Τὸ λεπτότατον γὰρ αὐτῆς καὶ κουφότατον ὁ ἥλιος ἀνάγει καὶ ἀναρπάζει τοῦ ὕδατος, τό τε λεπτότατον καὶ κουφότατον.

Quod enim primò Sol ex aqua educit, & sursum rapit, tenuissimum est, & leuissimum.

Quatuor conditionas aquæ pluuiæ principales inesse dixerat superiùs, summam tanuitatem, leuitatem, dulcedinem, & claritarem, ex quibus duas priores in præsanti particula rationa ex naturalibus rebus desumpta aidam inesse demoostrat. Orta enim à principiis naturæ quandam similitudinam assumunt: qualis igitur mataria, ex qua pluuia generatur, fuerit, talem quoque asse oportet ipsam aquā pluuiam: vt autem Solis, quòd ax aquis iis terrenis sursum trahitur, pro mataria pluuiarum tanuissimum est, & leuissimum: Cuius signum ast, quòd sursum maximè feratur: aquá igitur, quæ ex huiusmodi materia facta est, omnium aquarum leuissimam, & tanuissimam esse necesse est. Daclarauit hoc manifestè Aristotel. 2. Mataorolog. vbi da maris tum genarationa, tū sapore disputat iis varbis: Cùm autem Sol ita feratur, atqua ob eam rem mutatio existat, ortusqua, ac interitus, quod tenuissimum ast, & dulcissimum, qnotidia sursum fartur, idq; disgregatum, & in vaporam commutatum, superiorem locum petara apparet: ibi varò ob frigus concrescit, iterumq; ad terram fertur: quā rem natura vult perpetuò facera, sicut antaa dictum ast. Verùm vt hoc maliùs intalligi possit, illud est obseruandum ex priocipiis Aristotel. depromptum in Meteorologicis, quòd caloris proprium est diuidera, & quæ crassa sont, attanuare, rarioraq; afficere, & leuiora. Cùm igitur quod natura sua rarum est, calidum, & leue est, sua natura conscandat, afficitur, vt radiorū Solis, & reliqui suparni caloris vi, & efficiētis, humoris, qui terram ambit, secernatur, & in vaporem abeat, supernasq; partes conscandat, tum & vt ex aqua copiosus aliciatur, non qoidē radiorum Solis reflexione in aquam: qoandoquidem potastate, & natura frigida cùm sit, solo as tritu radiorum incalescera non valet, vt aër: qoi cùm calidus sit, radiis interceptus, eorūdam vi commouatur, & valuti attaritur, aoq; modo calidus redditur, cùm natura, & potastate atiam calidus sit: aëre varò calefacto, ea, quæ illi contigua est, aqua inealescit, tum eios virtute alta, quæ sequitur: iis calafactis, elanantur ea, qua diximus, ratione vaporas, vt experientia in lebetib. igni superpositis, & in aquis arte Chymica per distillationam (vt aiunt) alieitis facilè con-

ſpici poteſt. Eleuari autem à calore, tandem à quo eleuabantur, deſtituuntur, quòd alia ipſius vaporis pars ad aëris, & ignis locum cõſcendat, quamuis non vt vapor eſt, ſed exhalationi mixta magna ex parte, alia aëris, & loci nimia frigiditate, quem nos mediam regionem aëris vocamus, iterum concreſcit, & in aquam mouetur, ſicque etiam aëris aliqua portio eadem ratione in aquam vertitur, moxque cùm grauitatem ob naturalem aquæ conditionem nanciſcatur, deorſum rurſus ferri neceſſe eſt. Plinius lib.31. Natur. hiſt. c.3. cùm in hæc verba Hippocr. incidiſſet, nec ſatis ipſe aquam pluuiam laudaret, inſurgit iis verbis aduerſus medicinę parẽtem Hippoc. Nec leuitatis in pluuia aqua, inquit, argumẽtum eſt ſubiiſſe eam in cœlum, cùm etiam lapides ſubire appareat, cadensque inficiatur halitu terræ: quò fit, vt pluuiæ aquæ plurimũ ineſſe ſordium ſentiatur, citiſsimeq; ideo calefiat aqua pluuia: hæc ipſe. Vitruuius quoque lib. de Re militari Plinium ſecutus eos hallucinari putat, qui imbrium aquã maximè probant ob id ipſum, quòd leuiſsima ſit, vt quę ſubire potuerit, atq; pendere in aëre: hac enim ratione, inquit, niues, & glacies (per glacies verò intelligit grandines) quas conſtat imbribus eſſe leuiores, in aquam ſolutæ præferri deberent, quæ tamen & meritò ab Hippoc. repudiantur. Sed priori Plinij rationi facilè quiſpiam ſatisfaciet, lapides, & id genus grauia ventorum vi attolli, & in ſublime agi, quid enim aliud eſſe cauſæ dicemus? hocque facilè ex Ariſtot. in Meteorologicis colligitur: & Auicen. pluiſſe quandoque vitulum teſtis eſt luculentiſsimus: hæc omnia concedenda ſunt; at nulla eſt pluuialis aquæ ad hæc comparatio, illud quidem accidit furentibus Auſtris, cunctaque agitantibus: at pluuiæ materiæ tranquillo, pacatoque cœlo, poſtquàm venti omnes quieuêre, ſenſim ſurſum attolluntur rapti vapores de aquæ ſubſtantia tenues vi radiorum Solis: in qua conſtitutione, ne mente quidem concipi poteſt, lapides ſurſum ferri. neque enim eo tempore vllius alterius generis materia ſurſum ferri poteſt, niſi extenuata, & aëris quaſi naturam nacta fuerit. Niualis autem aqua non alia ratione vituperatur, quamuis ſupernas partes petierit, & in aëre pependerit, vt optimè docet Paulus Æginets lib.1. cap.50. quàm quòd in congelatione tenuiores quæcunque partes veluti expreſſæ conſumptæ ſint, craſsiores autem & terreſtriores remanſerint. hanc cauſam Ariſtot. tribuit Gellius lib. 19. cap.5. quoniam cùm aqua, inquit, frigore aëris duratur, & coit, neceſſum eſt fieri euaporationem: quod verò ex ea euaporatur, leuiſsimum eſt. Manet autem quod eſt grauius, ſolidius, & inſalubrius. Vnde id inferiùs docebit Hippocr. ea ductus ratione, quòd minor reperiatur quantitate aqua poſt liquefactam glaciem, quàm quæ erat ante condenſationem.

XXVII.

Δῆλον δὲ αἱ ἅλες ποιέουσι. τὸ μὲν γὰρ ἁλμυρὸν λείπεται αὐτέου, ὑπὸ παχέος, καὶ βαρέος, καὶ γίγνεται ἅλες. τὸ δὲ λεπτότατον ὁ ἥλιος ἁρπάζει ὑπὸ κουφότητος.

Manifeſtum autem hoc Sol facit: ſiquidem quod ſalſum eſt, iſtic relinquitur ob craſſitiem, & leuitatem, & fit ſal: quod verò tenuiſsimum eſt, Sol ſurſum rapit ob leuitatem.

Exemplo, quod iam propoſuerat à ſale deſumpto facilè confirmat: credo enim non de mari, quod hoc loco ab Hippocr. proponitur, intelligi: neque enim nomen ἅλες, vſquam reperio apud Græcos ſcriptores ſumi pro mari: quòd ſi quando etiam hoc inueniatur, id impropriè fit, & tanquam ſale præditum: dicitur enim ἅλς, quaſi ἀολλὴς congregati, & in vnum condenſati: quod ſalis proprium eſt. Præterea hoc facilè licet ex ſequentibus colligere, ſtatim enim de mari loquens ipſum non ἅλς appellat, ſed θάλασσα. Accedit, quòd ſi in hac particula id de mari demonſtrauit, ſuperfluitatis, idem in ſequenti docens, eſſet arguendus. Non negauerim certè hoc ipſum quod conatur probare, Solem ſcilicet ſubtiliſsimas, & tenuiſsimas partes eleuare, exẽplo maris, eiusq; ſalſedinis commodè demonſtrari poſſe: ſiquidem hoc docuit Ariſtot. 2. Meteorolog. ex mari ſemper aliquid dulce, & potabile eleuari: grauius verò & magis inconcoctum remanere; quod cùm incoctum ſit, aut certè admixtum habeat ſuccũ, quòd effugerit coctionem, & actionem Solis, ſalſum eſſe neceſſe eſt: eoq; ſalſius reddi, quòd exhalationes ſiccæ, & exuſtæ, marinę aquæ admixtę, marinam aquam inquinatam, & ſalſam, vel amaram reddunt, potuque minimè aptam. Quod docet etiam Plinius lib.2. cap.103. vbi autumno mare ſalſius eſſe teſtatur: Et Ariſtot. 2. Meteorol. ſalſiuſculas autumnales aquas pluuias aſſerit, quòd ob vim Solis magis attractæ ſint in æſtate dulces partes: craſsiores autem, & ſalſiores remanſerint: ex quibus etiam cùm eleuẽtur vi Solis tenuiores partes, cùm eæ pauciores ſint, ſimul etiam craſsiuſculas eleuari, & ſubſalſas oportet, contrà hyeme. Sed ſalſedinẽ maris relinquentes, ad id, quod hoc loco de ſale docet Hippoc. exponendum accedamus. Sal aut eſt naturale, aut arte factum, id eſt, quod ex fontibus, lacubus, & puteis ſalſis vi ignis conficitur. Illud verò itidem duplex, vel minerale, ſiue foſsirium, alterum verò marinũ: quæ hoc loco ab Hippocr. dicuntur, in foſsitio nullam habent veritatem: eſt enim id tanquam terra aduſta, & incinerata, in qua ſapor ſalſus ineſſe ſolet, ſed in marino, quod vi radiorum Solis parari ſolet: aqua enim marina tum æſtuationib. tum determinatis quibuſdam flatibus in littoribus eiecta, vel etiam aliquo modo corriuata, & locis ad id vel arte paratis, vel natura conſtitutis

tutis recepta, tandem Solis calore æstiuo tempore adeò condensatur, vt saxorum naturã sæpe æmulari videamus: quod certè non alia fit ratione, quàm ea, quæ tradita est hoc loco ab Hippocr. Sol enim subtiliores partes sursum eleuans, & continuò consumens, crassiores, & grauiores relinquit, quę cùm terrestres sint, aëreisq́; & aqueis destitutæ partibus, tandē densantur, & in salem transeunt. Verùm cùm crassiores essent, ab initio non ita facilè concrescere possunt, nisi aliqua aqua pluuia illi iam collectæ admisceatur: vt docet Plinius lib. 2. c. 103. viam enim aqueis crassioribus partibus ad euaporationem parat. Quòd si non ita crassæ alicubi marinæ aquę reperiantur, per se vi Solis sine aqua pluuia in salem mutari possunt: quod ars naturæ imitatrix obseruans, ex salsis fluminibus, & puteis salmacidis salem elicere cupiēs, nec vi radiorũ Solis præstare valens, quòd subtiliores aquæ cùm sint, minus terrei in se continentes, nec ita salsę, Solis radij omnes partes sursum attraherent, vi ignis longa coctura salē elicit, euaporatis subtilibus partibus, cæteris salsis, & crassioribus magis incrassatis, & in salem concretis. Quod igitur superiùs Hippocr. dixerat aquas pluuias tenuissimas, & leuissimas esse, quòd Sol quod tenuissimum, & leuissimum est in aqua, sursum rapiat, & ex iis vaporibus aqua pluuia generetur, satis experimento salis est hac particula comprobatum.

XXIIX.

Ἀνάγει δὲ τὸ τοιοῦτο οὐκ ἀπὸ τῶν ὑδάτων μόνον τῶν λιμναίων, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῆς θαλάσσης, καὶ ἐξ ἁπάντων, ἐν ὁκόσοισιν ὑγρόν τί ἐστιν. ἔνεστι δὲ ἐν παντὶ χρήματι.

Rapit autem huiusmodi non ab aquis solùm stagnantibus, sed etiam à mari, & ex omnibus, in quibus aliquid humoris inest. Inest autem in omnibus rebus.

Ne quis forrasse crederet, quod iam dixerat, verũ esse tantùm in aquis stagnantibus, in quibus ob quietem videtur faciliùs posse Solem eleuare partes subtiliores, & tenuissimas, & relinquere crassiores, vnde vix aquæ esse videntur, sed crassamenta quædam aquæ: subdit hęc verba, quibus ostendit non ex iis modò aquis stagnantibus, & lacustribus eleuari à Sole materiam aptam ad pluuias, sed ex mari etiam, quamuis falsum sit, & ex cæteris omnibus rebus, in quibus inest quippiam humoris, inest autem omnibus in rebus. A' fluminibus quidē elicitur, quamuis ita non afficiantur, vt palustres, aut marinæ, non enim aut nimium incrassantur, aut salsedinem contrahunt; cùm enim continuò cursu secantur, dulcisq́; aqua continuò subministretur, nec omni ex parte Soli exponantur, neq; crassescunt, neq; salsæ redduntur. Terra præterea, quamuis si simplex esset elementum, nihil in se haberet, quod pro generatione pluuiæ à Sole sursum rapi posset; cùm tamen & mixta sit, saltem versus superficiem, & vndique aquis tam cœlestibus, quàm infernis irrigata, multam pluuiis suppeditat materiam: Cætera autē sublunaria, cùm mixta sint, nonnihil humoris habent, quo vi radiorum Solis elicito possit materia pluuiarũ augeri: quãuis ex aliquibus magis, & ex aliquibus minùs. Sed quoniam hoc in quàmplurimis rebus non ita ad sensum patet, nec facilè ab omnibus credi potest, experientia id nobis ostendit in vasculo aqua pleno, quod si Soli exponatur, sensim euacuari euaporatis vi radiorum Solis partibus aqueis obseruamus, in aliquibus minùs ad sensum patet, propterea subiungit sequētia.

XXIX.

Καὶ ἐξ αὐτέων τῶν ἀνθρώπων ἄγει τὸ λεπτότατον τῆς ἰκμάδος καὶ κουφότατον. τεκμήριον δὲ μέγιστον ὅταν ἄνθρωπος ἐν ἡλίῳ βαδίζῃ, ἢ καθίζῃ, ἱμάτιον ἔχων, ὁκόσα μὲν τοῦ χρωτὸς ὁ ἥλιος ἐφορᾷ, οὐκ ἱδρώῃ ἄν. ὁ γὰρ ἥλιος ἀναρπάζει τὸ προφαινόμενον τοῦ ἱδρῶτος. ὁκόσα δὲ ὑπὸ τοῦ ἱματίου ἐσκέπασται, ἢ ὑπὸ ἄλλου του, ἱδροῖ. ἐξάγεται μὲν γὰρ ὑπὸ τοῦ ἡλίου καὶ βιάζεται. σῴζεται δὲ ὑπὸ τῆς σκέπης, ὥστε μὴ ἀφανίζεσθαι ὑπὸ τοῦ ἡλίου. ὁκόταν δὲ εἰς σκιὴν ἀφίκηται, ἅπαν τὸ σῶμα ὁμοίως ἱδίει. οὐ γὰρ ἔτι ὁ ἥλιος ἐπιλάμπει.

Et ex ipsis hominibus tenuissimum, & leuissimum humorem ducit. Maximum verò huius rei signum est, vbi homo in Sole ambulauerit, aut sederit vestibus indutus, quicquid corporis Sol aspexerit, non exudat. Rapit enim Sol quicquid sudoris elicitum est. Quod verò sub veste contegitur, aut sub alia re, exudat. Elicitur enim à Sole, & exprimitur: seruatur autem à tegumentis, ne dispergatur à Sole. Cùm verò in vmbram venerit, totum corpus similiter sudore aspergitur: non enim Sol amplius affulget.

In eo probando, quod ab initio proposuerat, aquas pluuias tenuissimas, & leuissimas esse, pro fundamento acceperat, Solem tenuissimas partes cuiuscunque humidi, & leuissimas sursum rapere, idq́; non ex stagnantibus solùm aquis, quod sensui magis erat conspicuum, sed etiam ex mari & fluminibus, imò etiã ex solidioribus quibuscunq; rebus, in quibus inest humoris nonnihil: inest autem omnibus ferè in rebus: hoc postremũ cùm difficilius esset creditu, exemplo hominis in Sole deambulantis, & sedentis, probat, non vt concludat, quod aliqui crediderĩt, materiam ad pluuiam etiam ex homine eleuari, sed vt aperiat, è quacunque re Solem tenuissimã partem, & leuissimam excitare, & etiam rapere. Si enim homi-

nem vestibus indutum solaribus radiis exponamus, videmus partes solaribus radiis expositas siccas esse, cæteras autem vestibus contectas humore affluere, idq; non alia ratione accidere testatur Hippocr. quàm quòd Sol elicitũ iam humorem ad se quasi rapit, & exiccando consumit: contectæ verò partes cùm calorem solarem persentiant, & proinde rarefactæ sudorem emittant, cùm eæ partes solaribus radiis non exponantur, sed à tegumentis protegantur, madidæ remanent. Vnde si quis diutius sub Sole permanserit, paulò autem pòst in vmbram deuenerit, totum corpus sudore madescit, quod nobis indicat humorem internum, qui à calore Solis ad externas partes concitabatur, sed paulò pòst etiam ab eodem rapiebatur, & exiccabatur, cùm non amplius Sol affulserit, in motu existẽtem apparere, & etiam denudatas partes humectare. Mutuatus est Aristot. hoc ab Hippocr. libro 2. Problem. Probl. 9. vbi quærit, quare cùm Sol nuda magis, quàm induta calefaciat, corpora tamen vestibus induta magis sudore perfluant. Duas ponit solutiones; quarum prima est, quòd Sol corporis foramina deurendo comprimit. Verùm quoniam videbat solutionem hanc nõ vsquequaque veram esse, aliam subdit omnino ex officina Hippocr. deptomptam, cùm dicit: An quia vapores exiccet, quod minùs accidere potest indutis: vnde eadem lectione Problem. 37. eodem proposito problemate non priorem solutionem accipit, sed alteram: quærit enim, cur ad Solem acriùs calefacientem corpora, quæ nullo integumento teguntur, nihil penè sudant: quæ autem satis veste contecta sunt, copiosissimè sudant. Soluit dicens eandem esse causam, quam etiam tradiderat ad 37. quæstionem, vbi quæsiuerat, cur minùs ad ignem multum sudemus, cùm tamen præ calore sudor omnis moueri soleat. Respondet igitur id fieri, aut quòd vehementiùs incalescẽte corpore humor, qui trahitur ad externas partes in spiritũ, & vapores insensibiles mutatur, aut certè quòd humor dum prouenerit, adeò citò calore nimio exsiccatur, vt omnino sensum nostrum effugiat. Verùm, antequàm ad sequentis particulæ expositionem accedamus, vnum est, quod admoneamus, ne aut Hippocr. ignorantiæ reprehendatur, aut nos negligẽtiæ arguamur. Diximus enim cum Hippocr. solares radios concitare sudores, & sursum trahere, quod, nisi à nobis breuiter, quomodo fiat, explicetur, non ita erit facile intelligẽre. Neque enim credendum est Solem ad se trahere vapores istos tenuiores eo modo, quo magnes ferrũ, aut plantæ alimẽtum: sed potiùs eleuatio, quàm raptus dici debet in eleuatis vaporibus. Refutatum enim est optimè ab Aristot. 2. Meteorolog. antiquorum philosophorum placitum, qui volebant Solem, & cætera astra alimento indigere, & proinde non secus, quàm plantas, vapores à terra in sui alimoniam sursum trahere: quinimò neque sursum similitudine substantiæ trahuntur, vt de magnete ad ferrum testantur: quę enim inter hæc potest esse substantiæ similitudo, vel familiaritas? sed impropriè dicuntur à Sole trahi vapores: calore enim ob motum cœli, & Solis potissimũ excitato, vapores eleuantur, subtilioribus partibus à crassis calefactione, & attenuatione separatis. Partes autem illæ tenuiores cùm iam aëream, vel igneam naturã nanciscantur, superiores partes tanquam peculiarem locum petunt, non secus, quàm ignis libere suppositus multos vapores ex contento liquore non extrahit, sed producit; si enim traheret, vtiq; deorsum, vbi est ignis trahens, allicerentur. Vnde madidi panni cùm igni opponantur, vapores inde promanantes vi ignis nõ mouentur versus ignem, sed rectà sursum feruntur tanquam peculiarem locum petentes; quòd aqua, qua madidi erant panni, in aërem mutetur, & statim potentiã, leuis cùm sit, sursum fertur, vt quod potentiã est, actu tandè in proprio loco assequatur: id verò paulatim acquirit, dũ sursum latus paulatim ad locum proprium tendit, qua ratione non à seipsis, sed à generante, vel remouente prohibẽs, moueri dici debent: quod si obseruassent recẽtiores philosophi, nõ adeò in inutilibus quæstionibus tempus contererent, cùm quærunt, an à propria forma moueantur elementa, an grauitent, vel leuitent in proprio loco, cùm adeò manifestis verbis nos id docuerit Aristot. vt nullus omnino sit apud Peripateticos hac de re disputationis locus: q̃d vt perspicuum fiat, vnum, aut alterum Aristot. testimonium in medium adducam. Libro igitur quarto de Cœlo, partic. 25. habet hęc verba: Cùm igitur fit ex aqua aër, & ex graui leue venit ad ipsum sursum, simul autẽ est leue, & non amplius fit, sed ibi est. Manifestum est itaque, quòd potentia ens in actum veniens proficiscitur illuc, & ad tantum, & tale, vbi est actus, & quanti, & qualis, & vbi. Eadem autem causa est, vt ea, quæ iam existunt, atque sunt terra, & ignis, moueantur in sua loca nullo impediente, &c. Et subdit: quemadmodum dictum est in primis sermonibus, in quibus determinatum, quod nihil horum ipsorũ seipsum mouet. Locum autem, quem hoc loco in primis sermonibus proponit esse, est octauo de physico auditu part. 32. & 33. dicit enim part. 32. circa dimidiũ: Leue enim fit ex graui, vt ex aqua aër; hoc. n. potentia primum, & iam leue est, & operabitur confestim, nisi quid prohibeat. Actus autem ipsius leuis est alicubi esse, & sursum: prohibetur autem, cùm in contrario loco est. Et hoc similiter se habet, & in quanto, & in quali. Attamen quæritur hoc, quare ad suum locum mouentur grauia, & leuia, & subinde soluit difficultatem in eadem particula, & in sequenti, docetque sursum leuia moueri, & deorsum grauia à generante, quoniam qui dat formam, dat etiã consc-

consequentia formam; vbi igitur ex aqua aër generatur, sursum mouetur à generante, quia cùm esset grauis, dat illi leuitatem, sed partim in actu est, qua incipit moueri sursum, partim in potentia, qua etiam sursum mouetur ab eodem generante, vt suam leuitatem actu nanciscatur: quod assequitur, cùm in proprio loco est, non vt mouetur, sic enim potiùs mouetur, vt eam habet in potentia. Fui fortasse longior, quàm par sit hac in re; sed cùm viderem Latinos plerosque Aristot. interpretes in re adeò in philosophia naturali præstanti hallucinatos, in qua tamen adeò gnauiter, & manifestè se gessit Aristot. non potui non hac etiam quasi extra proprium locum abuti dicendi licentia.

XXX.

Διὰ ταῦτα δὴ καὶ σήπεται τῶν ὑδάτων τάχιστα ταῦτα, καὶ ὀδμὴν ἔχει πονηρὴν τὸ ὄμβριον, ὅτι ἀπὸ πλείστων ξυνῆκται καὶ συμμέμικται, ὥστε σήπεσθαι τάχιστα.

Propter hæc autem ex aquis ea citißimè putrescunt, & odorem malum habet aqua pluuialis, eò quòd ex plurimis congregata est, ac permixta, ita vt citißimè putrescat.

Colligit ex iis, quæ de aquarum pluuialium generatione dixerat, conditionem vnam earũ, obiter tamen, cùm tota intentio Hippocr. hoc loco sit docere pluuias aquas leuissimas, & tenuissimas, tum & dulcissimas, & splendidissimas esse. Verùm cùm ad duas primas conditiones asserendas collegisset ex mari, lacubus, fluminibus, fontibus, & omnibus deniq; rebus, in quibus aliquid humoris inesse compertum sit, eleuari materiam, ex qua pluuiæ aquæ generantur, concludit in præsenti particula ea ratione aquas pluuias & facilimè putrescere, & odorem malum habere. Docet hoc experientia in nauigantibus, qui non multo pòst tempore in aqua pluuiali collecta percipiunt corruptionẽ; & quisquis in collectitia aqua pluuia non deputata quotidie experitur: quam etiam sensibus multis cognoscimus ex pluribus partib⁹, & variis esse conflatam, colore scilicet nõ multùm aqueo, odore non bono, & substantia non satis limpida, inæqualitate, sedimento, & bullis. Nec omnino sincerus est sapor, sed in nonnullis fumosus, atque etiam salsus; quod vt in pauca pluuia non ita persentitur, ita in multa collecta facilè percipitur, quomodò etiam falsi autumno imbres teste Philosopho in Probl. ob acrium nimirum vaporum, & exhalationũ ea tempestate copiam sæpe compluũt. Oribas. j. Euporist. ad Eunap. cap. 14. & 5. Collect. med. ad Iulian. cap. j. quę sunt de aquis ex Galeni sententiã, hoc idem de aquis pluuialibus censuit, eandemq; causam tradidit: sicut & Paulus libro j. suæ Medic. cap. 50. At Razes vltimo Continentis Tract. j. cap. 70. quamuis de facili ad putredinem propẽsione aquarum pluuialium idem sentiat, diuersam tamen omnino eiusdẽ causam tradidit: quòd enim aërea sit, tenuissima, & subtilissimis partibus constans, proindeque quascunq; impressiones suscipere apta, meritò facilè putredinem concipere posse scribit. Auicen. autem lib. j. Canon. Fen 2. Doct. 2. Summa j. cap. 16. non modò Razis sententiã secutus est, sed etiam aduersus Hippocr. & cæteros Græcos scriptores inuehitur iis verbis: Sed tamen aquæ pluuię citò aduenit putredo, licet sit aqua melior, propterea quòd est valdè subtilis, & efficit in eis citò impressionem ipsa corruptiua portio terrea, & aërea, & ipsius corruptio erit causa corruptionis humorum, & officiunt pectori, & voci: subdit: Quidam autem dixerunt huius causam esse, quòd aquæ pluuiæ generantur ex vapore, qui fuit ex diuersis humiditatibus sublimatus, & eleuatus. Sed si hoc esset causa, aqua pluuia vituperabilis esset, & non laudabilis. Sed non est ita: imò propter multam suæ substantiæ subtilitatem, quia omnis subtilis substantia plus recipit passionem. Viderunt controuersiam hanc quàmplures antiquiorum medicorum barbaram medicinam sectantium: solus tamẽ Iacobus à partibus tentauit ita hanc litem dirimere, quòd aqua pluuialis vt in pluribus est apta putrescere ob subtilitatem eius: quod secundùm Auicen. perpetuum est. Nihil enim impedit, inquit Iacobus, vt quandoque etiam fiat apta putredini ex eo, quòd materia eius in parte separatur à rebus corruptis, vt in magnis pestilentiis, in quo tempore non est tutum bibere aquas pluuiales: sed annis non pestilentibus parum est, quod eleuatur à cadaueribus, & rebus corruptis, comparatione eius, quod eleuatur à mari, & fluminib⁹, & terris. Verùm toto cœlo vir hic grauissimus aberrat, tum quòd primam, & potissimam causam facilis corruptionis in aqua pluuia statuit subtilitatẽ; cùm facilè inferius ostensurus sim, non eam, sed mixtionem multarum partiũ diuersarum causam esse. Sed in quo magis reprehendendus est, illud est meo iudicio, quòd nõ intelligat, quid Hippocr. Oribas. & Paulus sibi voluerint, cùm citò putrescere aquam pluuiam dixerunt ob diuersitatem vaporum eleuarorũ, qui materiales sunt causæ pluuiæ. credidit enim eos voluisse propterea facilè aquas pluuias putrescere, quòd vapores, ex quibus producitur aqua, eleuentur à rebus putridis, & corruptis, puta cadaueribus, qui consequenter & ipsi sunt putridi: cùm non in rerum, ex quibus eleuantur, aut in vaporũ putrilaginosam qualitatem referant hanc causam, sed in rerum, ex quibus eleuantur vapores, & consequenter in ipsorum vaporum diuersitatem totam aquarũ pluuialium ad corruptionẽ propensionis causam reiiciant. Credidit Andreas Thurinus Pisciensis libro de Aquarum bonitate veram esse Auicen. sententiam; oppositam autem Pauli

quidem esse fatetur, & Oribasij, nusquam autem apud Hippoc. reperiri, & consequenter nō multam horum habendam esse curam, cùm pari fuerint sententiarum aliorum recitatores; Auicen. autem sententiam referentis in subtilitatem aquarum pluuialiū causam facilis transmutationis earundem. Sed huius doctissimi alioqui viri sententiam non possum nō mirum in modum detestari, cùm & Oribas. & Paulus ad verbum sententiam hanc suam ex hac Hippocr. particula desumpserint. Quapropter vt hac in re liberè dicam quod sentiā, credo Hippocr. & cæterorum Græcorum sententiam veriorem esse. Quis enim nesciat, res omnes quātò magis ex pluribus partibus commixtę sunt, faciliùs corrumpi, vna alteram superare quærente, ipsis potissimum non satis inter se bene compositis, eoq; magis hoc accidere videmus, vbi crasis illa, & contemperatio, concoctioq; non aduenerit. At videmus ex multis compositam esse aquam pluuiam, quòd ex omnibus, in quibus aliquid humoris inest, eleuari vapores videmus, qui postea materia aquæ pluuiæ esse solent: qui sursum elati, & in nubem densati, mixtionem quandam imperfectam nanciscuntur, mox in aquam transmutantur, quæ alioqui non simplex est elementum, sed imperfectum mixtum: vnde non mirum est, si imperfecta hac mixtione composita facilè dissoluantur, & putredinem contrahant. Subtilitas verò substantiæ quamuis efficiat, vt facilè ex contrariorum actione quippiam dissoluatur, & in contrariam naturam mutetur, non tamen sui corruptionem, aut putredinem, quæ ex intrinsecis causis fiant, facilè admittit. Quantò enim aliquid simplicius est, tantò etiam magis accedit ad naturam corporis simplicis, quod ratione sui nullam percipit corruptionem, aut putredinem, nisi ex contrariorum extrinsecus occurrentium actione. Vnde videmus aquam fontanam optimam ex fontibus Orientē spectantibus promanantem nō putrescere facilè, quāuis actionem contrariorum extrinsecùs occurrentium, puta caloris, & frigoris facilè concipiat. Vnde citò & calefit, & refrigeratur. Neque verò propterea quòd facilè putrescat, eò quòd ex vaporibus diuersi generis conflata sit, dicendum est laude non esse dignam. Docet hoc Oribasius & Paulus locis citatis: quamuis enim ex multis vaporibus sit facta, qui nō ita rectè permixti sint, si aut coctione adiuuetur mixtio, qua etiam crassiores partes meliùs separantur, aut corriuatione depurgentur, crassiores partes, & cæteræ iam excolatæ calore terræ subterraneo mediocriter percoquantur, perfectiorem adipiscuntur, neq; ampliùs adeò facilè putrescūt. Quapropter malum odorem habet, aut cùm putrefit, putueritve, aut certè, quod ipse sentio, & experientia docet, antequàm coctione, siue, vt meliùs dicam, elixatione mixtura perficiatur, & à putredine vindicetur, etiamsi nondum putrescere incipiat: cùm simul cum tenuissimis vaporibus etiam impuriora aliqua crassiora eleuentur, tum etiam exhalationes aliquæ, quæ adusti nonnihil in se habent. Non igitur omnino inodoræ sunt, quod requiritur ad aquarum perfectionem, nisi aut elixentur, vt crassiores partes per residentiam expurgentur, & secernantur, subtiliorib. & puriorib. relictis, aut certè corriuatione facta in cisternam optimā per fictiles canales diligenter expurgētur. Non igitur, vt aliqui credunt, putredini a concipiendæ aptitudo in aqua perfectionem arguit: cùm enim rei huius causam in tenuitatem referrent, crediderunt, aquam omnem, quæ facilè putredinem contrahit, optimam esse, quòd tenuitatem eiusdem id indicet: cùm alioqui putredinē impurissimæ aquę palustres concipiant facilè, quæ omnino ab Hippocr. & cæteris omnibus vituperantur. Quamuis nec illud verum sit, aquam laudabilem non esse, quæ facilè putredinem contrahit; quoniā si pluuialis sit, cùm constet ex tenuissimis vaporibus eleuatis esse genitam, & à Sole ex parte elixatam, aliasque habeat conditiones, quæ ad aquæ perfectionem requiruntur, de quibus abundè iam diximus, optima potiùs censenda est. Docet hoc Galen. apud Oribas. lib. j. ad Eunap. cap. 14. & 4. ad Eustathium filium, cap. vlt. vbi habet; nemo tamē aquam, quæ facilè putrefit, pessimam esse autumet, nam quòd facilè alteretur, bonitati potiùs, quàm vitio tribuitur: quare vbi cæteras habueris optimæ aquæ notas, licet facilè putrescat, optima hæc censenda est: sed manifestiùs ex eiusdem Galen. sententia 5. Collect. med. ad Iulianum Imperatorem, cap. j. idem docet, cùm dicit: Aquæ verò pluuiales sunt leuissimæ, dulcissimæ, limpidissimę, ac tenuissimę. Nam Sol leuissimam aquæ partem, tenuissimamq; attollit, sursumq; rapit: attollit autem non ab aliis aquis tantùm, sed & à mari, aliisq; omnib. corporibus: vnde celerrimè omnium putrescunt. Maximè enim ea corpora, quæ vnam in se ipsis habent qualitatem, difficiliùs putrescūt, quàm quæ multas obtinent: quando non ob alia causam corpori adsit, vt vel difficulter, vel facilè putrescat. Sanè animum attendere oportet, ne quispiam aquam, quæ celerrimè putrescat, deterrimam esse opinetur: eadem enim & præstātissima esse poterit, vbi omnia optimarū aquarum indicia superiore sermone tradita habuerit. Verùm est, quod huic particulæ nō paruam faciat difficultatem: statutum enim est ex Hippocr. & cæteris omnibus tum Græcis, tum & Mauritanis scriptoribus, aquam pluuiam citò putrescere, facillimeque omnium corruptioni obnoxiam esse. At huic sententiæ refragari videtur Galen. 7. de Compos. med. per loca, cap. 2. de Medicamentis arteriacis, vbi medicamentum compposuit, quod diacodion dicitur, in eoq; parando aquam pluuiā indidit, inquiens; aqua quidem pluuia inditur, quò putredini minus

nus obnoxium sit medicamentum: habet auté & adstringens quippiam in se hæc aqua. Cùm igitur medicamẽtis imponat aquam pluuiam Galenus, vt à putredine diutius vindicet ea, certum esse videtur, non facilè eam putrescere: si verum est, tam vulgatum axioma, propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Accedit argumentum ex iis, quæ à Galen. dicuntur sexto de Compositione medic. secundùm loca: vbi de stomatico medicamento ex nucibus agit, desumptum: adstringens, inquit, facultas, vbi in substantia tenuium partium fuerit, maximè resistit putredini, contrahit nempe, adstringit, densat, & repellit; at huiusmodi est in aqua pluuis adstringens facultas, si vera sunt, quæ à Galen. dicuntur loco citato, septimo de Compositione medic. secundùm loc. & à Celso lib. secundo, cap. 29. de iis, quæ aluum adstringunt, in fine capitis. Rorarius, qui apparentes aliquot contradictiones medicas conatus est conciliare, duabus solutionibus conatus est hanc tollere: primò inquit non quascunque aquas pluuias citisimè putrescere, prauumq; odorem habere, sed illas tantùm, quæ per diuersa putrida, & immunda loca defluũt, nec non & illas, quæ exitu carent, locumq; in vnum reductæ sunt, quas & putrescere, & odorem prauum ex putredine contrahere pro comperto habendum est: quas, inquit, meritò improbauit Galenus cap. de Apomeli, quarto de Tuend. val. quæ verò per putrida non transfluunt loca, sed in cisterna aliqua depurantur, & percolantur, eæ vtique optimæ sunt, nec facilè putrescunt. Secundò respondet, non omnem aquam pluuiam citisimè putrescere, sed illam solùm, quæ procellosa est: quæ enim horaria est, vel tonitrualis, ea potiùs resistit putredini: hocq; modo putat nos difficili huic contradictioni satisfacere posse. Verùm, vt ipse sentio, in maiores difficultates nos ducunt hæ responsiones: Prima enim totam propensionis ad putredinem causam refert in loca, per quæ percolatur, cùm alioqui nos iam ex omnium Græcorum, & Arabum sententia totam rei huius causam non in externum quippiam referendã esse docuerimus, sed in internam, & peculiarem pluuialis aquæ naturam, & substantiam. Altera verò neq; satisfacit, cùm certũ sit hic Hippocr. ei aquæ, quã tantis laudibus celebrauit, quámque optimam esse dicit, proprietatem hanc tribuere, vt citisimè putrescat. Prætereà non proptereà malum odorem habere dicit, quòd putrida iam facta sit, sed quòd ex multis sit cõposita diuersis, & variis. Quinimò & ante putredinem statim à collectione tetar hic odor percipitur. Accedit, quòd Oribas. & Paulus ex Galeni sententia nobis ostendunt, de quacunq; pluuia id verum esse. Dicunt enim nihil auferri à perfectione huius aquæ per promptitudinẽ ad putrefactionem, sed potiùs eam augeri: ostendit enim eleuatos esse subtiliores vapores ab infernis iis rebus. Dicendum igitur est aquam pluuiam statim depluatam, nulloq; artificio paratam ad potum improbam esse, quòd mixtionem quandam imperfectiorẽ nanciscatur, qua facilè corrumpi potest, & odorem malũ habere: quòd si concoquatur, cùm à calore mixtionem quandam assequatur perfectiorẽ, aut si in bonam cisternam conijciatur, vt à terreis partibus magis adstringentibus depurgetur, nec ita facilè putrescit, nec odorem malum habet: quod in cisternarum aquis quiliber potest cognoscere. Sic igitur aquæ pluuiæ per se, quæ alioqui ante præparationem erant, & mali odoris, & ad putredinem maximè propensæ, elixatæ, aut aliis artificiis paratæ amittunt odorem tetrum, propensionemq; ad putredinem. Accedit, quòd si quispiam medicamenti illius compositionem diligenter consideret, vtique cognoscet multa imponi, quæ vitium illud corrigere possunt.

XXXI.

Ἔτι δὲ πρὸς τουτέοισιν, ἐπὴν ἀναρπασθῇ καὶ μετεωρισθῇ περιφερόμενον καὶ καταμεμιγμένον ἐς τὸν ἠέρα, τὸ μὲν θολερὸν αὐτοῦ καὶ νυκτοειδὲς ἐκκρίνεται, καὶ ἐξίσταται, καὶ γίγνεται ἠὴρ καὶ ὁμίχλη· τὸ δὲ λαμπρότατον καὶ κουφότατον αὐτοῦ λείπεται, καὶ γλυκαίνεται, ὑπὸ τοῦ ἡλίου καιόμενόν τε καὶ ἑψόμενον. γίγνεται δὲ καὶ τ᾽ἄλλα πάντα τὰ ἑψόμενα αἰεὶ γλυκέα.

Adhæc verò postquàm raptũ est, & in sublime eleuatum, circumlatum, & aeri permixtum, quod turbidũ est in ipso, & tenebricosum excernitur, & secedit: & fit aer, & nebula. Quod verò splendidissimum, & leuissimum, relinquitur, & dulcescit; dum à Sole illustratur, & elixatur. Fiunt autem & alia omnia, dum elixantur, dulcia.

Quomodo particula hæc cum superiori connectatur, quodq; sit Hippoc, in ea propositum, Alemanus expositor, vt sui moris est, non docuit: cùm alioqui à superioribus proximis particulis omnino videatur separatã: nec satis constet, in cuius rei gratiam hæc tam multa præter consuetudinem suam Hippoc. hoc loco proponat. Crediderim igitur totam hãc particulam, & sequentes connecti particulæ 26. in qua ad probandum, quod proposuerat, aquas pluuias leuissimas esse, tenuissimas, dulcissimas, & splendidissimas, illud assumpserat, Solẽ, quod tenuissimum est, & leuissimum, sursum rapere, vnde generatur aqua. Verùm quoniam hoc non satis erat manifestum, digressus est, & experimento ex multis sumpto, & ex omnibus tandem, in quibus aliquid humoris inest, tenuissimum sursum trahere probauit; ex quo obiter etiam collegerat aquam pluuiam & malum odorem habere, & etiam citò putrescere; nunc tandem ad principale institutum redit, quod aggressus erat particula 26. ostendit au-

rem, quomodo fiat pluuia ex ea meteria sursū late, & quomodo ex eedem materie in aëre aliquot aliæ sublimes impressiones fient, quomodoq; tendem dulcissime esse possit, etq; splendidissaima, quæ duæ reliquæ erant probandæ pluuiæ aquæ conditiones. Difficile autem edmodum fuerit rectè hene Hippocr. sententiam intelligere, nisi ee, quæ in hanc eandem materiam Aristot. 1. lib. Meteorol. scripta nobis reliquit, diligenter cōsidereuerimus; videtur enim quesi eb hoc loco assumpsisse suam sententiam de generetione equæ pluuiæ. Hic enim Hipp. voluit gigni aques pluuias ex vepore, qué Solis calor eduxerit eb aliis equie, & sursum eleuauerit. Huius eutem veporis in sublime eleuati permixti cū eëre, & in nubé coucreti, duae esse voluit partes, illesq; omnino inter se dissimiles: earum enim altera leuissime est, splendidissima, & tenuissime, altere verò turbide, & tenebricose. Ille relinquitur, & permanet, vt generentur pluuię, hæc omnino excernit, & decidit. Illa in equam deniq; vertitur, & terram petit, hæc muratur in eërem, & ὀμίχλη genereter. Porrò henc eandem habuit sententiem Aristot. de aquæ generatione loco citeto, & quid sit ὀμίχλη docuit. Tria enim esse concludit, quæ ad aquam pluoiem generandam conueniūt: quorum vnum est vapor, alterum nubes, postremū nebule: est eutem vepor nihil eliud, quèm exhalatio; nubes id in quod aër concrescit, cùm in aquam mutatur. Nebula autem nubis est, quæ in equam concreuit, excrementum; ὀμίχλη δ', inquit, ἐστὶ νεφέλης περίττωμα τῆς εἰς ὕδωρ συγκρίσεως: hanc eandem scribit Aristot. esse veluti nubem sterilem, illa enim in aquam minimè muteri potest. Quæ cùm ita sint, si quis ea, quæ ab Hippoc. dicta sunt, quæq; nos proximè declarauim⁹, cum istis conferat, quæ Aristot. docuit, eendem ferè sententiā vtrunq; habuisse præclarè intelliget. Quod enim dixit Hippocr. ὀμίχλην esse nubis, q̄ in equē concrescit, pertē θολερώδη καὶ νυκτώδη, hoc est, turbidam, & tenebricosam, quę quidem excernitur, & decidit: idem ipsum planè declaresse mihi videtur Aristot. scribens ὀμίχλην esse nubis, quæ in aquem concrescit, excrementū: eamdemq;, cùm in aquā mutari non possit, esse veluti nubem sterilem. Quem sententiā cùm non obseruauerit Alemenus expositor, omnino in huius loci expositione à scopo aberreuit. Dicit enim, non quòd reuere sentiendū sit hoc loco Hippoc. docere, sed solùm captui hominum se accomodare, cùm inquit, id quod turbidū est in nebulā ebire; tenuissimum aurem & leuissimum relinqui, & dulcescere: tota enim nubes, inquit, in aquam soluitur, vel duntaxat eius tenuissime pars in eëre mutatur: reliquiæ enim, quæ serenitatem premonstrant, sunt tenues: nisi turbidas eas eppellere velimus, quæ sunt aquā prægnantes. Quesi verò sita hæc sententia non omnino repugnet Aristot. sententiæ traditæ in Meteor. vbi totam hanc Hippocr. sententiam quesi ad verbum exscribit, & longiori oratione explicat. Docet enim tria in ortu pluuiæ cerni, vaporem, uubem, & nebulam. Veporem dicit esse id quod ex equa eueporat; nubē esse id, in quod aër ex vepore genitus concrescit, dum in equam conuertitur; huius nubis excrementum, quod in aquā verti nou potuit, nebulam: ob eamq; ceusam cùm nubis pars sit, in equam verti inepta, sterilis nubea, & serenitatem potiùs indicens dicitur ab Aristot. Non igitur nebula, quæ sereuitatis ferè semper solet esse prognosticon, ex tenuiori parte nebulæ generatur, vt credidit Alemenus, sed vt Hippocr. ex turbidiori, craseiori, & terrestriori: Est enim in nube duplex pars, humida vne, & tenuior, altere siccā, & creseior: quæ enim sicca erat, sed calida, superiorem eëris regionem petiisse supponendum est ex decretis Aristot. eam, quę humida est, in aquē mutari credidit Hippocr. hoc loco, & Aristot. loco citato: quę verò siccior est, & terrestris, solui in equam non potest: quemedmodum nec cibi excremeuta concoqui possunt, aut enimalis corpus alere: cumq; grauior sit terree, eam descendere, partemq; eëris terræ viciniorem occupare, & nebulem, quæ & à nobis caligo dicitur, producere credidit. Scio alios secus putesisse, credidisseq; materiam nebularum, & caliginis tenuiorem esse iis ducti argumentis, quòd celidior sit, cùm in infime regione aëris existat, & producatur, nō autem in media, quæ frigidissima est, in qua & nubes, & pluuie; quòd præterea megis ad aëris naturem accedet. Vnde etiam faciliùs soluitur ob tenuitatem, quē etiam in aquam dicūt minimè conuerti posse, quòd mediocris cressities ad aquā producendam sit necessarie. Verùm cùm ad infernas partes descendāt, censendum est sicciorem esse pertem terrestrem, & crassiorem, maximè cùm etiem ed sensum crassior conspicia-tur. Quamuis autem citiùs, quàm nubes, soluetur, non proinde tenuiorem dicemus, sed quòd vehementiùs ob crassitiem calorem, aut per radios, aut per motum recipiat. Potest etiam esse alie nebula, de qua euctor lib. de Mundo, si tamen hâc in parte eius sententiam emplecti licet, cùm dicit: ἔστι δ' ὀμίχλη ἀτμώδης ἀναθυμίασις ἄγονος ὕδατος, ἀέρος μὲν παχυτέρα, νέφους δ' ἀραιοτέρα, id est, nebule est exhalatio quędam roscida, aquæ nequāquam genitrix, vt eëre crassior, ita nube rarior. Et Alex. in expositione loci propositi primo Meteor. quam, inquit, non ex dissolutione nubis fieri, sed ex craseioribus vaporibus in nubem cōcrescere minimè aptis. Inquit igitur Hippocr. quòd cùm vapores sursum à Sole rapti ad eërem miscentur, frigidéq; mediem regionem aëris petunt, cressiores eorum partes in eërem, & nebulam vertūtur, subtiliores verò diutius egitatæ, & à Sole elixatæ dulcescunt, & tendem decidunt. Duplicem eutem sensum hæc sententia Hippoc. hebere potest. Primò si nebulam sumamus, vt in secundo signi-

significato sumpsit Aphrodisęus, pro ea materia, quæ cùm crassior est, in veram nubem aptã ad pluuiam minimè potest transmutari, & sic erit sensus: quòd dum vapores eleuati à Sole sursum per aëra feruntur, id quod in iis turbidum est, & tenebricosum, decidit, & excernitur ob grauitatem, fitq; aër, & nebula: quod verò leuissimum, & tenuissimum est, remanet, & dulcescit, dum illustratur, & elixatur à Sole. Potest etiam intelligi, quòd vbi regionem mediã petierint vapores illi, & in nubem transmutati sint, tenuior pars ibi firmata, mox & agitata, dũ à Sole illustratur, & coquitur, fit dulcis, & mox depluta aqua potabilis; crassior verò, & obscurior, cùm terrestris sit, excernitur, & decedit in aërem, & nebulam. Quo patefacto, nũc ad Hippocr. verba, ex quibus totam hanc rationem sumpsimus, reuerti liceat. Est enim ex iis verbum vnum, quod ab Augustino Gadaldino in suo veteri libro manuscripto aliter legi, quàm in impressis libris obseruatum est: quæ res certè est eiusmodi, vt ea minimè sit à nobis negligenda. In extrema igitur parte orationis illius, qua causam explicabat Hippocr. cur pluuiæ aliarum essent aquarum maximè limpidæ, hæc planè scripta sunt: τὸ δὲ λεπτότατον καὶ κουφότατον αὐτῆς λείπεται: at secus se habere in veteri libro admonet Gadaldinus, quòd in suo pro voce illa λεπτότατον, hanc legi scribit, λαμπρότατον, quæ limpidissimum significat. Quamuis igitur illam, quę in impressis est, non improbem, magis tamen ea, quæ est Gadaldini, mihi arridet, & in cõtextu Hippoc. secutus sum: neq; verò id sine ratione: sic enim ea cum iis, quæ proximè superiùs ab eodem Hippoc. proposita sunt, perbellè admodum videtur conuenire. Dictum enim fuerat, cùm sermo esset de parte vaporis altera, quę in generatione pluuiæ excernitur, & decidit, illam esse θολερὸν καὶ νυκτοειδές. Rectè igitur, & sapienter hoc loco Hippocr. de illa vaporis parte verba faciens, quæ ad pluuias generandas relinquitur, vsus est hac voce λαμπρότατον, qua duob' illis proximè propositis aptè admodum respõdere videtur. Ad hęc autem inferiùs etiam Hippocr. antiqui illius codicis lectionem confirmare videtur. Nam paulò pòst de aquis ex glacie, & niue genitis verba faciens, admonet omnes malas esse, & insalubres, causamq; ibidem adscribit huiusmodi, quoniam cùm semel concretæ fuerint, haudquaquàm amplius in pristinam naturam restituuntur. Excernitur enim, & euaporat, quod in eis limpidum est, tenuè, & dulce, manet autem quod turbidissimum est, atque grauissimum. Sunt igitur tales aquæ deterrimæ potui, quia neque pellucidę, neque leues sunt, neque dulces, sed turbidissimę, ac grauissimæ. Bonæ verò essent, atque salubres, si quod in eis limpidum est, leue, ac dulce, non exprimeretur, nec euanesceret. Hippoc. autem verba, quibus hæc declarantur, sunt ista: ἀλλὰ τὸ μὲν αὐτῶν λαμπρὸν, καὶ κοῦφον, καὶ γλυκὺ ἐκκρίνεται καὶ ἀφανίζεται, τὸ δὲ θολωδέστατον καὶ σταθμωδέστατον λείπεται: quæ quidem sunt eiusmodi, vt lectionem illam veteris libri approbent. Est etiam aliud, quod nullo modo prætereundum est: cùm enim aquas pluuias esse dulcissimas, explicare vellet, & probare, habet hęc verba: τὸ δὲ λαμπρότατον καὶ κουφότατον αὐτῆς λείπεται, καὶ γλυκαίνεται ὑπὸ τοῦ ἡλίου καιόμενόν τε καὶ ἑψόμενον. γίνεται δὲ καὶ τἄλλα πάντα τὰ ἑψόμενα αἰεὶ γλυκία. Ianus Cornarius, & cæteri transferunt: quod verò splendidissimum, & leuissimum in ipsa, hoc relinquitur, ac dulcescit, dum à Sole vritur, & coquitur. Fiunt autem & alia omnia, quæ coquuntur, semper dulcia: Quod certè mihi non satis placet: voces enim illæ, quibus vtitur Hippocr. coctionis speciem significant, ipsi verò dum eas in Latinum transferunt, nomine generis vtuntur. Coctio enim genus est, quod tres sub se continet species, videlicet πέπανσιν, ἕψησιν, & ὄπτησιν, hoc est, maturationem, elixationem, & assationem; de quibus quarto Meteorolog. agit Aristot. quare in duabus illis vocibus transferendis, nomine quidem vtendum esse arbitror, quod propriè elixationem, speciem scilicet coctionis significet, nõ autem eo, quod genus ostendat. Explicemus nunc Hippocr. sententiam. Fieri igitur omnia, quæ elixantur, dulcia, vera est sententia, quòd ea omnia, quæ elixantur, etiam concoquantur; ac quæ concoquuntur, dulcia fieri etiam docuit Aristot. 5. de Gen. Animal. cap. 5. his verbis: ἡ μὲν γὰρ πέψις γλυκέα ποιεῖ, ποιεῖ πέψιν τὸ θερμόν, hoc est: nam coctio quidem dulcia facit; concoctionem verò calor molitur. Verùm illud diligenter obseruandum est in verbis Hippocr. cùm dicit, & alia omnia, quæ elixantur, dulcia fieri, per ea, quæ elixantur, ea, quæ verè, & propriè elixantur, intellexisse. Cùm verò dicitur, id quod relinquitur tenuissimum, & leuissimum, dulce fieri, quoniam à Solis calore elixatur; impropriè, & nõ verè elixari significare voluisse. Hoc autem ita se habere, illud Hippocr. verbum apertè declarat, ὑπὸ τοῦ ἡλίου, id est, à Sole: nam quæ propriè, & verè elixantur, ea patiuntur ab humido calore, vt manifestum facit veræ, & propriæ elixationis definitio quarto Meteorolog. posita ab Aristot. quæ sic habet: Elixatio quidem coctio est ab humido calore eius indefiniti, quod in humido inest: at quæ à Solis calore elixantur, non patiuntur, neque coquuntur ab humido calore: materia igitur gignendarum pluuiarum, cùm à Sole coquatur, non propriè elixari dici potest. Quinimò ibidem duas facit elixationis species, alteram, quę propriè elixatio dicitur, quæ à calore humido fit, alteram, quæ impropriè, & per metaphoram dicitur elixatio, quæ fit, vt ipse inquit, ὑπὸ τοῦ κύκλῳ καὶ ἔξωθεν πυρὸς θερμαίνοντος, hoc est, ab igne circumcirca, & circumambiente, & extrinsecùs calefaciente. Hoc pacto aurum, ligna, & alia quàmplurima, vt eodem in loco docet Aristot. elixari dicuntur; similiter καὶ τὰ ὑγρὰ, & humi-

da. Cùm autem aqua propriè humidum ſit, cùm decoquitur, impropriè, & per metaphoram elixari dici debet. Quapropter Ariſtoteles cùm de cruditate loquitur quarto Meteorologicorũ, cùm inquit: διὸ τὸ ὕδωρ ἑφθὸν μὲν λέγεται, ὠμὸν δ' οὔ, ὅτι οὐ παχύνεται. hoc eſt: quare aqua elixa quidem dicitur, non cruda, quia non craſſeſcit: elixam aquam impropriè, & per metaphoram intelligit, non autem propriè. Quapropter cùm & vapor, qui aquæ materia eſt, humidus ſit, impropriè quoque elixari hoc loco ab Hippocrate dictum cenſendum eſt. Verùm quoniam Hippocrates hac ratione, aquas pluuias eſſe dulces, non autem dulciſsimas, quod propoſitum erat demonſtrandum, declaraſſe videtur, idcirco nos eaſdem eſſe dulciſsimas ratione ex Ariſtotele deſumpta demonſtrare nitemur, huiuſmodi vtentes medio: Aquæ pluuiæ conſtant ex materia, quæ eſt aliarum aquarum pars omnium dulciſsima. Aquæ verò, quæ conſtant ex materia, quæ eſt omnium aliarum aquarum pars dulciſsima, & ipſæ ſunt omnium aliarum aquarum dulciſsimæ. Quare aquæ pluuiæ ſunt omnium aliarum aquarum dulciſsimæ. Maior huius rationis perſpicua eſt. Minorem verò affert Ariſtoteles ſecundo Meteorolog. vbi de maris generatione, & ſapore loquitur. Cùm verò Sol, dicit, hoc modo feratur, ob eamque cauſam mutatio exiſtat, & ortus, & interitus, id quod tenuiſsimum eſt, & dulciſsimum, quotidie ſurſum fertur, diſgregatumque, & in vaporem mutatum, ſuperiorem locum petere oportet. Hoc autem, quod aliarum aquarum tenuiſsimum eſt, atque dulciſsimum, materiam eſſe deinceps, ex qua fiunt pluuiæ, Ariſtoteles docet, ſtatim hæc ſubiungens; illic autem rurſus ob frigus concretum ad terram rurſus fertur. Hæc igitur Ariſtotelis verba, quæ ſuperiùs quoque adduximus, atque declarauimus, minorem rationis propoſitionem perſpicuè comprobant. Quæ cùm ita ſint, nunc ad totam Hippocr. rationem reuertamur, quæ quidem non parum videtur faceſſere negotij: nam ſi id, quod eſt materia gignendarum pluuiarum, ob eam rem dulce eſſe monſtrat Hippocr. propterea quòd à Solis calore elixatur, & quæ elixantur, dulcia reuera redduntur, id eſt, prædita dulci ſapore; aquas quoque pluuias ſapore dulci præditas reddi intelligere oportebit. Quæ verò elixantur, verè dulcia reddi conſtat, & experientia, & ratione: quæ enim elixantur, etiam concoquuntur, at quæ concoquuntur, dulci ſapore prædita reddi conſtat ex iis, quæ de ſaporibus docuit Ariſtoteles libro de Senſu, & Senſato. Cùm enim de ſapore verba facit, ſcribit, viuentium alimentum à calore innato augeri, ac elaborari, perficique, vt Plinius loquitur, atque eiuſdem alimenti partem leuem, & dulcem ab eodem calore attrahi ad corporis partes nutriendas; partem verò amaram, & ſalſam relinqui propter illius grauitatem: hoc autem ſcribit ex ipſis exhalationibus facilè cognoſci poſſe. Alexander Aphrodiſæus Ariſtotelis interpres maximè diligens hunc locum exponens, ſic inquit: Quòd autem dulce ſit, quod attrahitur à calore, atque ad alendum diſtribuitur, & non ſimpliciter leue, ſed & dulce, & leue ſit, manifeſtum eſt ex ipſis exhalationibus; omnes enim pluuiæ dulces ſunt, licet à mari, quod ſalſum eſt, exhalent plurimæ. Si igitur, quemadmodum id, quod à Solis calore attrahitur ex aquis circa terram exiſtentibus, quod humida dicitur exhalatio, ex qua fiant pluuiæ, leue, ac dulce eſt; eodem pacto viuentium calor innatus ex ipſo alimento, quo partes corporis alat, ac nutriat, quod dulce eſt, ac leue attrahit; cùm, πάντα γὰρ τρέφεται τῷ γλυκεῖ ἢ ἁπλῶς ἢ μεμιγμένον, omnia nutriantur dulci, ſiue ſimpliciter, ſiue permixtim: ergo quod extrahitur à Solis calore in locum aëris, dulce eſſe, id eſt, ſapore dulci præditum, intelligendum eſt: Sic etiam cùm ſecundo Meteorolog. Ariſtoteles de ſapore maris diſputans, dulciſsimum, & tenuiſsimum ſurſum à Solis calore eleuari docuit, dulci præditum ſapore intelligendum eſſe videtur, quod ex eo, quod relinquitur craſsiſsimum, fortaſſe quiſpiam colligere poteſt: ſicut enim id, quod grauiſsimum, & obſcuriſsimum, tum & craſsiſsimum eſt, ſalſum, aut amarum eſt, ita quod ſurſum eleuatur, illi contrarium, leuiſsimum, ſplendidiſsimum, & tenuiſsimum, dulce erit, id eſt, vero ſapore dulci præditum. At verò rem omnino ſecus ſe habere, & ſenſus ipſe indicat, & ratio non vna facilè conuincit. Senſus quidem, quoniam nos bonas aquas pluuias guſtantes non ſolùm non dulciſsimum, ſed neque dulcem, neque alterius generis ſaporem ſentimus. Ratio verò etiam hoc ipſum iure demonſtrat. Dulcis enim ſapor, ſiue quilibet alius ex admixtione humidi cum ſicco per actionem caloris concoquentis effici ſolet; aqua autem pluuia ea ratione maximè laudatur, quòd ſimpliciſsima ſit; nullo igitur ſapore prædita eſſe poteſt. Accedit, quòd dulci ſapore prædita, vel ſimpliciter, vel permixtim ſunt ea, quibus nutrimur. At aqua pluuia ſola, & quæ cum ſicco nõ mixta ſit, qualem in præſentia contemplamur, minimè nutrimur. Aqua igitur pluuia ſola, qualem in præſentia cõtemplamur, haudquaquam dulci ſapore prædita eſt. Prætereà ſi aqua pluuia ſola, vt ſenſu ipſo iudicare licet, nullum habet odorem, maximè ſi ſit decocta, aut percolata. Quæ verò aliquo ſapore prædita ſunt, ea quoque odorem aliquem habẽt: ergo aqua pluuia ſola ſapore nullo prædita eſt, neque igitur dulci. Quòd autem ea, quæ ſapore prædita ſunt, odorem habeant, docet Ariſtoteles libro de Senſu, & Senſato, capite quinto, hæc ſcribens; Nam & elementa nullum

habent

habent odorem, vt ignis, aqua, terra, quæ ex illis, quæ ficca sunt, & humida, nullum habent saporem, nisi commixtũ quippiam eum efficiat. Subiungit: Mare ipsum habere odorẽ, quoniã habet saporem. Et post: Lapides, & aurum nullum habere odorem, quoniam nullum habent saporem. Huius rei rationem colligere licet ex Theophrasti lib. *περὶ ὀσμῶν*, vbi habet statim ab initio: *αἱ ὀσμαὶ τὸ μὲν ὅλον ἐκ μίξεώς εἰσι, καθάπερ οἱ χυμοί. τὸ γὰρ ἄμικτον ἅπαν ἄοσμον, ὥσπερ ἄχυλον. διὸ καὶ τὰ ἁπλᾶ, ἄοσμα, οἷον ὕδωρ, ἀήρ, πῦρ.* hoc est: odores omnino quidem ex admixtioné constant, vt sapores: quod enim admixtionis est expers, prorinus etiam omni vacat odore, vt & sapore. Quò fit, vt simplicia corpora, velut ignis, aër, & aqua, odoris expertia planè sint. Accedit postremò, quod iam longa oratione à nobis probatũ est superiùs, aquam optimam omni sapore, colore, & odore debere esse destitutam: quomodò igitur pluuiam aquam, quæ aut nullis, aut paucis admodum bonitate cedit, saporem verè dulcem, imò dulcissimum habere dicere poterimus. Dicemúsne igitur, explicatam Hipp. rationem, contrariam nobis sententiam explicare? non certè: tantũ enim abest, vt ea pluuias sapore dulci præditas monstret, vt eas potiùs dulcem nullum habere saporem iudicet omnino. Si quis enim ea, quæ scribit Hippocr. diligenter contempletur, cognoscet profectò per verbum illud dulcescit, nihil aliud ab eo significari, quàm potabile fit, siue ad bibendũ accommodatum. Cùm enim Hippocr. rationem afferens, ob quam id, quod est materia gignendarũ pluuiarum, dulce efficiatur, scribit, quoniam à Solis calore elixatur, impropriè, & metaphoricè elixari intelligere superiùs ostẽdimus: Cũq; iis, quæ impropriè dicuntur, elixari, minimè conuenire rationi consentaneũ sit, quæ iis accidunt, quæ propriè, & verè elixantur: talibus autem conuenit, vt iis sapor ingeneretur dulcis. Iis igitur, quæ impropriè elixantur, hoc minimè conueniet, vt sibi dulcem saporem comparént. Postquàm igitur significauit nobis Hipp. id, quod est materia gignendarum pluuiarum, impropriè, & per metaphoram elixari, cùm illud à Solis calore elixetur: idcirco significare volens, quid intelligat per illud verbum dulce fit, adiecit hæc verba; & reliqua omnia, quæ elixatur, propriè, & verè semper dulcia fiunt, hoc est, sapore dulci prædita. Quibus sanè tacitè nobis significat Hippocr. se per verbum illud dulce fieri, non quòd sapore dulci fiat id, ex quo fiunt pluuię, intellexisse, qualia semper euadũt reliqua omnia, quæ ab humido calore, & propriè elixantur: sed dulce fieri, hoc est, neque amarum, neq; salsum, neq; dulcem, neque alius generis saporem acquirere: fieri tamen, vbi ex ea aqua genita est, potulentum, atque ad bibendum accommodatum. Quod verò est huiusmodi, communiter quidem dulce nuncupari soler, quòd ea, quæ sunt illius saporis, gustui sint, & gratiora, & magis accommodata. Quapropter ex illis verbis Hippoc. (*& reliqua omnia, quæ elixantur, semper dulcia fiunt*) non est sumenda maior alicuius rationis propositio, qua dulce fieri illud, ex quo fiunt pluuiæ, colligatur. Sed declarandi tantùm gratia verbum illud dulce fieri ab Hippocr. positum fuisse existimandũ est. Quod autem hoc ita se habeat, possumus etiã nonnullis Aristot. locis hoc ipsum confirmare, in quibus id quod dulce est, ex quo fiunt pluuiæ, interpretatur hac voce, *πότιμον*, hoc est, q̃d potabile, & potulentum est. Ex quo sanè apparet ipsum quoq; Aristot. per id, quod dulcissimum est, quod à caloré Solis scribit quotidie sursum ferri, nõ intellexisse id, quod sapore dulcissimo præditum est, sed quod maximè sit ad bibendum accommodatum. In secundo igitur Meteor. de Mari verba faciens, & de eo, ex quo fiunt pluuiæ, hæc scribit: *τὸ μὲν οὖν πότιμον καὶ γλυκὺ διὰ κουφότητα πᾶν ἀνάγεται. τὸ δ' ἁλμυρὸν ὑπομένει διὰ βάρος οὐκ ἐν τῷ αὐτοῦ οἰκείῳ τόπῳ.* id est; itaq; quod potabile est & dulce, vniuersum ob leuitatem attollitur: quod autem salsum est, præ pondere subsidit, non in suo ipsius proprio loco. Vox igitur illa declarat, quid per dulce in aqua significet. Similiter & paulò pòst eandem sententiã repetens inquit: *τὸ δὲ γλυκὺ καὶ πότιμον ἀνάγεται διὰ τὴν κουφότητα, καθάπερ ἐν τοῖς τῶν ζῴων σώμασι.* q̃d est: Dulcis verò, & potabilis pars sursum fertur ob leuitatem, quemadmodum in animalium corporibus aduenit: Sunt & alij quàmplures loci, quibus & hoc ipsum confirmare possumus; sed hæc sufficiant in præsentia. Quod verò ad locũ attinet Aristot. lib. de Sensu, & Sensato, & Alexand. in Comment. dicendum est, eos intellexisse per id, quod dulce est, illud quod potabile sit, & ad bibendum accommodatum. Quod verò Alexander per aquam dulcem, insipidam, & nullo sapore præditam intelligat, facilè licet colligere ex eiusdem verbis eodem lib. dicit enim aquas pluuias hyemis tempore esse dulciores, & causam deinceps affert, & inquit: nã hyemé cùm humida existat terra, puræ, & impermixtæ sursum feruntur exhalationes; docuerat enim Aristot. saporem quemcunque ex admixtione sicci terrei cum humido fieri. Hyemis autem tempore cùm humore admodũ affluat terra, exhalationes, quæ sursum feruntur, maximè siccis terreis partibus, erũt impermixtæ: quocirca minimè omniũ sapore dulci præditæ erunt, aut alio quouis sapore. Atqui hæc omnia in eam rem proposuerat Alex. vt probaret aquas pluuias hyemis tempore esse dulciores: ergo esse dulciores, & nullum habere saporem idem significat. Quapropter & eodem loco Alexan. vocem illam *γλυκύποτον*, quo vsus fuerat, transfert paulò pòst in vocem *ποτιμώτερον*, id est, magis potabilem. Ne quis tamen crediderit hoc loco Alex. aut Hippoc. 6. Epidem. Sect. 4. aut nostræ sententiæ, quam & ex Oribas. & Ægineta, & Galeno, tum & ratione confirma-

uimus, aduersari. Videtur enim magis laudare hybernas aquas hoc loco Alex. & dulciores, id est, ad potum magis accommodatas appellauit; cùm nos ex præscriptorum sententia magis aquas æstiuas probauerimus, hyemales autem, & nimbosas aduersus Ruffi Ephesij sententiam minùs probandas ostenderimus: Concedimus enim & nos fortasse hanc ob rem magis insipidas esse: at ob crassitiem, ob cruditatem, & substantiam minùs perspicuam, eas minùs bonas esse dicimus: ob calorem enim Solis minùs elaborantem elixatio minùs fit, & ea ratione etiam minùs potabiles redduntur, id est, minùs sanæ sunt: at dulciores dici possent, quòd ob eam rem fortasse minùs terrestri substantia sint refertæ. Quamuis ne sic quidē hoc verum sit: quamuis enim nonnihil & exhalationis siccæ, & terreæ substātiæ admixtum habeant vapores sursum elati æstiuo tempore; calore tamen validiori agente maior fit elixatio, id est, separatio crassioris à tenuiori, atq; æstate hac ratione dulciores sunt, & magis ad bibēdum accōmodatæ: & hac in re mihi magis placet opinio Hippoc. Galen. & aliorum medicorum, quàm Alex. nisi ita sentiat, quemadmodū primo loco sumus interpretati. Neque verò ratio vltima, qua probari videtur, per dulcissimas aquas intelligere verè præditas sapore dulci Aristot. vllius est momenti: quamuis enim quod relinquitur in mari crassissimum, & ponderosissimum, salso sapore præditum sit, non cōcluditur tamen eius oppositū, quod eleuatur, esse verè dulce: quod enim crassum est, & quod ob pondus relinquitur, est mixtum, & idcirco habet & saporem, & odorem: at quod tenuissimum est, & sursum fertur, est simplicissimum; & ideo caret sapore. Est postremò quod difficultatem faciat, non mediocrem in iis, quæ ab initio proposuit Hippocr. in hac particula. Ex crassiori enim, & magis tenebricosa parte vaporum, qui sursum feruntur, aërem fieri dixit; ex tenuissima verò, & splendidissima aquam pluuiam. Hoc certè dubium videtur: cùm aër aqua multò sit tenuior, ex tenuiori igitur materia potiùs gigni deberet. Præterea quomodo verum est nebulam ex densiori, & terrestriori materia fieri, si ex eadem fit, ex qua & aër: cùm alioqui aër sit ex tenuissima substantia. Nisi cum Galeno lib. 4. Commēt. in lib. 6. Epidem. Commēt. 19. dixerimus, antiquos Græcos scriptores cœlum nos ambiens exquisitè purum, æthera; caliginosum autem, aut nubibus opacum, aërem vocasse: probatq; ibidem Galen. aliquot auctoritatibus. Nos verò id ipsum ex Gellio cōprobare possumus lib. 13. cap. 19. qui annotauit Homerum dixisse ἠέρα βαθεῖαν, id est aërem, seu caliginem, nebulámve profundam. Sic sępe apud Hesiodum pro tenebris sumitur. Vnde etiam Theocrit. in Idyll. ε. pro inferis, & loco tenebricoso sumpsit, cùm dicit: ἀλει πῖ κο-κρυπτάμεθα δ' ἐν πάρω ὑκὶν τόσῳ, in tenebricosis locis, vbi tecta sunt, vnde non est reditus. Quod igitur Hippocr. dixit ex crassiori, & noctem referente parte vaporum fieri aërem; intelligit crassiorem aërem, & tenebricosum, & caliginem.

XXXII.

Ἕως μὲν οὖν διεσκεδασμένον ᾖ, καὶ μήπω ξυνεστήκῃ, φέρεται μετέωρον. ὁκόταν δέ κου ἀθροισθῇ, καὶ ξυστραφῇ ἐς τὸ αὐτὸ, ὑπὸ ἀνέμων ἀλλήλοισιν ἐναντιωθέντων ἐξαίφνης, τότε καταῤῥήγνυται, ᾗ ἂν τύχῃ πλεῖστον ξυστραφέν. τότε γὰρ εἰκὸς τοῦτο μᾶλλον γίνεσθαι, ὁκόταν τὰ νέφεα μὴ ὑπὸ ἀνέμου στάσιν ἔχοντος, ὡρμημένα ἔωσι, καὶ χωρέοντα, ἐξαίφνης ἀντικόψῃ πνεῦμα ἐναντίον, καὶ ἕτερα νέφεα· ἐνταῦθα μὲν πρῶτον αὐτοῦ ξυστρέφεται. τὰ δ' ὄπισθεν ἐπιφέρεταί τε, καὶ οὕτω παχύνεται, καὶ μελαίνεται, καὶ ξυστρέφεται ἐς τὸ αὐτὸ, καὶ ὑπὸ βάρεος καταῤῥήγνυται, καὶ ὄμβροι γίνονται.

Quandiu igitur dissipatum fuerit, & nondū compactum, fertur sublime, vbi verò coaceruatum fuerit, & simul congregatum derepente à ventis inter se contrariis, tunc deorsum prorumpit, qua parte plurimum collectum est: tūc enim magis verisimile est hoc fieri, vbi nubes à vento stabilitatem non habente, concitatas, & impulsas confestim repercutit ventus contrarius, & nigra nubes: istbus enim prius ipsius pars aggregatur: quæ verò posteriùs inferuntur, & in hūc modum incrassescere faciunt, & eas denigrant, & sic condensantur, & ob grauitatem deorsum proruunt, & pluuiæ fiunt.

Videbat Hippocr. difficultatem maximam, quæ esse poterat in aquæ pluuiæ generatione ab eo hactenus exposita; cùm eō tempore philosophia naturalis principia solùm haberet, & neque perfectionem esset assecuta, quam postmodum inchoatam Aristot. absoluit, quomodo scilicet sursum ferri posset hæc materia, quę nubes est, quæq; satis est densa, quæ demū grauis esse videtur, quod ostendit eius tandem factus descensus: propterea Hippocr. in hac particula ita manifestè totum hoc negotiū ob oculos nobis proponit, vt nihil amplius remaneat, quod manifestum non sit factum. Inquit igitur, vapores, dum sursum feruntur, non esse adinuicem congregatos, & condensatos: non enim rectà sursum ferrentur; natura enim sua graues essent: Sursum igitur feruntur dispersi, & dissipati: sic enim adhuc naturam aëris omnino referunt, & calidi sunt duplici calore, tum Solis, qui excernit, & causa est, vt sursum ferantur, tum exhalationis calidæ, & siccæ: vbi autē hinc inde moti à ventis contrariis fuerint, congregantur, & coeunt, & nubes generatur dupli ci ratione: tum quòd destituuntur ex parte calore à Solaribus radiis dato, tum & alio calore, quem habebant vapores ratione exhalationis mixtæ calidæ, & siccæ, quæ aut à contrario frigore

gore ventorum ex parte extinguitur, aut certè sursum fertur ad aëria supremam regionem: & quemadmodum vi caloris aqua rarior fit, difficitur, & attenuatur, ita vi frigoris, quod rarum est, & disiectum, cogitur, vt in quarto Meteorolog. Aristot. optimè annotauit. Id verò, quod coactum est, & aqueum, graue cùm fit, deorsum feratur necesse est. Et hoc est, quod docuit Aristot. in primo Meteorolog. cùm inquit: Stante autem terra is, qui circa eam est, humor à radiis solaribus, & reliqui superi caloris efficientia in vaporem conuersus, sursum conscendit. Cùm verò calor, quo effertur, eum deserit, partimq; in superum locum dissipatur, partim extingui tur, propterea quòd in aerem, qui supra terram est, sublimius remotiùs efferatur, vapor refrigeratus, rum ex caloris defectione, tum etiam ex loco, rursus cōcrescit, & ex aëre aqua gignitur. Quæ mox vbi genita est, rursus in terram fertur. Hactenus Aristot. Vbi illud obseruandum est, per aerem Aristot. hoc loco vel vaporem illum sursum delatum intelligere, vtpote qualitatibus cum aëre consentientē, quando vterq; calidus est, & humidus; aut aërem, qui ex illo vapore ortus est, qui rursus in aquā concrescit. Consentit igitur cum Hippoc. Aristot. Hoc autem ex professo proposuit Hippocr. vt vulgi opinionem refelleret, quæ etiamnum viget. Credunt enim cōmuniter gregarij homines, imò etiam pleriq;, qui Aristot. philosophiæ naturalis principia non probè nouerint, aliquid reperiri, quod nubem appellant, quòd aquis repletum ex mari, fluminibus, lacubus, & id genus aliis aquis eleuetur: Cùm alioqui soli sint vapores cum exhalationib. calidis, & siccis, qui successiuè ascendūt, & tandem in media regione aëris, ea, qua diximus, ratione, in multas nubes condensati iterum decidunt. Cùm igitur paulatim ascendunt, à ventis hinc inde mouentur, & successiuè se adinuicem cōpingentes vniuntur, & fiūt nubes, quæ adhuc tenues sunt, & adiuræ exhalationibus commixtis sursum ascendunt, sed in via ad maiores minores nubes coniunctæ crassiores euadunt: neq; enim censendum est Hippocr. voluisse verò agitare nubes, dum in media regione aëris sunt; scimus enim eò non pertingere ventos ex decreto Aristot. sed nubes has dispersas, dum ascendunt, à ventis agitari intelligendū est: at vbi sursum ascenderint, & ad mediam regionem aëria peruenerint, simul vniūtur, & magis incrassantur, & veram nubem efficiunt: tandem crassefactæ adeò, & obscuriorem nubem producentes, grauitatē assecuti decidunt, & pluuiam generant.

XXXIII.

Ταῦτα μὲν ἐστιν ἄριστα κατὰ τὸ εἰκός. δεῖται δὲ ἀφέψεσθαι καὶ ἀποσήπεσθαι· εἰ δὲ μὴ, ὀδμὴν ἔχει πονηρὴν, καὶ βράγχος, καὶ βῆχας καὶ βαρυφωνίην τοῖς πίνουσι προσίσταται.

A *Et proinde hæ optimæ sunt secundū hanc rationem. Verùm opus habent, vt elixentur, & nō putrescāt, sin minus, odorem habent malum, & raucedines, & tusses, & vocis grauitatem bibentibus inferunt.*

Ex tam longa disputatione de aqua pluuia concludit; tum demum eam secundùm hanc rationem optimam esse, modò elixetur, & diligens cura omnino adhibeatur, ne putrescat; a-B lioqui malum odorem habet, & raucedines, tusses, & vocis grauitatem infert. Multa verò sunt, quæ in præsenti particula consideranda nobis ob oculos sese offerunt: quorum aliqua ad Hippocr. verba pertinent, quæ etiā primo loco tanquam scholia præponuntur à nobis; alia verò circa ipsas Hippocr. sententias, & earum veritatem. In verbis tria consideranda sunt, duo in interpretatione aliorum, tertiū in varia contextus Græci Hippocr. lectione. Duo C priora obseruanda sunt in illis verbis: δεῖται δὲ ἀφέψεσθαι καὶ ἀποσήπεσθαι, in quibus interpretandis nullū omnino ex interpretibus reperio, quod ego legerim, qui rectè & ex Hippocr. sententia ea in Latinum verterit: sic enim exponunt: Verùm opus habent, vt decoquantur, & excolentur. Vnum tamen excipio Cæsarem Rodidium Mediolanensem collegam nostrum, Peripateticum præstantissimum, & vtriusq; linguæ peritissimum, qui nunc summa cum laude, & om D nium admiratione philosophiam in Ticinensi gymnasio ordinariè, vt aiūt, profitetur: ei enim Medicorum huius vrbis ornatissimo collegio aggregari petenti, cùm de more à Duumuiris propositæ essent duæ quæstiones difficilimæ, ac pulcherrimæ, quarum prior erat de vena secanda in pleuritide, altera de aquarum præstantia; dum posteriorem hanc ita explicaret, vt vniuerso illi ordini admirationi esset, in hanc Hippocr. sententiam incidens, primus, quod E sciam, cæterorum omnium interpretum oscitantiam hac in re nobis ob oculos proposuit tam apertè, & tanto auctoritarum grauissimarum apparatu, vt nunquam amplius ex animo excidere poruerit. Primùm igitur, vt ad rem redeam, aberrant interpretes, cùm verbum ἀποσήπεσθαι tranaferunt excolentur: excolari enim verbo διηθεῖν significatur: verba verò hæc διηθεῖν, & ἀποσήπεσθαι, diuersa significare, in Græcis literis paulò eruditus nemo est, qui non vide F at. Neq; verò censendum est, locum hunc esse deprauatum: cùm codices omnes Græci, tam impressi, quā manuscripti, quos aut videre contigerit, aut ab aliis intellexerim, hoc loco ἀποσήπεσθαι habeant. At dicet quispiam, tu, qui alios reprehendis, idem ipse es non mediocriter accusandus: Verbum enim ἀποσήπεσθαι, non putrescere, siue prohibere, ne putrescant, interpretaris. At quicunque tum veteres, tum illis posteriores scriptores linguæ Græcæ obseruationes ediderunt, idem significare verbum hoc ἀποσή-

σήπεσθαι, quod simplex verbum σήπεσθαι, hoc est, putrescere vno ore asseruit. Atqui nos certè, quin illud verũ sit, non imus inficias: quòd verò verbum illud ἀποσήπεσθαι, contrariam nequeat obtinere significationem, nempe μὴ σήπεσθαι, cùm id ab aliis nequaquã fuerit obseruatum, minimè necessariò infertur. Danda igitur est à nobis opera, vt in hoc loco Hippoc. in hac significatione vsum hoc verbo fuisse declaremus: & primùm, quæ proximè consequũtur verba, id manifestè demonstrant: subdit enim; si verò non, siue sin minùs, odorem habent malum, & raucedines, & tusses, & vocis grauitatem afferunt bibentibus. Quibus verbis manifestè commõstratur, per verbum ἀποσήπεσθαι, minimè nos interpretari posse putrescere. Sensus enim esset, si verò non, id est, negando quod proximè dictũ est, si verò non putrescant, odorem malum habent, & grauedines, tusses, & vocis grauitatem bibentibus afferunt: quæ omnino esset propositio falsa, & omnino à veritate aliena: quis enim nesciat multò magis odorem malum habere aquam pluuiam, cùm est putrefacta, & ea mala inferre magis, quàm vbi immunis est à putredine. Quæcunq; enim putrescunt, malũ habent odorem, quemadmodum in lib. de Sensu, & Sensato, cap. 5. docet Aristot. putrida ingratum odorem spirant. Et Theophrastus Aristot. discipulus hoc idem scripsit in lib. de Odoribus circa illius initium; ἅπαν γὰρ, inquit, τὸ σηπόμενον κακῶδες, quicquid enim putrescit, malè olet. Quòd etiam raucedines, tusses, & vocis grauitatem in iis gignant aquæ pluuiæ, qui eas putrescentes bibunt, non autem cùm nondũ putrescunt, apertè nobis declarat Paul. Ægin. lib. 1. cap. 5. vbi postquàm summis laudibus commendauit aquas pluuias, subiungit: cùm verò cœperit immutari, putrescereq́; iis, qui eam bibunt, & raucedines, & tusses, & vocis grauitatem gignit. Hæc autem etiam scripta sunt ab Oribas. 5. Medic. Collect. cap. 1. Quæ cùm ita se habeant, nullam certè aliam obtinere significationem posse verbum istud ἀποσήπεσθαι, id est, nõ putrescere, siue prohibere, ne putrescant, hæc Hippocr. verba declarant apertissimè. Verùm si & verbum istud diligenter considerauerimus, illud ipsum omnino ab eo significari perspicuè admodum cognoscemus. Hoc enim verbum constat ex præpositione ἀπὸ, & verbo σήπεσθαι. At verò præpositio hæc ἀπὸ, quemadmodum iuncta huic verbo nullam quandoq; significat rei priuationem, sed potiùs verbi significationem adaugeat, ita vt ἀποσήπεσθαι, valdè putrescere significet; eodem pacto nonnunquam huic verbo coniuncta illius priuationem indicat. Hanc enim præpositionem & per se, & in compositione priuationem significare constat: per se quidem, vt apud Thucydidem lib. 6. ταῦτα δὲ τὰ ἄλλα ... ἀπὸ τῆς ἐλπίδος ... vbi scholiastes, ἀπὸ τῆς ἐλπίδος, id est, χωρὶς τῆς ἐλπίδος, interpretatur. Eodem pacto viduam mulierem vocare so-

A lemus, τὴν ἀπ' ἀνδρὸς οὖσαν, id est, quæ viro priuata est. Eandem quoq; præpositionem in dictam verbo vim quoque habere priuandi, nonnullis exemplis tum ex Hippocr. tum ex aliis scriptoribus desumptis comprobare possumus. Est igitur primum verbũ ἀπαυδᾷν ἀπαυδῶ, quod ex præpositione ἀπὸ, & verbo αὐδάω, αὐδῶ, constat: at verbum αὐδᾷν, vocem edo, & loquor significat: iunctum verò cum præpositione ἀπὸ, significat loquendi facultate destituor: Sic enim Erotianus B in expositione vocum Hippocr. ἀπαυδᾷν, apud Hippocr. vult esse ἄφωνον γενέσθαι, quod est vocis expertem fieri. Galenus quoq;, qui librum confecit, in quo nonnullas Hippocr. voces interpretatur, in eo scribit apud Hippocr. vocem hanc ἀποκηδέστερον legi: ea verò constat ex præpositione ἀπὸ, & voce κηδέστερον, cuius vox positiua est κῆδος, κήδεος, quæ curam, solicitudinem, diligentiamq́; significat, κηδέστερον, idem quod diligentius significabit. Econtrà verò ἀποκηδέστερον C negligentius: sic enim Galen. scribit, Hippoc. hac voce vsum fuisse ἀντὶ τοῦ ἀφροντιστότερον, negligentius. Est & verbum ἀπορέγειν, quod ex præpositione ἀπὸ, & verbo ὀρέγειν constat, ὀρέγειν autem significat extendo, & porrigo. In eadem significatione scribit Galenus vsum fuisse Hippocr. composito verbo ἀπορέγειν. Locus est Hippoc. lib. de Fracturis, in quo circa illius initiũ, hæc scripta sunt: οἱ μὲν οὖν μηδὲν προβουλεύοντες οὐδὲν ἐξαμαρτάνουσιν. αὐτὸς γὰρ ὁ ἐπιδεόμενος τὴν χεῖρα D ὀρέγει, οὕτως ὑπὸ τῆς δικαίης φύσιος ἀναγκαζόμενος, hoc est: qui nihil priùs deliberãt, plerunque nihil errant: ipse enim, qui deligatur, sic iusta natura coactus brachium porrigit. Galenus locũ exponens scribit, nonnullos Hippoc. interpretes accipere verbum hoc ἀπορέγειν, pro ὀρέγειν, id est, extendit, & porrigit medico: alios verò pro ἀποκλίνειν, hoc est, non porrigit, vt medicus indoctior membrum in contrarium conuertat. Omnes enim homines natura singulas partes figurant, quemadmodum minimè lædãt, &c. Subdit: Sed vtrouis modo acceperit, res eadem maE net. Quibus illud sanè vult nobis significare Galenus, ipsos accepisse verbum hoc ἀπορέγειν, in cõtrariam significationem: Id est, ipse, qui deligatur, sic iusta natura coactus brachiũ nõ porrigit, id est, indoctiori medico figurandum, ne in contrarium auertat, sed ipse illud collocat, quemadmodum minimè lædat: & hanc interpretationem minimè improbat Galenus. Est F præterea verbum ἀπολαγχάνειν, quod ex præpositione ἀπὸ, & verbo λαγχάνω compositum est, λαγχάνω autem sortior significat: econtrà compositum cum præpositione ἀπὸ, non sortior, vt plurimum significare constat: vnde ἀπολαγχάνοντες dicuntur, quibus sors non obtigit, quique spe sortis exciderunt, quasiq́; repulsam passi sunt. Plutarchus in Consolat. ἀπὸ ἐλπίδος μὲν ἀρχὴν, ἀπολαχόντα δ', οἱ φασιν ... τῶν λόγων. Econtrà tamẽ aliquando affirmationem significat; si cum illo codẽ verbo iungatur, id est, ἀπολαγχάνω, pro sortior,

tiot,vt apud Herodotum ἀπολαχόντες τῆς ἐπιμάχων τὸ ἀπέλλων, id est,accepta facultatum, quæ ipsis forte euenerant,potiebe. Sic ἀπελπίζω.quod ex præpositione ἀπὸ, & verbo ἐλπίζω componitur, aliquando non spero,aut despero;aliquãdo verò non negationem,sed affirmationem potiùs significat: licet hoc apud veteres Græcos scriptores multis in locis animaduertere. Galenus certè in 1.ad Glauc.de curandis finib. verba faciens, in negatiua significatione vsus est hoc verbo inquiens: ἐν τῇ μιᾷ οὖν τῶν τῇ πρώτῃ ἢ δευτέρᾳ ἡμέρᾳ, ἐὰν κενωθῇ τις ἰχὼρ λεπτὸς ἐκ τῆς κοιλίας, μὴ πάνυ τῆς κολλήσεως ἀπελπίζε: id est, in prima igitur, & secunda die si aliquis humor tenuis à linu excernitur, noli admodum de conglutinatione desperare. Interdum verò hęc posita præpositio non priuationem significat,sed pro,ex, ponitur,vt sit spero ex aliquo, vel ex aliqua re, vt in sacris literis habetur. In Euangeliis enim apud D.Lucam, cap.6.sic scriptum est: καὶ δανείζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες,& mutuum date, nihil inde sperantes, quemadmodum transfert vetus interpres, qui quidem vocem illam, inde, ad exprimendam vim præpositionis ἀπὸ adiecit. Neque tamen is ipse sum,qui credam præpositionem ἀπὸ, verè, & propriè significare negationẽ: sed quemadmodum in Latinis præpositiones à, & ab, & per se,& in compositione videmus sæpenumerò ablationem,separationem, & ablationem rei alicuius significare,ita ἀπὸ, pari ratione in Græcis auferendo, & separando, quandoque negationem nobis hoc modo repręsentare dicimus. Hæc sunt,quæ nostra huius Hippocr. loci interpretationem apertissimè comprobant. Alterum est,quod in huius particulæ interpretatione diligenter consideretur, quòd vocem ἑψήσθαι,qua concoctionis specië, nempe elixationem significat Hippocr. nominę generia interpretantur: loquuntur enim,vt decoquantur. Rectè autem Hippocr. vsus est vòce, quæ concoctionis speciem, elixationem videlicet significat: Cuius cùm duas species statuat Aristot. propriam vnam, alteram impropriam, & per metaphoram, ea,qua coquitur aqua, elixatio metaphorica est,quemadmodum ex Aristot. sententia optimè superiùs declarauimus. Quapropter & in 6.de Morb.vulg.de aquæ elixatione verba faciens, idem Hippocr. non generis nomine vtitur,sed eo,quod elixationem significat: inquit enim: ὕδωρ ἀφεψηθὲν, τὸ μὲν ἐπιζεσαι τὸν ἀέρα, τὸ δὲ μὴ ἐμπλεων ᾖ, ἢ ἐπίθημα ἔχειν. hoc est,aqua elixata, tum quidem vt aërem admittat, tum verò vt non plenum sit,& operculum habeat. Ex tribus ab initio propositis,quę tanquam scholia præponẽda esse dixeramus,duo, quæ ad interpretes pertinebant,absoluta sunt; tertium nunc reliquum est, vt breuiter consideremus,quod ad variam huius loci lectionẽ Græci codicis pertinet. Aldinus enim,& Basilienses ita legunt: τὰ δὲ μὴ,ἑψῶμαι ἔχει πονηρὸν, ἢ βράγχος ἢ βαρυφωνίην τοῖς πίνουσι παρίστησι,at nos ex manuscripto,ex quo multa,vt aliàs diximus, annotauimus,addendum esse censemus ἢ βῆχας,vt sic legamus: τὰ δὲ μὴ,ἑψῶμαι ἔχει πονηρὸν, ἢ βῆχας ἢ βράγχος ἢ βαρυφωνίην τοῖς πίνουσι παρίστησι· quam lectionem etiam Gadaldinus Mutinensis vir eruditus in suo antiquo libro manuscripto habuisse scribit,& nos prætereà ex Græcis scriptoribus,qui de aquis scripserunt ex Hippocr. sententia ita locum hunc restituẽdum censemus. Oribasius enim lib.5. Eupotist. cap.14. de Aquis agens, & hanc Hippocr.sententiam referens,dictionẽ hanc addit,sicut etiam 5.Collect.med.cap.5. ex Galen.sententia. Idem quoq; ex Paulo Ægin. lib.5.cap.50.facilè quilibet colligere potest.Hactenus de interpretibus, & de lectione Græca supplenda. Superest nunc vt sententiam Hippocr.consideremus.Verùm quoniam illius veritas ex multis, quæ inter doctissimos viros sunt controuersa,pendet, nisi de iis priùs diligenter disputauero, inanem omnem nostram operam futuram esse credo. Neque enim satis certum est,an omnium aliarum aquarum optimam statuerit Hippocr.fontana etiam non excepta, an potiùs solùm in leuitate, dulcedine, & splendore, & tenuitate eam cæteras superare velit, non autem in reliquis conditionibus, in quibus fontana præualeat.Neque etiam certum est,an omnis aqua excoquenda sit, an solùm,quæ non satis radiorum Solis vi fuerit elixata. Neque postremò illud satis constat,an aquam pluuiam statuat epotam,raucedinẽ, tussim, & vocis grauitatem inducere, nisi percoquatur,etiamsi putredinem adhuc nullam contraxerit,an potiùs ad putredinem eiusdem hęc symptomata sequi voluerit. Has igitur difficultates diligenter expendere oportet,etiamsi expositoris officium id transcendere videatur. In prima expendenda eum ordinem seruabimus, vt primùm rationes, quibus pluuiam aquã omnium aliarum præstantissimam esse statuitur, fontana etiam absolutissima non excepta, ponamus.Secundò oppositas,quibus probari solet, fontanam pluuiali esse multò præstantiorem. Tertiò varias,& inter se dissidentes opiniones tum antiquorum, tum recentiorũ tradendas in Hippoc. exponendo,& in dissoluendis rationibus, & auctoritatibus inter se dissidentibus. Quartò,quæ nostra sit hac in re sententia, docebim⁹. Postremò quid ad rationes, quæ aduersus nostram sententiam aliquam facere difficultatem videbantur,dicendũ sit, explicabimus. Pluuiales igitur aquas, & optimas esse, & cæteras omnes, fontana etiam optima in suo genere non excepta, bonitate superare, quod à nobis primo loco proponendũ esse dictum est; ita possunt,qui eam tuentur, sententiam confirmare tum auctoritatibus,tum rationibus. Primò Hippocr. auctoritate,qui in hac lib. aquas pluuias leuissimas, tenuissimas,dulcissimas,& splẽdidissimas esse docet, & in hac particula concludit etiam esse optimas. Cor-

nelius Celsus etiam lib. 2. suæ Medicinæ, cap. 18. aqua leuissima pluuialis est, inquit, deinde fontana, tũ ex flumine, tum ex puteo, post hæc ex niue, aut glacie, grauior iis ex lacu; grauissima ex palude. Oribasius etiam Sardianus lib. j. ad Eunapium, c. 14. omnia prorsus de aquarũ perfectione docet, quæ ab Hippocr. hoc loco tradita sunt: Et prætereà postquàm docuit eas facilimè putrescere, inquit: nemo tamen aquã, quæ facilè putrefit, pessimam esse dicat: nam q, facilè alteretur, bonitati potiùs, quàm vitio tribuitur. Quare vbi cæteras habuerit optimæ aquæ notas, licet facilè putrescat, optima hæc censenda est: quam sententiam etiam repetit lib. 5. Collect. med. cap. j. & Paulus lib. j. cap. 50. ab vtroq; ad verbũ eandem est mutuatus. Quin & Aëtius lib. 3. cap. 75. ex Ruffi sententia aquarum, quæ bibuntur, quinq; traditis differẽtiis, pluuiam vt ad potum optimam, & leuissimam omnibus præponit. In hanc sententiam etiam Mauritani scriptores videntur venisse. Razes quidem lib. vltimo Contin. Tract. j. cap. 70. inquit: & aqua pluuialis veris, & hyemis melior est; & in iis duabus aquis est melior pars laudis meæ. Auicen. etiam lib. j. Canon. Fen 2. Doct. 2. Summa j. c. 16. habet hæc verba: Ex aquis quoq; laudabilibus sunt aquæ pluuiæ, & præcipuè illæ, quæ in æstate eueniũt, & ex nubibus, cum quibus accidunt tonitrua. Pòst subdit: Sed tamen aquæ pluuiali citò aduenit putredo, licet sit aqua melior. Quin & Isaac in lib. de Particulari diæta, cap. de Aqua, huic sententiæ videtur suffragari, cùm dicit; sed ex omnibus aquis pluuialis est electior: & quinto Theoricæ, cap. 49. habet; aqua pluuialis cæteris aquis saporosior est, leuior, & mundior: quod ante eum etiã iisdem propemodũ verbis docuit Haliab. quinto Theor. cap. 29. Sunt præterea rationes ex conditionibus hoc loco ab Hippocr. traditis, tum & ex aquæ in potionem assumptæ officio desumptæ. Si enim eæ optimæ aquæ censendæ sunt, quæ leuissimæ sunt, tenuissimæ, & dulcissimæ, quæ hyeme calidæ, æstate frigidæ, quæ modicum vinum ferunt, in quibus citò legumina, & cætera omnia elixãtur; cùm pluuiæ aquæ æstiuæ, & præparatæ per coctionem, vel colaturam, hæc omnia insint, certè ea etiam cæteris omnibus aquis erit præferenda. Prætereà cùm non alia ratione in vsum nostrum pro potione quotidiana traducamus aquam, quàm vt vehiculum sit crassioribus cibis assumptis, vt vndique permeare possent, vbi in succum versi fuerint, aqua pluuia cùm omnium aquarum tenuissima sit, & facilimè permeabilis, optimè omnium poterit propriọ fungi munere; quare etiam optima omnium, fontana etiam non excepta, censenda erit. Qui verò fontanam, quę modò suis conditionibus prædita sit, pluuiali prędferunt, suas quoq; habent & validissimas rationes, quibus suam tueantur opinionẽ. Primùm autem & ipsi id probant Hippocr. auctoritate in hoc lib. Partic. 16. vbi habet hæc verba: Optimæ verò sunt quęcunq; ex sublimibus locis, & terreis collib. fluunt: hæ enim & dulces sunt, & albæ, & vinum ferre quàm minimè possunt: hyeme autem calidæ scaturiunt, æstate verò frigidæ: tales enim erunt, si fuerint ex profundissimis fontibus: maximè verò eas laudare oportet, quarum fluxiones ad Solis exortus erumpunt, & maximè ad æstiuos: oportet enim claras esse, fragrantes, & leues. Quibus verbis manifestũ est Hippoc. aquas optimas vocare fontanas ad Orientem tendentes, & id non solùm in comparatione ad aquas aliorum fontiũ, sed absolutè; cùm nobilitatem hanc fontanarum aquarum penes earum substãtiam, & proprias qualitates consideret: quinimò cùm fontanas aquas optimas esse dicat, id absolutè dixit, in pluuiali autem cùm eam optimam docet, non simpliciter, sed cum additione secundùm hanc rationem. Accedit Galen. auctoritas pluribus in locis, in quibus nusquam reperitur, pluuialem aquam vt optimam commendare, sed solùm fontanam, pluuiam verò potiùs vituperat. Primò enim de San. tuend. cap. 11. habet hæc verba: A frigidæ potione minimè prohibendos hos pueros censeo, quod tamen aliqui faciũt: Verùm à cibo plerunq; & per calores, cùm ipsis cordi erit, vti permitto; potissimum verò, si copia eius sit fontanæ recentis, cui nulla qualitas vitiosa sit aliunde contracta, ea si nõ est, reliquarũ, &c. tum post multas laudes fontanæ aquæ attributas concludit, quòd quamuis hoc pueris solùm dixerit, non esse tamẽ credendum diuersam esse rationem illius potus in diuersis ætatibus, vt de vino, cibis, exercitatione, vigiliis, somno, & venere, & aliis, quib. vti pro ratione ætatis expedit, sed semper hæc optima eligenda est, qua & iuueni, & seni, & puero vtendum est: ex quibus verbis fit manifestum, Galenum fontanam aquam omnibus aliis perfectione, & excellentia præposuisse, alioqui si fontanæ pluuialem præposuisset, aut cisterninam, reprehendendus meritò esset, qui cùm præcepta tuẽdæ valetudinis traderet, hoc tanto bono nos priuasset, non tradens nobis eam aquam, quæ omnino cæteris est præferenda. Prætereà 6. Epidem. Sect. 4. Comment. 8. laudat aquarum elixationem, vt aquæ meliorẽ formam, & naturam nanciscantur: quod & ipsum præstare, vbi ægris aquam sit exhibiturus, testatur: nisi, inquit, fontana bene scaturiens fuerit ad manus. Quibus verbis quid aliud nobis indicauit Galen. quàm se fontanam aquam optimam cæteris omnibus anteponere? Cùm aquam fontanam nulla elixatione indigere docuerit. Sed quod de opinione Galen. omnem tollere videtur dubitationem, est sententia ab eo posita 4. lib. de Tuend. val. cap. 6. in apomelitis descriptione. Habet enim, aquam pluuiã nõnullos in illius præparatione ponere, quos, inquit, non multum errare: ipseq; (inquit) si aquam

quam pluuiam probarem, id suaderem. Verùm nec ipsam probo, &c. Et quòd ita sit, quòd aquę pluuiæ vsum non ita commendarit, vt fontanæ, manifestum faciunt eius monumenta, vbi semper docet vtendum fontana optima: pluuialis autem nunquam meminit, nisi in componendis medicamentis, vt 3. de Tuend. val. 11. & lib. de Alim. boni & mali succi, c. 13. Sed & auctor lib. de Renum affectionibus, quicunque is fuerit, doctissimus sanè, habet de aqua hęc verba: Aqua purissima tribus sensibus iudicatur, gustu, visu, & olfactu: gustu, si nullā planè præ se ferat qualitatem, sed videatur ab omni qualitate immunis: visu, si pura sit, sincera, & exquisitè clara: olfactu, si nihil eorum est, quæ in aquis vitiosis esse olfactus percipit, vt sunt aciditas, putredo, acumen, salsedo, aliquódve vitium, quod nomine careat. Hactenus omnia ex Galeno primo de Simplicium medic. facul. deprompsit. Subdit: Qua tu autem commodè quouis tempore, & modo vti possis, aqua sit purissima, defæcata, leuis, & fontana, cuius natura est frigida: quòd si etiam citò à præcordiis descendit, potiorem non desiderabis: haud verò sicut vino, cibis, exercitiis, vigilia, & somno secundùm ætatum, & temperaturarum diuersitatem, aliis atq; aliis vti commodum est: Sic etiam aqua nō eadem semper vti est ex vsu: imò quam vtilem modò esse diximus, ea audacter vti poteris puer, adolescens, & senex, quacunque naturæ differentia præditus: quæ etiam omnia à Galeno primo de Tuend. val. loco citato iam dicta sunt. Oribasius præterea, Paulus, & Aëtius locis in prima parte propositis in hanc eandem sententiam descendunt. Neq; enim vspiam dicunt aquam pluuiam optimam esse, & fontana præstantiorem ad vsum humanum, sed solùm esse leuissimam, tenuissimam, splendidissimam, & dulcissimam. At verò de fontana habent hæc verba: Scire itaq; oportet illam aquam esse optimam, quæ nullā prorsus qualitatem gustu, aut olfactu præ se ferat: statim verò & hæc bibentibus iucundissima est, visuiq; pura; siq; ab hypochondriis citò descenderit, nullam aliam præstantiorem perquirito: iis indiciis docet Oribasius cognoscere optimam aquam: sed, inquit, si quis indiciis extrinsecis discernere ipsas velit, ex iis, quæ dicentur, iudicet. Quæ enim ad Septentrionem spectant, ac Solem auersantur, illæ tardè permeat, ægrè concoquuntur, tardè etiam calefiunt, & refrigerantur. Quæ verò ad Orientem versæ sunt, ac per meatum quendam, ac terram puram colatæ celerrimè tum calefiunt, tum refrigerantur, eas optimas esse sperandum est. Hoc verò nunquam de pluuialibus dicit, sed solùm esse leuissimas, tenuissimas, splendidissimas, & dulcissimas. Vnde Paulus lib. 1. cap. 3. optimam censet fontanam; pluuialem adstrictionis non nihil habere, & proptereà non esse optimam. Auerroes quoque 5. Collect. 37. inquit, optima aquarum secundùm Hippocr. est aqua fontium orientalium, quæ scaturit ex aqua, quæ non habet nimis crassam substantiam, nec nimis mollē, vel luteam, sed sit mediocris inter has: & proptereà hæc aqua est suauior, & citiùs permutatur à calido, & frigido. Mox Razis opinionem impugnat, qui putauit aquam magnorum fluminū meliorem esse, vt etiam facit primo Cant. Comment. 132. potest etiam hoc rationibus demonstrari. Docuit Galenus 7. Method. meden. vitia ferè omnia ipsius aquæ pendere ex nimia ipsius frigiditate, cuius culpa, & in præcordiis nimiū moratur, & fluctuationes excitat, & in flatum mutatur, & corrumpitur, & robur ventriculi resoluitur, sic vt deterius inde elixetur, sed nec digerendo per corpus alimēto aliquid magnoperè conducit: sed aqua fontana media est inter excessum frigiditatis, & teporis, vt docet idem Galen. 10. Method. meden. vbi dicit: esto autem tunc præparata in labro aqua frigida ea frigiditate, vt nullam euidentem qualitatē, nec prorsum frigidarum, nec tepidarum aquarum præferat, sed qualem ea, quæ fontana vocatur, quę & frigoris, quod ferit, & caloris, qui soluit, est in medio. Quod secundo de Simplic. med. facult. repetit, cùm dicit: Porrò si nec insigniter calida, nec frigida admoueatur, sed veluti quę fontana dicitur. Fontana igitur ea erit, quę & salubrior est, & ad potum humanum magis accommodata, quòd nullum in se habeat excessum aut frigoris, aut caloris. Secundò idē probant. Ea aqua omnium præstantissima est, quę à natura talis est, arte autem nulla opus habet, vt perfectionem suam assequatur, vt docet Galenus quarta Sect. 6. de Morb. vulg. C. 10. sed aqua fontana electa est huiusmodi, pluuialis autem nunquam in vsum duci potest commodè, nisi arte perfectionem nanciscatur, alioqui & facilè putrefit, & malum odorem habet, nisi elixetur, & à putredine vindicetur. Accedit tertiò, quòd quæ in bilem facilè verti possunt, in quotidianū vsum, & indifferenter non ita commodè assumi possunt: aquam autem pluuiam talem esse manifestis verbis ex Ruffi sententia docet Aëtius lib. 3. cap. 165. dicit enim; ex iis aqua pluuia leuissima, & facilè mutabilis, & in aliis affectibus potu optima, si statim excipiatur, & coletur, verùm febribus, & iis, qui bilem supernè, & infernè reddunt, & regio morbo incommoda: mutatur enim facilè, & in bilem transit. Idonea autem est medicamentis ad fluxus & vlcera destinatis, at iis, quæ visum acutiorem reddunt, inepta est. Itemq; ad medicamentorum metallicorum lotionem: adstringit enim magis, quàm fontana: quare neq; extergit, neq; concoquit, neq; madefacit, & excretiones impedit. Diuturnior autem acerbior fit, & difficilius transit, & ægriùs secernitur, tardiùs etiam concoquitur, ac digeritur; generat autem distillationes, si frigida bibatur. Ratioittereà ex munere aquæ in potum assumptę

collectā ita manifeſtè id doeere videtur, vt omnem hac in re dubitationem auferat. Si enim ea ratione aſſumitur aqua, vt iam docuim⁹, vel in poto, vel in eduliis, vt ſitim ſedet, & craſsiorem cibi ſubſtantiam per tenuiores venas poſſit ad hepar conducere, & vt confectū iam ſanguinem per vniuerſum conuehat: aqoa pluoia cùm exiccantis nonnihil, & adſtringentis habeat facultatis, minùs commodè ea officia præſtare poterit. Cùm enim ſitis appetitus ſit humidi, & frigidi, quod ſicci quippiam contioebit, minùs ſedandæ ſiti erit idoneum. Cùm enim ea, quæ adſtringenti prædita ſunt facultate, terrea ſint, &, quod terreum eſt, exiccet, ſequitur, quòd quæ prædita ſunt adſtringenti facultate, etiam exiccent. Aqua autem pluuia adſtringenti facultate prædita eſt, igitur & exiccanti. Quòd enim terreum omne exiccet, colligitur ex Ariſtot. 2. de Ortu, & inter. 24. quòd verò adſtringens omne terreum ſit, docuit manifeſtè Galenus noſtet. 7. de Simplicium medic. facult. cap. 18. vbi dicit, craſsi terreiq́; operam eſſe adſtrictionem. Aquam etiam pluuiam, quā in altero ſyllogiſmo aſſumptam erat in minori propoſitione, adſtringenti facultate præditā eſſe (qua ratiooe minùs etiā alteri officio commodè ſatisfaciet, quòd quamois ob aliarū partium tenuitatem facilè permeabilis ſit, penetrata tamē ſemel adſtrictionem relinquet, qua ſobſequens ſuccus difficiliùs pertranſire poſſit) docuit Galenus 7. de Compoſit. medic. ſec. loc. cap. 2. de compoſit. diacodij, & Paulus lib. 7. cap. 5. & 18. & Aëtius lib. 3. cap. 175. qoi adſtringentem vim habere, & ea ratione ocularia medicamenta ingredi aquam pluuiam vno ore fatentur. Vnde Auicenna lib. 3. Fen 16a T. j. cap. 4. in cura fluxos ventris pro potu exhibet aquam pluuiam, quòd ſtypticæ ſit facultatis. Non defuere etiam, qui aquas pluuias collectas damnarent, quòd ſtagnantes, ſegnesq́ue ſint, cùm haud dubiè profluentes ſemper vtiliores habitæ ſint, curſu ſemper excitatæ, percuſſæq́; vbiq́; crebro extenuatæ; ſed & illod poſtremò vituperandum In pluoia aqua epota dicunt, quòd facilè cōputreſcat intra corpus aſſumpta, cùm vix collectam, putreſcere videamus. In hac tollenda difficultate, in qua & antiqui medici, & rationes inter ſe pugnare videntur, in diuerſas partes noſtri, tum & recētiores partiti ſunt ſententias. Alij enim, vt Braſauolus Vgonem Senenſem, Gentilem Fulginatem, & Thadæum à Garbo ſecutus, crediderunt, ita nos litem hanc dirimere poſſe, ſi dixerimus aquam duplici ratione conſiderari poſſe, aut in ordine elementi, quomodo aquam pluuiam præſtantiſsimam dicunt, aut in reſpectu ad corpus humanum, vt pro potu, aut cum cibis in vſum trahim⁹, quomodo fontanam ei præpōnēdam aſſerunt: quē etiam ſententiam Germani quidam expoſitores lib. de Tuend. val. Galen. lib. 4. ſecuti ſunt. Quaſi verò Hippoc. hoc loco auctoritas, qua optimam videtur ſtatuere pluuialem, non ſit de aqoa in ordine ad corpus humanum, vt pro potu aſſumenda eſt: excoqueodam enim, & vindicandam à putredine cenſuit ratio, quę in diſputationem poſita ab officio aquæ in ooſtro corpore aſſumptæ deprompta aquam pluuiam aſſumit, vt humanum corpus reſpicit. Sed quod meo iodicio omnino tollit hanc ſolutionē, eſt aſſumptum omnino falſum, aquam plouiā magis vicinam eſſe naturæ elementi aquæ: nam ſi leuitatem conſideremus, quatenus in aëre pendeat, omnino naturam aquæ euertit, quę & grauis eſſe debet, & aëri ſubſiſtere, vnde minimè tunc aquam eſſe dicimus, ſed potiùs aëreū corpus, & vaporoſum, quod, vbi condenſatur à frigore, in aquam mutatur, & deſcendit; leuior tamen quoquo modo dicitur ab Hippoc. ob materiam, ex qua genita eſt: attamen tunc etiam ab aqoæ natora magis degenerat, quæ grauis eſt, quamuis in ordine ad corpus humanum optima debeat cæteris eſſe leuior: quamuis ne leuitas quidem hæc, vt ex Galen. iam docuimus, ad pondus metiri debeat, ſed in tranſito per hypochondria, quòd ea minùs grauet. Accedit q̄, ſi meliorem aquam pluuiam dicunt reſpectu elementorum, eò quòd ſincerior eſt, & ad puritatem elementi magis accedat, omninò falſum dicunt, eò quòd, cùm depluit, niſi arte diſponatur, omoino impura eſt, & viſu iniucunda, & olfactu. Crediderunt alij, vt Petrus Hiſpanus, qui ob ingenij ſui nobilitatem, & vitæ ſanctitatem, tandem ſummum Pontificatum nomine Ioannis XXI. meruit, in Comment. doctiſſimis ad diætas Iſaach, & alij ita litem hanc dirimi poſſe: De aqua pluuia vel loqoimur ſecundùm ſe, & hoc modo cæteris erit præferenda, quoniam eſt calida, & humida, ſubtilis, clara, dulcis, & rara, & ſic laudabilis ex parte complexionis, & compoſitionis: aut in comparatione ad corpus humanum. Atque hoc modo duplicem habere poteſt conſiderationem, vel enim ſit comparatio ad corpus mundum, carens omne occaſione morbi, & ſic aqua pluuia eſt omnium ſaluberrima; aut ad corpus immundū, habens homores ad putredinem propenſos: ſicq́; cùm hæc facilimè putreſcat, omnino eſt fugienda, atq; tunc fontana in vſum erit traducenda. Exemplo verni temporis hoc cōmodè demonſtrari poteſt: vel enim cōſideratur reſpectu ſui, ſicq́; omnium aliorum temporū anni ſaluberrimum eſt; aut ſit eius, ratione corporis comparatio ad alia tempora, & hoc duplici ratione, aut enim corpus eſt optimè expurgatum, nullā in ſe morbi occaſionem continens, ſicq́; ver omnium temporum ſaluberrimū eſt, aut ſit eius ad corpus imputum comparatio, & ſic non eſt ſaluberrimum; facilè enim morbos iam paratos ad actum reducere poteſt: mooet enim humores ab interioribus ad exteroas partes, vnde ob ambientē aërem etiā facilior ſit in morbū tranſitus. Habet tamen & hæc opinio ſuas difficultates,

tsies, easdem enim, quantum ad primam partē attinet, difficultates patitur, quas superiùs primo loco scripta: siquidem in eo conueniunt, in sui ratione, id est, quatenus elementum, cæteris præferendam esse. Prætereà non soluit rationes probantes pluuiam epotam multa secū incommoda afferre: vt quæ ob adstringentem facultatem nonnihil etiam purioribus corporibus probabat officere, quæ in calidioribus naturia facilè in bilem verti, quæ eandem non facilè excerni demonstrabant, neque Galenum tuetur, aut explicat, quomodo intelligi debeat, cùm pluuias aquas non satis laudauit. Alij pluuialem aquam, aut ex vaporibus vi radiorum Solis eleuatis, in nubem densatis, & tandem in aquam versis generari, aut per antiperistasin æstate aëre coacto, & in aquam tandem transmutato produci dixerunt, hanc laudabilem, omnium præstantissimam, minimè adstringenti vi præditam, hanc leuissimam, dulcissimam, tenuissimam, & splendidissimam dicont: aliam verò, & ad putrescendum aptissimam, & adstringentem, & malam, cui præponendam multò censent fontanam, hacque posita distinctione hoc modo litem dirimunt. Verùm hæc ex proposito aduersantur Hippocr. qui leuissimam, tenuissimam, dulcissimam, & splendidissimam censet, quæ etiam facilè putredinem contrahit. Quinimò quam summis laudibus extulerat, statim eò, quòd ex multis sit eleuata, & coaceruata, facilè putrescere docuit. Prætereà cùm hæc non speculationis gratia, sed in humanum vsum dicantur, quibus signis cognoscere quispiam poterit has differentias? Rotarius ex aquarum pluuialium differentiis ab Hippocrete positis sexto de Morbis vulgarib. Sectione quarta, particula octaua, litem hanc ita componit, quòd sicut duplex est aquæ pluuialis differentia: alia enim ab æthere excreta est, & tonitrualis, alia procellosa, & nimbosa, & hanc malam dicit esse Hippocr. alteram verò commendat; ita pluuialis hęc differentia omnium præstantissima est, fontana etiam non excepta; quòd neque impura sit, neque facilè putrescat, neque adstringat, sed purissima sit, leuis, atque dulcissima: secus est in procellosa, quæ ob impuritatem, mixtionemque difficilimè permeat, facilè putrescit, atque constringit. Verùm nos non comparamus pluuiales aquas inter se, sed quærimus, an inter pluuias aquas aliqua sit, quę cæteras omnes etiam fontanas præstantissimas superet. Quinimò Hippocrates in eo loco citato non dicit aqoas pluuias ab æthere excretas bonae esse, sed solùm malas procellosas. Sed etiamsi illas commendasset, Hippocr. certè non docuit, an in bonitate præferendæ sint fontanis præstantioribus. Accedit, quòd Hippocr. eas aquas, quas leuissimas, dulcissimas, tenuissimas, & splendidissimas dixerat, easdem facilè putredinem cōtrahere scribit, secus, quàm senserit vir hic doctissimus. Quinimò de iis, quæ ab æthere excretæ sunt, etiam loquens Galenus in Comment. in collyriis eas adhibendas esse scribit: id verò sæpius in libro de Compositiōn. medic. sec. loca docuit non alia ratione fieri, quàm quòd nonnihil in se adstrictionis habeant. Concludendum igitur etiam optimā aquam pluuiam adstringēti facultate esse præditam. Postremò recentiores doctissimi viri, vt Iulius Alexandrinus libro 17. Salub. cap. 11. & Andreas Baccius libro primo de Thermis, capite octauo, & alij viri doctissimi, quamuis inter pluuias aquas alias aliis præstantiores censeant; omnes tamen fontanis quibuscunque etiam præstantissimis pręferendas, & pręstantia, & nobilitate censent. Sed præstat verba Iulij Alexandrini apponere. Nos verò, inquit, inconcussam seruabimus Hippocraticam sententiam, aquarum omnium, quibuscunque artificij nihil adhibetur, æthere excretam, vel etiam cum tonitru, commendandam, minùs iis procellosam; sed & hanc tamen, veluti ipsam quoque pluuialem, præferēdam aliis: cisternarumque artificiis collectitiam iisdem rationibus probabimus, duntaxat ritè cortinatam, nulla immunditie, nullasque trahentem secum sordes, iisque ipsis, si quæ tamen trahuntur, repurgatam, donec naturam suam conseruatam retinuerit. Mox soluit rationes, quæ maius facessere negotium videbātur. Primùm illam, quæ à propensione ad putredinem desumebatur, cùm dicit: sed vnde hoc quæso? nisi ex subtilitate partium, & tenuitate insigni, aduersantibus causis non admodum resistente, vt tenuia omnia solent, vnde facilè eam, & caloris actionem, & frigoris, vt bonitas illius argui solet, suscipere constat. Quamuis ne hæc quidem mutabilitatis facilitas semper experti soleat, vt in morbosis corporibus viscerum angustia laborantibus; in quibus ob adstringentem facultatem non satis competit. Mox alteram soluit, quæ ex hac, quam nūc diximus, adstringenti facultate desumitur; quòd eam non habeat adstringentem facultatem, quæ constipationem faciat, maiorum præsertim viarum, sed quæ diffluere membrorum vires non permittat addito robore. Quæ verò ex segnitie, & quiete proponebatur ratio postrema, ita soluitur; quòd extenuatio illa, quæ motu aquarum perenni acquiritur, longè in aqua pluuia maior est, quòd eius materia solibus, æstuque, & caloribus maximis attenuatissima reddatur, quantam quidem partium tenuitatem, profluentis aquæ longissimus qoamuis fluxus, percussioque nunquam adipiscetur, Credunt verò recentiores viri longè doctissimi, qui & ipsi hanc amplexati sunt sententiam, omnino falsam esse, & à varo alienam Aëtij sententiā, qua in bilē facilè verti tradidit aquas pluoias, quòd bilis ex nimium concocto succo soleat generari, quod in aqua minimè accidere posse di-

tunt. Verùm multa sunt, quæ, quominus hanc doctissimorum virorum sententiam recipiamus, efficiunt. Primùm, quòd ea procellosam aquam pluuiam, quę ab Hippoc. & Galen. omnino improbatur, quæq; mala dicitur, etiã fontanæ præstantissimæ, quam optimã vbiq; Hippocr. & Galen. censent, præponat; cùm alioqui iam à nobis probatum sit, neq; excoctam esse à Sole, neq; attenuatam, neq; splendidã, sed crudam, crassam, atq; turbidam: neque inodoram, sed omnino malè olentem esse. Sed enim id licet experientia conspicere, si procellosam colligamus: quin & si eandẽ tum excolemus, tum excoquamus, neq; tenuiorem fontana fieri, neque splendidiorem, sed omnino turbidiorẽ esse, & nescio quid gustui ingratũ afferre. Cisterna præterea quæcunque etiam ritè constructa fuerit, cùm collecta sit ex omni aquarum genere bono, malo, & etiam omnium deterrimo, niuali, & glaciali, quomodo bonitate fontanam præstantissimam superare valeat, nõ video: neque enim video, quomodo p canales testaceos defluens aqua mala, ad bonitatẽ tam breui defluxu reduci possit, quod ipsi asserũt: esto enim à crassis aliquibus recrementis expurgari: at quæ crassa, terrestrisq; omnino est, quomodo excoqui, aut attenuari possit, neque intelligo, neq; fieri posse credo: cùm in substantia deprauatam esse glacialem aquam, & terrestrem, crassamq; naturam assecutam esse, & iam demonstrauerimus, & in sequentibus doceat Hippoc. Præterea quomodo Galenum, cuius opinioni omnibus in rebus ipsi adhærere demonstrant, sibi hac in re conciliabũt, qui nusquam pluuialis aquæ meminit, cùm de optima aqua eligenda loquitur, sed solùm fontanæ oriẽtalis: quinimò ex professo demonstrat in lib. de Tuenda valetudine in cõfectione apomelitis se pluuiã aquam non satis commendare. Qui verò Aëtiũ reprehendit in eo, quòd facilè in bilẽ verti posse aquam pluuiam dicat, is sciat eum non ex propria sententia loqui, sed ex Ruffi antiquissimi Hippocr. expositoris, à quo etiam profitetur, se totam illam tractationem desumpsisse: neq; verò deridendus est, quòd dixerit aquam posse in bilem verti: docet enim Hippocr. 3. de Ratione victus in morb. acut. 40. aquam epotam in acutis febribus sitim non sedare, sed amarescere, quod eis fit biliosa, qui natura biliosi sunt. Loquitur verò hic secundùm expositionem Galen. de optima aqua, quæ si per vos est pluuialis, quis dubitabit sententiam Aëtij, qui ex Ruffo eam desumpsit, omnino esse eandem, quantũ ad hanc rem attinet cum illa Hippocr. loco citato. Sed quomodo bilescere dicitur, si non transmutatur, & si nondum permeauit ad epar, sed id in ventriculo statim assequitur? Certè bilescere dicitur, quemadmodum longiori oratione superiùs demonstrauimus, quòd retenta in ventriculo bile refertio putredinem contrahit, tum etiam ventriculo innatat; bilis verò collecta, cũ leuior sit, & tenuior aquæ supernatat, & etiam commiscetur, indeque augetur materia amara, & biliosa in ventriculo, non quòd reuera in bilem sit aqua transmutata, sed quòd bili admixta quantitatem humoris flaui, & amari auxerit. Experiamur igitur nos, an aliquid in medium afferre possimus, quòd & auctoritates inter se repugnantes conciliet, & rationibus omnibus satisfaciat. Dicendum igitur est meo iudicio, aquarum arte carẽtium omnium præstantissimam esse aquam fontanam oriẽtalem iis conditionibus insignitam, quas hoc loco illi tribuit Hippocr. hæc enim est, quæ in vsum traduci potest sine coctione, alióve artificij genere, puta colatura: hæc citò hypochondria pertransit, leuisque hoc modo dicitur, hæc citò calefit, & citò refrigeratur: hæc modicam vini mixturam ferre potest: in ea legumina facilè coquuntur: ea mediocritatem illam nacta est inter teporem soluentem, & frigiditatem excedentem; ea tum demum ad omnia obeunda in corpore humano officia est aptissima: Si tamen sola aqua pluuia ab æthere excreta colligeretur, excolaretur, & decoqueretur, fortasse fontanam perfectione superaret: hanc enim & leuissimam, & tenuissimam, & dulcissimã statuit Hippoc. quæ tamen in vsum traduci nõ debeat, nisi arte paretur, puta colatura, aut coctione, ita vt à putredine vindicetur, alioqui & prauum odorem habet ob mixturam, & malo sapore prædita est. Ritè tamen parata ob eas, quas diximus, rationes principem in bonitate locum habet. Et hoc est, quod Hippocr. 6. Epidem. Sect. 4. particula 19. fortasse innuit, cùm dixit aquarum arte carentium, quæ ab æthere excreta est temporaria: neque enim dixit optimã esse, & commendandam, vt optimè annotauit Galen. in Comment. sicut cùm omnino ducit vituperandam procellosam, malam dixit; quoniam certum est ad humanum vsum pro potu, & eduliis parandis nisi arte pareretur, etiamsi ab æthere excreta fuerit, non esse cõmendandam. Docet enim in hac particula Hippocr. aquam pluuiam secundùm hanc rationem, id est, quatenus leuissima, dulcissima, & tenuissima, optimam esse, sed non ad vsum humanum pro potu, quoniam malum odorẽ habet, & nimis admixta est, nisi arte paretur, id est decoquatur, & vindicetur à putredine. Hæc igitur aqua pluuia ab æthere excreta hoc modo parata, quascunque, etiam fontanam pręstantissimam bonitate superat. Fontana autem orientalis, & cęteris aquæ bonæ conditionibus insignita inter eas aquas, quæ in vsum humanum traducuntur pro potu, & aliis eduliis parandis nulla arte præparatæ, primum sibi locum vindicat. Procellosa autem, cùm manifestè ab Hippocrate loco citato vituperetur, tanquam mala, non est, cur cum Iulio Alexandrino, & aliis, fontanæ eam præponamus: cùm ea ex continua quadam obscura, atraque nube

profluat,

profluat, quę cùm vna tota ſit, neq; fulminibus diſsipatur, neque ventorum agitatione concuſſa poteſt perfectionem aſſequi, quæ in optima aqua reperitur, quæq; tum in temporaria, tum in fontana, tum etiam in tonitruali reperitur. Quæ attenuatio, & confractio, quamuis optime reperiri videatur in tonitruali, cùm duplici id ratione fiat, aut quoties incluſus ignis cõtinente eum nube erumpere tentans, excretus ruptionem facit; cadentibus tum fulminibus: aut cùm mutuo attritu colliduntur inter ſe nobes: temporariæ tamen, & fontanæ optimæ cedit, quòd veluti exuſta adſtringentem qualitatem non mediocrem aſſequitur: quo nomine in collyriis, & cęteris adſtringentibus medicamentis maximè deſideratur, cuius tamen qualitatis ratione in quotidiano potu pluuialem vniuerſaliter vituperabant. Vnde etiam illud colligere licet, ciſterninam aquam ritè corriuatam fontana præſtātiſsima multò eſſe in bonitate, & ad vſum humanum vtilitate inferiorem, non modò, quòd arte careat hæc, illa arte parata ſit: ſed quòd nõ temporarias modò, ſed cuiuſcunque generis aquas colligat, tonitruales, & nimboſas, quæ tantò plures ſunt, quantò autumni tempore maior aquarum copia depluere ſolet: quinimò non eæ modò colliguntur, ſed & glaciales, & niuales, quæ omnino ab Hippocr. tanquam peſsimæ vituperātur. Quāuis enim per tubos fictiles rectè corriuata depluta aqua aliquo modo excoletur, & depuretur, & in viuo ſabulone reſideat collecta: nunquam tamen, quæ mala eſt, quęq; omnino peſſima cenſetur, in viſceribus terræ, id eſt, in ciſterna collecta ita pereoqui poſſe crediderim, vt perfectionem illam aſſequatur, quam ſortitur fontana bona in intimioribus terræ penetralibus rectè diſpoſita, & per longiorem terræ tractum defluxa. Non eſt igitur, quòd ciſterninam quomodocunque rectè paratam fontanæ orientali, & præſtātiſsimæ in perfectione præponamus: q̃d Galenus animaduertens in tuendæ valetudinis præceptis tradendis, cùm eam aquam in potum quotidianum traducendā ſtatueret, quæ quotidie ad manus haberi poſſet, depluta autẽ optima, & ab æthere excreta, minimè ſit frequens, nec colligatur, niſi in ciſternis, in quibus etiam excolatur genus quodcunque aquæ pluuialis, ſiue ea tonitrualis ſit, ſiue nimboſa, ſiue etiam niualis, & glacialis, meritò aquam fontanam orientalem omnibus bonitate præſtarę ſcripſit. Hacq; etiam ratione ſe non ſatis probare pluuiam aquam dixit, quòd ciſternarum aqua pluuia cùm indifferens ſit, & ex multis collectitia, non ſatis ab eo probaretur. Vnde Vlpianus dicebat; ciſterna aquam viuam non habet, nec cauſam perpetuam, ſed imbribus concipitur, ideo artem habet cauſam: fons verò aquam viuam habet, & perpetuam cauſam, quia naturam; & quantùm natura artem ſuperat, tantùm fontana aqua ciſterninam ſuperexcellit. Hac igitur poſita inter depluta aquas diſtinctione, facilè, quæ propoſita ſunt in vtranque partem, poterunt & conciliari, & ad veritatem reduci. Hippoc. enim, cùm aquas plouias leuiſsimas, tenuiſsimas, dulciſsimas, & ſplendidiſsimas dicit, aut indefinitè intelligendus eſt, vt iam ſuperiùs docuimus, quę propoſitiones vim habent particularium propoſitionum affirmantium: ſicque nihil aliud ſibi volet Hippocr. quàm ex aquis pluuialibus aliquas eſſe tales, non omnes: ſicque idem erit, atque quod à nobis iam eſt propoſitum. Sed tamen ſeipſum infrà, id eſt, in hac particula explicat, cùm dicit, eas quidem ſecundùm hanc rationem optimas eſſe; at non habito reſpectu ad corpus humanum; tunc enim etiam tenuiſsimæ hæ, & leuiſsimæ aquæ, puta temporariæ, optimæ cenſendæ erunt ad vſum humanum in potu, & eduliis parandis, ſi ritè decoquantur, & à putredine vindicentur: alioqui malũ odorem habent, & grauedines, & tuſſes, & vocis grauitatem bibentibus afferunt ob mixtionem. Celſus verò, cùm Hippocr. eò loci ſit ſolùm interpres, eodem modo intelligendus eſt. Aut certè dicendum eſt, ſolùm in leuitate eas aquas comparare, non autem in cæteris conditionibus. Oribaſius autem, & qui ab eo exſcripſerunt Paulus, & Aëtius nunquam optimam aquam pluuiam dixerũt, aut ciſterninam. Certum enim eſt ipſos de ciſternis collecta aqua pluuia loqui, cùm certum ſit eorum tempore ciſternarum vſum iam inoleuiſſe. Subdunt poſtmodum, quamuis putreſiat, non proinde tamen dicendum malas eſſe, cùm putredo illa virtuti potius adſcribenda ſit. Vnde ſubdunt, quòd aqua licet putreſcat facilè, nõ propterea dicendum, eſſe malam. Quia ex tenuitate partium, atque varietate id accidit: quamuis ne quidem ex hac propenſione ad putredinem arguenda ſtatim ſit aquæ perfectio, niſi ſimul habeat conditiones ab Hippocr. ſparſim poſitas. Quinimò Aëtius ex Rufi ſententia non ſatis eas laudauit, vt iam docuimus. Razis autem ſententia ad verbum ex Ruffo eſt tranſcripta, vt videre licet ex iis, quæ Oribaſius, & Aëtius ex Ruffo duxerunt. In qua etiam tractatione longè deceptum eſſe ſuperiùs docuimus, cùm hyemales æſtiuis præponat. Auicen. autem aut de ſola pluuiali æſtiua optima rectè parata intelligendus eſt: aut ſi de eis in communi loquitur, certum eſt ipſum pluuialem cæteris nõ præponere, ſed ſolùm dicere eas eſſe ex laudabilibus. Quando verò dicit; ſed tamen pluuiali citò aduenit putredo, licet ſit optima; intelligẽdus eſt, aut de temporaria ſola, quæ quamuis optima ſit, aut melior, vt ipſe loquitur; tamen facilè putredinem contrahit, neque tamẽ hoc eius aufert perfectionem. Aut certè explicandus eſt, vt & Græci ſcriptores, quòd dicat, quòd quæcunque aqua pluuia, etiamſi ſit inter eas melior, facilè putredinem contrahit.

Isaach autem cùm pluuialem aquam omnium præstantissimam dicit, nihil aliud sibi voluit, quàm inter aquas pluuias aliquam esse, quæ omnium præstantissima sit, quæ est temporaria, neque etiam simpliciter, sed si arte paretur. At non omnis; nimbosa enim deterior multò est fontana præstantiori. Prima verò ratio ex officio aquæ epotæ desumpta, quod est, vt sit vehiculum alimenti per corpus, quod pluuiali aquæ omni, tanquam tenuiori maximè conuenire videtur, tantum abest, vt nostram infringat sententiam, vt eam potiùs omnino confirmet: quis enim nesciat, si genus quodcunque aquæ pluuialis etiam optimum assumamus, nisi coctura, aut diligenti colatura paretur, alimento per corpus, & angustissimas vias deferendo, non futurum esse commodum vehiculum: ob impuritatem enim, & terrearum materierum admixtionem potiùs officeret, & facilè in ventriculo putresceret. Reliqua autem pluuialium aquarum genera tantum abest, vt hoc commodè præstare possint, vt ob impuritatem, & adstringentem qualitatem etiam arte rectè parata omnino transitum illum effugiant: quod in contrarium concludentibus rationibus est iam assumptum: & Aëtius ex Ruffi sententia manifestum nobis facit. Vltima verò ratio quid aliud concludit, quàm temporariam aquam pluuiam omnium præstantissimam esse, si modò rectè arte paretur, non autem inter aquas arte carentes? At non concludit, pluuialium omne genus fontanas quantumuis præstantes perfectione superare. Quæ verò in aliam partem adductæ sunt rationes, & auctoritates, idem concludunt. Laudat enim Hippocrates, & tanquam optimas proponit fontanas orientales, quòd reuera maximè laudabiles sint, & inter aquas potabiles arte carentes primum locum sortitæ. Optimas autem dicit eo loci orientales illis conditionibus præditas, comparatione habita ad alias fontanas. Galeni autem auctoritas eo modo intelligenda est, quòd cùm magis in vsu essent fontanæ, quàm pluuiales, eas tanquam optimas eligit, quæ Orientem spectarent, quæque alias haberent conditiones: potissimum cùm eas proponere debeat aquas pro tuenda valetudine, quæ quotidie ad manus haberi possunt. Cùm verò pluuiales optimæ, æstiuæ, aut temporariæ, rariores sint, nec semper sint ad manus; cumque etiam, vt iam diximus, non aliter colligerentur suo tempore, quàm nostro fiat, in cisternis; cùm hæc collectitia sit ex omnis generis aqua pluuiali: meritò, pluuiali omissa, cæteris omnibus præponit aquam fontanam; cùm verò sexto Epidemiôn Section. quartæ particula decima, aquam semper elixandam docet, nisi optima fontana ex Orientem spectante loco scaturiês adsit, quam elixandam minimè esse docet, quid aliud indicat, quàm quod & nos docuimus, inter aquas arte non paratas fontanam aquam orientalem omnium præstantissimam esse? non negat tamen horæam, temporariam dictam, si cocta fuerit, & probè colata, ita vt à putredine vindicetur, omnium pręstantissimam esse. Non simpliciter autem affirmat, se non probare aquam pluuiam, sed in cópositione apomelitis: quòd si etiam simpliciter negaret, id de cisternina collectitia intelligendum esset; quæ reuera fontana orientali multò est inferior. Cæterorum autem, & Græcorum, & Arabum auctoritates non aliter intelligendæ sunt, quàm eo modo, quo superiores in contrarium adductas explicuimus. Prima verò ratio ex Galeni fundamentis desumpta septimo Method. meden. in quo loco damna omnia aquarum in nostro corpore frigiditati tribuit, cùm fontanam frigiditatem hanc excedentem non habere doceat decimo Method. sed mediocritatem quandam, vtique concludit fontanam orientalem omnino bonam esse, & pręstantissimam, non tamen meliorem æstiua temporaria, ritè parata. Docet enim Hippoc. in hac particula, optimas esse pluuiales aquas has, modò non ita bibantur, quoniam & odorem malum habent, & raucedinem, & tusses inducunt; id verò ob frigiditatem earum insignem, & tenuitatem, qua ferire membra illa possint, vel potiùs ob terrestres partes admixtas: sed si decoquantur, frigiditas illa connata diminuetur, nec ita facilè ferire poterit membra illa, & terrestres partes separantur. Neque verò concedendum est, quod in secunda ratione assumitur, aquas meliores esse, quæ arte carent, quàm quæ à natura tales sunt: videmus etiam quàmplurima ad vsum humanum inutilia esse, nisi arte parentur: videmus alia multò perfectiora, & ad hominis vsum multò commodiora arte parata. Hippocrates verò, & Galenus aquarum pluuialiũ differentias inter se comparant, & horæam ab æthere excretam magis commendandam statuunt, quàm nimbosam. Quæ verò ratio ex iis, quæ ex Ruffo Aëtius proponit, desumitur, quòd aqua pluuialis citò in bilem vertatur, tardè digeratur, tardiùs concoquatur, ægrè permeet, omnino de pluuialibus non paratis, & incoctis intelligenda est. Docuit enim Hippocrates hoc loco aquam pluuiam facilè putrescere, & extrà firmata, & intra corpus assumpta, nisi cócoquatur; qua ratione & grauia infert accidentia, quę omnino incommoda elixatio aufert. Alia prętereà ratio ex munere aquarum desumpta, quod cùm sit, succum ad epar ducere, & in sanguinem versum per vniuersum corpus permeabilem reddere, id præstare non posse videtur aqua pluuialis, cùm non mediocri adstringendi facultate prædita sit, ita tollitur; quòd cùm adstringens illa qualitas necessariò in terrea consistat substantia, si ritè concoquatur, atque percoletur, certum est totam ferè ablatam iri.

Quòd

Quòd si qua remanet etiã, vt quæ in tonitruali ex ignis frequentiori extinctione solet esse, ea tantum abest, vt iis, qui bona corporis constitutione præditi sunt, obesse possit, vt potiùs quacunq; transiens permeauerit, præter refrigerandi, humectandique, quæq; hæc ipsa sequuntur, demendæ sitis, auferendiq; vniuerso sæpe corpori squalores commoda, atq; vsum, robur addet, minimè virtute delabi permissa ex mediocri illa adstringendi potentia. Quocirca & ventriculi coctionem aliis aquis meliùs iuuabit, & roborabit iecur, lienem, & renes, vrinamque, & excrementa omnia monebit. Hæc cùm paucissima sit adstringens facultas in aquis horæis pluuialibus, adstrictionem illam parere non poterit, quæ constipationem faciat, in cæteris autem pluuialibus secus est. Tonitrualis enim quamuis & ipsa commendanda sit, & post temporariam ritè paratam, & optimam fontanam, primum postea locum teneat, vnde in bene disposito corpore hæc eadē commoda præstare valet: si tamen in malè affecta corpora, ventriculum, & viscera meatuū angustia laborantia inciderit, facilè in corruptelam trahetur, bilescet, ægreque permeabit: adstringenti enim vi, qua pollet magis, quàm temporaria, infarctas iam vias, aut infarciri paratas non liberabit, auxerit potiùs. Nimbalis autem semper improbāda est, tam in bene dispositis corporibus, quàm in morbosis: quapropter & ab Hippocr. loco citato simpliciter mala dicta est: & hoc est, quod Ruffus apud Aëtium de pluuiali aqua docuit. Cùm enim in genere de iis loqueretur, certè natura earum proposita, & vtilitatibus, incommoda quoq; debebat proponere. Postremum deniq; argumentum, quod in vniuersum cisterninas vituperabat ob earum segnitiem, diuturnamq; quietē, cùm alioqui eam nos post fontanam optimā perfectione primum locum obtinere doceri-mus, ita dissolui poterit, quòd quæ in fontanis attenuatio per cursum acquiritur, in pluuia aqua ob cōtinuam per āëra āgitationem, & per coctionem mediis radiis Solaribus acquisitam omnino perfectissimè assecuta est. Cùm verò percolata sit, & ritè corriuata, in visceribus præterea terræ concocta hyeme, æstate autem à frigore terræ à putredine conseruata; nō est, quòd vitium stagnantium aquarum in ea reprehendamus, fontanæ tamen multùm bonitate cedit, si tamen illa optima sit. Concludimus igitur pluuialem aquam æstiuam horæam, temporariam dictam, ritè paratam per coctionem, aut colaturam, principem locum obtinere. Verùm quoniam hæc vix sola, sed in cisternis cum aliis plerisq; colligitur, fontanam orientalem ex optima gleba scaturientem, & ritè defluentē, cæteris multò esse vtiliorem: quamuis cisternina si rectè sit parata, non paruam & ipsa laudē mereatur. Hæc igitur sunt, quæ de hac controuersia à nobis dici poterant. Quibus sanè etiam efficitur, vt nullo modo probare possim Zuingeri lectionem hoc loco, qui negatiuè legit hoc modo: τοῦτο μὲν οὐκ ἄριστα ἐστὶ τὰ ὕδατα, quod vertit: Atq; hæ quidem aquæ optimæ non sunt secundùm hanc rationem; quæ enim de pluuiis aquis iam dixerat, tum præterea tota præcedēs series verborum, qua docet, quomodo fiat pluuia, tum & præpositio aduersatiua immediatè subsequens, omnino lectionis falsitatem ostendunt. Propositum est in principio huius commentarij, Hippocratem quidem docere aquam pluuiam decoquendam esse, alioqui & malum odorem habet, & vocis raucedinem, & tusses, & vocis grauitatem infert, sed non satis constare, an velit etiam optimas malum odorem habere, antequàm elixentur, grauiaq; ea accidentia tunc etiam inferre, an potiùs cùm iam putredinem contraxerint. Vnde sequitur, dubiū esse, an velit omnes aquas pluuias decoquendas esse. Et præterea, an etiam fontanæ ob has causas, vel similes, sint elixandæ. Ego certè ex iis, quæ in hac particula proposuit, tum & ex iis, quæ & ratio nobis ostendit, & experientia, crediderim, non nimbosas modò, & tonitruales, & etiam horæas optimas elixandas esse omnes: quamuis enim hoc fortasse de æstiuis dubium esse possit, quæ satis vi radiorum Solis excoctæ videntur, has tamē etiam elixandas voluit Hippocr. postquàm enim dixit pluuias aquas optimas esse (quod nōn nisi de temporariis, & æstiuis intelligi potest) statim subdit: Sed opus habent, vt elixentur, & vindicentur à putredine, puta colatura, aut aliis ingeniis; sin minùs, odorem malum, & raucedinem, & tusses, & vocis grauitatem bibentibus inferunt: neq; certè præter rationem: quamuis enim satis excoctæ sint, quantum ad partes aqueas, & propterea tenuissimæ, & splendidissimæ sint; cùm tamen nonnihil terrestris substantiæ semper secum admixtum habeant; necesse est eas elixare post earum delapsum, aut certè per fictiles canales, & spongias in bonam cisternam corriuare. Docet verò etiam hoc experientia: si enim deplutas aquas, culuscunq; tandem sint generis, colligamus, & quoquomodo turbulentas esse, & ingrati nescio quid redolentes obseruamus. Quòd si etiam id non haberent, etiam elixandæ essent, vt à putredine faciliùs vindicarentur. Sed quod maiorem facere potest difficultatem (quod tamen sit tan quàm incidens) est aqua fontana. Cùm enim fa sis in terræ peuetralibus concocta videatur, atque per longum tractum ex arctissimis scaturiginibus oriatur, quod percolationis arte factæ locum tenet, & illam superat: cùm præterea & per se tenuis sit, & minùs admixta, & splendida, non videtur, vt ea in potum traduci possit, necessaria elixatio. Et docuisse visus est Galen. Comment. 14. Sect. 6. de Morb. vulg. cùm dicit, præparationem aquæ per cocturam, quam in ea particula docet Hippoc. sæpius & ipsum fa-

cere solitum esse, cùm ægrotanti cuipiam exhibiturus erat, neq; fontis aliqua bona esset facultas: quasi vellet in cæteris omnibus coctutam conuenire, nisi adsit aqua bona fontana. Neq; certè ab re; si enim pet coctutam frigiditas quędam excedens aquæ aufertur, qua crassitiem quandam sibi vendicat, & terrestres partes à tenuioribus sepatantur, ita vt infimas pattes petant, aqua fontana, cùm iam à nobis ex Galen. statuta sit non multum in frigiditate excedēs, si bona fuetit, & orientalis, sique constat experientia, vix in illa quippiam reperiri, qood terrestre sit, cùm id tum ex artissimis scaturiginibus retineat, tum ex desfluxu subsideat, superfluum sanè videtur in illa præparatione hac vti. Quòd si quandoq; elixatione in ea etiam vtimur, id fit, vt securiùs ea in vsum veniat, sepatatis terrestriotibus partibus, si quę sunt, aut ex natura sua, aut per admixtionem aliatō aquarū influētium: terrestres enim particulæ minimę, & quæ sensum effugiunt, quæq; tum ob sui exilitatem, tum ob crassitiem aquarum imum petere non possunt, per coctutam rarefactis partibus aqueis facilimè descendunt. Elixari igitur debent pluuiales omnes aquæ, & cæteræ omnes fluuiales, puteales, & fontanæ minùs bonæ, si commodè, & citra noxam in vsum humanum traduci debēt: & quamuis fontanæ otientales suis insignitæ dotibus sine elixatione assumi commodè possint, etiam ab ægrotantib. corporibus, si tamen etiā illis leuis addatur coctura, securior erit earom vsus: si tamen modos adhibeatur, qoi maiorem, minoremq; malitiā, indiciisq; suis, magis, minúsve manifestam coctur ę semper æquatutus sit, aut etiam notis interdum nullis manifestam, securum nobis potum sit præbiturus. Atq; hoc modo Plinij pulcherrimam sententiam approbabimos asserentis omnem aquam decoctam vtiliorē esse: Subdit: conuenit sanè, vel quæ optima etiam appa ruerit, vt coctutę alicui subiiciamus, non quidē tam excoquentes, vt apertè vitiosas, sed leuicula quadam coctione castigantes. At enim docet Auicen. aliquos fuisse, qui coquendę aquæ hūc modum vituperauerunt, veriti, ne, quod tenue est, ex decoctione abeat, crasso remanēre: quod in pletisque, quæ coquuntur, accidere docebat Aristot. 4. Meteor. omnia, quæ coquuntur, per coctutam crassiora euadere: atqui absurdū est hac in re dubitare: impropriè enim hæc coctio dicitur, sed elixatio quædam potiùs dici potest metaphorica, vt ibidē docet Atistot. cùm simplicium sit hæc passio: coctio autem, siue elixatio veta, mixtorum sit passio, vt ad mediocritatem teduci possint: aqoa verò cùm tenuis sit, & quasi simplex elementum, potiùs euaporabit tota, quàm corpus decocta contrahat, densetúrve: quod in multis aliis euenire videmus, quorum crassior est, compactior, & magis terrestris substātia: tenue enim actione ignis subdlti continuò euaporare solet, crassiori subsidente materia, magisq; actioni caloris resistente. At in aqua tenue non est, quod exhalat tūc, sed tota est aquæ substantia, q̄ in aërem abiens absumitur, abitura ita vniuersa, si decoctio pergat. Quamuis aotem terrestres aliquæ particulæ in omnibus aquis plus mioùs insint, eæ tamen non sunt aptæ aquam crassiorem per coctutam efficere, sed ob calorem subsidunt, attenuatis magis partib9, & tarefacta magis per calorem materia. Et hoc est, quod docuit Aristot. 4. Meteor. de aquæ concretione, quæ solo frigore fit, quòd actione caloris crassescere nequeat. His igitur expositis, manifesta fit Hippocr. intentio in hac parricula: quæ est, aquas pluuiales optimas esse, id est, in genere pluuialium aliquas reperiri, quæ omnino cæteras bonitate superant, quales sunt, quæ in æstate depluunt horææ dictæ, siue temporariæ, quæ tamen in vsum cōmodè traduci oon possunt, nisi priùs decoquantur, & à putredine viodicētur: alioqui si ante debitam præparationem bibantur, & malum odorem habeut, & prætereà raucedinē, & tusses (sic enim ex Oribasio supplendum esse duximus) & vocis grauitatē inferunt: non ob putredinem iam contractam, vt aliquī sentiunt: si enim ita bibantur incorruptæ, modò non sint aut decoctę, aut ritè per tubos fictiles expurgatæ, & odorem malum babent, vt quilibet in aqua statiua deplura, potissimum æstatis parte, in qua optimam pluere diceba mus, percipere sensu poterit; & grauitatem vocis, & rancedinem, & tusses inferunt: ob impuritatem enim earum læduntur, & spiritualia membra, guttur, & fauces, & naturalia, vnde mox caput inficitor, & debilitatur cerebrum, ex quo magnus fit prouentus excrementorum in capite, quæ dum in partes infernas per fauces distillant, ea pariunt accidentia.

XXXIV.

Τὰ δὲ ἀπὸ χιόνος καὶ κρυστάλλων, πονηρὰ πάντα. ὁκόταν γὰρ ἅπαξ παγῇ, οὐκ ἔτι ἐς τὴν ἀρχαίην φύσιν καθίσταται, ἀλλὰ τὸ μὲν αὐτέου λαμπρὸν καὶ κοῦφον, καὶ γλυκὺ ἐκκρίνεται, καὶ ἀφανίζεται. τὸ δὲ θολωδέστατον καὶ σταθμωδέστατον λείπεται.

Quæ verò ex niue, & glacie fiunt, omnes malæ. Cùm enim semel concreta fuerint, non amplius in pristinam naturam restituuntur. Sed, quod quidem in ipsa clarum, & leue, & dulce est, exprimitur, & disperditur: quod verò turbidissimum, & ponderosissimum, relinquitur.

Cùm de aquarum eius generis, quę in sublimi fiunt, natura tractationē instituerer, docuissetque pluoiales optimas esse, quòd leuissimæ sint, splendidissimæ, tenuissimæ, & dolcissimæ, cùm niuales, & huiusmodi aquarum genera etiam ex eadem materia sorsum eleuata generentur, ne quis existimaret eas etiam eadem ratione optimas esse: statim subintulit, eas omnes

nes malas esse, quæ ex niue fiunt. Per dictionē autem hanc χιόνος, nō niuem modò intelligit, sed & pruinam, & rorem. Per κρυστάλλων autem, quamuis glaciem interpretati sumus, credideri m tamen potissimum intelligere glaciem in sublimi genitam, quæ χάλαζα, nobis grando dicitur. Sic enim etiam eam statuit Aristot.1. Meteorolog. cùm dicit, ἡ μὲν γὰρ ἡ χάλαζα κρύσταλλος, quamuis & hoc idē alteri aquæ ex inferna glacie liquefacta conueniat, quæ enim ex niuibus fit, eo nomine primùm vituperari debet, quòd ex congelari vaporis materia, antequàm in aquam vertatur, generetur, & ideo flatulentissima est ob vaporosam materiam, & totam spumeam. Accedit, quòd cùm congelata fit, maximè vbi iam diutiùs defluxa resederit, easdem propemodum patitur difficultates, quas in vera glaciali reperiri docebimus. In pruina etiam liquefacta hoc idem vitium, & etiā multò magis licet conspicere, quòd in ea non tam altè eleuentur vapores; quocirca nec ita puri, sed terrestrea admodum esse solent. Hoc idem vitium & in aqua ex rore collecta esse solet: quamuis enim non ita flatulenta esse possit, ob exiguū autem vaporum ascensum, cùm impurior, & terrestria remaneat, si sæpius in potum assumatur, scabiem etiam de Plinij sententia generabit. In grandinis autem aqua cùm hæc eadem omnia reperiātur, impura satis materia, minùs elaborata, & terrenis sordibus, quòd non multùm altè eleuata sit, multùm inquinata, nocentissima omnium erit, & propè pestilens. Quin ne ob hanc quidem causam, sed etiam ob eam, quam hoc loco omni glaciei communem facit Hippocr. euaporatis enim, expressisq́; à frigore tenuissimis, humidisq́; partibus insigni frigiditate omnino corpori humano inimica remanente, cū multis terrestribus partibus necesse est totam ferè aquæ naturam corrumpi. Vnde congelatio aquæ passio quædam est, atque excessus apud Aristot. quæ Alexandro Aphrodisiensi primo Natur. quæst. cap. 6. aquæ etiam corruptio dicitur: cùm quærit, cur si magis a qua per frigidum, quàm per humidum est, eius quidem mutatio ex frigido in calidum nō corrumpit ipsam: Ex humido verò in solidum, pura in glaciem corrumpit. Malæ igitur hæ omnes sunt, quòd etiam teste Galeno 3. de Ratione victus in morbis acutis concoctionem impediant, vrinam cohibeant, thoraci, pulmonibus, & ventriculo aduersentur, neruos multifariam lędant, conuulsiones, flatus, eruditates, & pleuritides gignāt. Quocirca in huius libri postrema sectione de Scytharum gente, victu, & moribus agēs, & in specie de iis, qui Nomades dicuntur, eos sæpius in potu niuales aquas assumere scripsit Hippocr. atque eosdem plurib. morbis laborare scribit, & iis potissimum, qui ex superflua humiditate solent prouenire. Dicit enim, aquas bibere à niuibus, & glacie resolutas, &c. Subdit; Propter quas causas formæ eorum sunt crassæ, & carnosæ: iunctuæ autem humidæ, & inefficaces; ventriculiq́; humidi omnes, &c. quod etiam facilè colligere quilibet potest ex iis, quæ ab eodem Hippocr. scripta sunt de excedentis frigiditatis excessu, qualis est in niue, & glacie lib. 5. Aphoris. 24. & 3. Sect. 6. lib. Epidem. part. 14. vbi dicit: frigida, qualis est nix, & glacies, pectori inimica, tusses mouent, & sanguinem, & distillationes.

XXXV.

Γνοίης δὲ ἂν ὧδε. εἰ γὰρ βούλει, ὅταν ἡ χειμῶνες, ἀγγεῖον μέτρῳ ἐγχέας ὕδωρ, θεῖναι ἐς τὴν αἰθρίην, ἵνα πήξεται μάλιστα. ἔπειτα τῇ ὑστεραίῃ ἐσενεγκὼν ἐς ἀλέην, ὅπου χαλάσει μάλιστα ὁ παγετός. ὁκόταν δὲ λυθῇ, ἀναμετρεῖν τὸ ὕδωρ, εὑρήσεις ἔλασσον συχνῷ. τοῦτο τεκμήριον, ὅτι ὑπὸ τῆς πήξιος ἀφανίζεται καὶ ἀναξηραίνεται τὸ κουφότατον καὶ λεπτότατον, οὐ γὰρ τὸ βαρύτατον καὶ παχύτατον. οὐ γὰρ ἂν δύναιτο. ταύτῃ οὖν νομίζω πονηρότατα ταῦτα τὰ ὕδατα εἶναι τὰ ἀπὸ χιόνος καὶ κρυστάλλου, καὶ τὰ τουτέοισιν ἑπόμενα πρὸς ἅπαντα χρήματα. περὶ μὲν οὖν ὀμβρίων ὑδάτων, καὶ τῶν ἀπὸ χιόνος καὶ κρυστάλλων, οὕτως ἔχει.

Cognosces verò hoc modo. Si enim volueris hyemis tempore vasculū certa mensura sub dio ponere, vt cōgeletur maximè, deinde die sequenti in locum calidum introductum sinere, quò maximè liquefcat glacies: Cùm verò liquefacta fuerit, aquam remetiri, inuenies eam multò pauciorem: hoc signum est, quod à congelatione disperdatur, & exiccatur, quod leuissimum est, & tenuissimum, non vero, quod grauissimum, & crassissimum existit: non enim disperdi potest. Hac igitur ratione pessimas has aquas esse censeo, quæ sunt ex niue, & glacie, & huiusmodi alias omnes iis similes. Atq; quidem de pluuialibus aquis, & quæ ex niue, & glacie fiunt, sic res se habet.

Probat, quod in superiori particula dixerat, experimento satis manifesto: dixerat enim, aquas ex glacie liquefacta, & niue pductas, pessimas esse, quòd crassiores sint, deperdita, & expressa parte renuiori, & dulciori: nunc id pbat experimento, quòd videamus nō eandem esse aquæ quantitatem post glaciē liquefactā, quæ erat antequàm congelasceret. Verùm est, quod difficultatem faciat non mediocrem Aristot. auctoritas 4. Meteor. vbi de concretione verba facit: Docet enim concretionem omnē aut à calore fieri, aut à frigore; sed non omnia ab iis duabus causis concrescere posse; aqua enim à calore non concrescit, quòd ea concreta caloris aduentu potiùs liquescat: quæ verò calore liquescunt, frigore concreta sunt. idem enim eidem per idem contrarium esse non potest. Frigore igitur solo, inquit, aqua cōcrescere potest. Sed quoniā videbat omnia ferè, quæ

concrescunt, crassiora reddi, vt videmus in pulmentis, & quibuscunq; admixtis ex aqueis, & terreis partibus decoctis, & randem ad concretionis terminum reductis simul crassitiem adesse, vt videre est in luto à frigore concreto: adest enim semper coiuncta crassities concretioni partim eodē modo, partim diuerso. Nam calore vaporem educente siccum redditur, & subinde crassum, & concretum. Frigore verò calorem extrudente humoris in vaporem secretio sequitur. Vnde, inquit, quæ calore concrescunt, frigore soluuntur, & quæ frigore congelantur, calore funduntur. Quapropter, inquit, ex mixtis crassescunt igne, quæ plus habent aquæ, quàm terræ: concrescūt autem duntaxat, quæ plus habēt terræ, vt lapides, fictilia, sal, &c. Post concludit aquam, & aquea quæcunq; frigore solo concrescere, at nullo modo crassescere posse: & reddit rationem, crassities enim, inquit, fit, cùm humore recedente, id, quod siccū est, densatur: aqua autem vna ex humidis cùm sit, nō potest crassescere. Quomodo igitur Hippocr. hoc loco censuit aquam glaciatam crassiorem reddi expressa parte subtiliori, crassiori, & grauiori remanente? Anne dicendum est Aristot. cùm negat aquam, & aquea crassescere posse in concretione, intelligere, non eum gradum assequi posse aquam, & alia, vt eò crassa dici possint. Crassescere enim res tum verè dicūtur, cùm, humido recedēte, id, quod siccum est, densatur. Hæc verò sola vera crassities dici potest, quæ etiam mixtorum peculiaris esse solet. Hanc aqua, & aquea quæcunque, cùm concrescunt, nunquam assequi possunt, quòd nullas habent in se, aut ne memoratu quidem dignas partes siccas, quæ densari possint; at non negauerit in aqua, & aqueis posse induci ex concretione crassitiem, quæ eius non sit generis, sed leuem potiùs crassitiem quandam, quàm minorem potiùs tenuitatem. Dicemus, non ex siccis partibus condensatis, sed subtilioribus partibus expressis, & crassioribus remanentibus, imò quasi corruptis: docet enim Aristot. frigus coagulare, & concretionem facere exiccando, caloris expressione, qui humorē secum elicit, non quidem totum, sed solùm partem. Residuum frigore quodammodo ligatur, & cùm calor rursus accedit, iterum soluitur. Subdit: Crassitiem etiam affert aërem in aquam mutando. Ex quibus verbis patet tandem, quamuis supe riùs negauerit aquam ex concretione crassescere, statim ostendere, se non omnimodam crassitiem ab aqua congelata auferre, sed eam solū, quæ mixtorum peculiaris est, quæq; crassities verè dicitur. Nam concedit congelationem in aqua fieri caloris expressione: caloris aūt proprium est tenuiores res reddere. Et prætereà, si frigore concretionem operante, aër in aquam mutatur, concedit vtiq; etiam in congelatione aquam, quæ in se nonnihil aëria habebat, & proinde subtilior erat, subinde expresso aëre, & in aquam verso crassescere hoc genere crassitiei, cuius hoc loco meminit Hippocr. hocq́ue modo videtur Hippocr. à calumnia vindicari posse, & in hoc Aristor. ab eo, à quo tam multa erat mutuatus, non dissentire.

XXXVI.

Λιθιῶσι δὲ μάλιστα ἄνθρωποι, καὶ ὑπὸ νεφριτίδων καὶ στραγγυρίης ἁλίσκονται, καὶ ἰσχιάδων, καὶ κῆλαι γίνονται, ὅκου ὕδατα πίνουσι παντοδαπώτατα· καὶ ἀπὸ ποταμῶν μεγάλων, εἰς οὓς ποταμοὺς ἕτεροι ἐμβάλλουσι, καὶ ἀπὸ λίμνης. εἰς ἣν ῥεύματα πολλὰ καὶ παντοδαπὰ ἀφικνεῦνται.

Calculo verò afficiuntur homines, & renum affectionibus, & vrinæ stillicidio, & coxendicū morbo: & hernia generantur, vbi aquas cuiuscunq; generis bibunt: & de fluminibus magnis, in quæ flumina diuersi generis influūt, & de stagno, in quod fluxiones multæ, & omnis generis deueniunt.

Docuerat superiùs aquarū in potu eum debere esse vsum, vt qui morbi gratia aquā in potu assumere voluerit, eam, quæ optima sit, eligat: qui verò sanus fuerit, & robustis viribus, nullum discrimen faciat, sed eam, quæ præsens sit, modò vitiata nō fuerit, aut corrupta, etiam si non fuerit vndequaq; perfecta, bibere debet; ne verò quispiam arbitraretur, sanum, & robustum debere in vsu aquarum etiam imperfectarum diutius perseuerare ob eam regulam, docet hac particula non debere sanum, & bene valens corpus in potu quotidiano aquas cuiuscunque generis, crudas, crassas, duras, limosas, puteales, pluuiales quascunq;, aut etiā stagnantes assumere, alioqui necesse est tractu temporis morbos, quorum superiùs habita est mētio, incurrant. Quemadmodum enim Celsus l. lib. suæ medic. sanum corpus certis se legibus subiicere non debere docebat, sed in aliquib. quandoq; excedere; non tamen hac in re perseuerandum cēset, neq; quilibet hoc periclitari debet: sed qui sanus est, & bene valet. Ita pariter in aquæ potu, quamuis qui sanus, & bene valet, eā, quæ est ad manus, bibere debet, non tamen in malis aquis bibēdis debet perseuerare, alioquī in morbos eos incideret, de quibus in hac particula fit mentio. Inquit igitur, eos, qui cuiuscunque generis aquas in potum quotidianum assumunt, multis, & variis morborum generibus corripi.

Calculo.] In multis nostri corporis partibus obseruatum est, calculos generari posse, at hoc loco cùm calculo laborare dixit, crediderim intellexisse calculos vesicæ, & renum: nisi etiā potiùs calculos renum inclusisse dixerimus in sequenti dictione, nephritide: quod fortasse etiam est verisimilius: nam cùm infrà modū generationis calculi tradit, de vesicæ calculo potiùs agere videtur. Sed esto, ponamus vtrunq; genus

genus calculi intelligere; cùm eandẽ fermè habeant causam efficientem, & materialem. Certum enim est vel ex iis, quæ ab Hippoc. dicuntur in sequentibus, materiam crassam, terream, & multam aggregari primò debere in vnum in vesica, aut renibus, cuius pars intime calore cõcrescit, tandemq;, si nõ expellatur, tenuiori parte consumpta vi caloris in lapillum concrescere: Hinc si in vesica fuerit, voluitur ab vrina, & aliquid sibi semper adiungit, & sic augetur, vt apertis admodum verbis nos docuit Galen. 3. in 6. de Morb. vulg. Comment. 15. & post eum Alex. Tral. lib. 9. cap. 7. qui igitur citra delectũ modò aquas subsalsas, nunc dulces, nunc claras, nunc turbidas, aliquando crudas, & duras, aliquando coctas biberit, earum vsu & concoctio perturbatur, & viæ obstruũtur, & calor accenditur, & tandẽ corpus pituitosis excrementis refertum redditur. Quid igitur mirum, si talis aquarum impuritas materiam crassam generans, & viscosum humorem suppeditans, calculis generandis non paruam præbet occasionẽ? Sed de iis postea.

Et renum affectionibus] Habet [Greek illegible], quo nomine quamuis primò, & principaliter significari soleat renum calculus, vt docet auctor lib. de Affectorum renum dignot. & cur. tamen communiori significatione hic eo vsus est; & proptereà in plurali numero posuit. Omnes igitur ferè renum affectiones significat, calculũ, inflammationem, obstructionem, exulcerationem, scirrhum, & id genus alia. Vitiosis enim aquis epotis, & crassioribus, aut subsalsis, cùm tandem omnes per renes ferantur, crassis genitis vrinis obstructio generatur, ex qua & abscessus, & subinde exulcerationes facilimè generari possunt: quin & scirrhi, & alij affectus similes.

Kai [Greek illegible], id est, *& vrinæ stillicidio.*] Affectio hæc est, cùm ante tempus ad excretionem stimulatur vesica, & sæpe, sed parum excernit, vt optimè nos docuit Galen. 6. de Locis Patient. cap. 3. & 4. vnde in Comment. 48. septimæ Sectionis Aphor. stranguriam vrinæ stillatim exeuntis emissionem significare, vel ex ipsa vi vocabuli posse facilè cognosci: Sicut [Greek illegible], mingendi difficultatem, aut etiam mictionem, quę fit cum dolore, significare dixit. Vtrunq; morbum optimè expressit Cato lib. de Re rustic. cap. 156. cùm ait: Nunc de iis, quibus ægrè lotiũ it, quibusq; substillum est. Est igitur symptoma excretionis in vesica deprauatæ, cùm nimirum vrina non pro consuetudine redditur, sed paulatim, & guttatim distillat, assiduaq; est ad meiendum proritatio. Hic fortasse Hippoc. vtranque illam vesicæ passionem intelligit: cùm enim cum difficultate, & dolore quispiã ad meiendum incitetur, stillatim etiã vrina solet per compressionẽ exprimi. Id verò vel vrinæ mordentis acrimonia, vel retentricis facultatis imbecillitate, quę minimo etiam onere grauatur, & ad expulsionem insurgit, fieri solet: quod de vera stranguria docebat Galen. in Commẽt. 48. septimę Sect. Aphor. vel ex inflammatione, vlcere, erisypelate, abscessu, spiritu flatuoso; q̃d de dysuria potissimum etiam ibidem intelligebat Galen. Cùm igitur iis, qui generis cuiuscunque aquas assumũt, easdem & per renes, & per vesicam, & percolari, & deferri necesse sit, cùm & ob crassitiem diutius in vesica retineantur, vnde acredinem quandam sibi acquirunt, & bilis, pituitæue salsæ copiam aliquam secum inuehãt, aut etiam puris ex renibus excreti, mordicatione facta sępius ad excretionem vesicam insurgere necesse est: quin & alia frequentior fortasse causa adesse potest, quæ est retentricis facultatis in vesica imbecillitas: ex crudarum enim aquarum continuo potu intemperies frigida in vesica contrahi potest, cuius ratione potissimum debilitari solet retentrix facultas. Calidior tamen etiam, quàm par sit, intemperies ex subsalsarum, & medicatarum aquarum frequentiori haustu contracta, hoc quandoq; efficere poterit. Animaduertendum autem est Alemanum expositorem hoc loco longè deceptũ esse, cùm reddit causam huius passionis stillicidij vrinæ: dicit enim in iis aduenire, qui aquas cuiuscunq; generis bibere solent, hanc affectionem, non tanquàm ex iis, quæ principales sunt, sed tanquã ex dependentib. à superiùs dictis: inquit enim: Rectè igitur Hippoc. ait, ex renum affectionibus vrinæ stillicidium aduenire: nam renibus suppuratis pus per vrinam euacuatur, quod sua acritudine mordens vesicam mouet ad excretionem. Quasi verò Hippocr. vrinæ stillicidium nõ seiunxerit à renum passionibus, neq; eius fecerit mentionem, tanquàm dependẽtis ex affectione renum, sed potiùs tanquam passionis vesicæ propriæ.

Et coxendicũ morbo] Sedẽ habet hic morb' in articulo, quo femoris caput in coxendicem inseritur, vel altiùs ad summam natem, quà nerui à lumbis, & ab osse sacro emergentes feruntur in crura, & tunc dolor atrox non in sola est coxendice, sed in femur quoq;, & in suram ipsam, & in extremum quoq; pedem porrigitur, quocunq; nimirum ab affecta coxendice deductus neru' pertingit. Cur igitur ex indiscreto aquarum vsu hic accidat morbus, in causa est, & pituitæ generatio ex huiusmodi aquarũ vsu maximè genita, atque renum cum coxis maxima societas. Vasa siquidem spinæ adiacentia renibus, cũ cruribus non paruam habent communionem. Inseruntur prætereà Galen. etiam 5. de Vsu part. teste, renibus maximæ arteriæ, & venæ vasa, quorum vtrunq; super spinam tendens, bifariam scissum ad crura vsq; porrigitur. Vel etiam cùm consensus sit vnus nostri corporis, & omnia consentientia, grauioribus excrementis à renibus excretis ad coxendicem, morbum hunc fieri verisimile est. Docuimus autẽ iam sępius in huiusmodi aquæ vsu renes affici,

Et herniæ generantur.] Iam ſuperiùs docuimus, quomodo, & quales herniæ ex crudarũ aquarum vſu generari poſsint. *Et de fluminibus magnis, in quæ flumina alterius generis influunt.*] Inter aquas, quæ prædictos affectus epotæ indifferenter inferre ſolēt, aquas magnorum fluminum primò ponit: neq; tamen ſimpliciter eas vituperat, ſiquidem Nili fluuij maximi aquam, & Hiſtorici, & Medici ſummis laudibus extulerunt, ſed ſolùm eorum, qui diuerſi generis aquas, & alia flumina excipiunt: quod experientia omnib. confirmari poteſt. Eridani enim aqua maximi Italiæ fluminis, cùm nulli claritate inferior dicatur, ſi reſederit, cruditatis tamen vitio maximè vituperatur, quòd potiſsimum liquatas ab inacceſsis Alpibus niues toto anno recipiat. Tum præterea quòd per obſcuras vallium cautes, infinitis hinc inde riuulis dilapſus, mox ob ſinuoſas flexuras in longa planitie nō adeò velox aſsiduo Solis calori ſubiacens neceſſariò craſſeſcat. Accedit (quod ad hunc Hippocr. locum facit) quòd eius bonitatem, ſi qua in ipſo eſſe poteſt, corrumpit multarum diuerſi generis aquarum cum eo mixtura: non amnes enim modò Alpinos, & Apenninos nauigabiles, & inacceſſos capit, ſed imméſos quoq; lacus, Verbanum, Larium, Benacum, & lacunarum impurarum alias infinitas propemodum effuſiones, Monatij, Gauiratij, Teruatij, Mantuæ paludes, & alias tum demum totius ferè Galliæ Ciſalpinæ aquas cuiuſcunque generis, vnde eius bonitas neceſſariò contaminatur. Hæc verò vitia cùm plerisq; magnis fluminibus accidant, concludi poſſe videtur, rariſsimas reperiri fluuiales aquas in potu vtiles. Meritò igitur Auerroës in Comment. 130. primi Tract. primæ partis Canticæ Auicen. reprehendit & Auicen. & eorum opinionem, qui aquas magnorum fluminum non ſolùm non vituperauerunt, ſed potiùs & magnis laudibus extulerunt, & cæteris bonitate præſtare crediderunt. Hoc enim & Hippoc. & Galeni auctoritati aduerſari ſcribit, & rationi: eam autem adducit eo loco rationē, quam hic Hippocr. appoſuit, quòd ex multis, variisq; aquarum generibus ſit coaceruata. Aliqui tamen reperiuntur, qui ab hac Hippocr. regula excipi poſſunt, quorum potiſsimum exēplum eſſe poterit Nilus, in quo perfectiſsimæ aquarum notæ reperiuntur, nec immeritò. Cùm enim maximꝰ ſit, ita vt vbi totus incurrit, plus decem millia paſſuum latitudine exiſtat, nulli bi ferè minus tribus millibꝰ, aſsiduis illius plagæ caloribus, non modò non exiccatur, ſed potiùs concoquitur, attenuatur, & dulceſcit. Deinde cùm neq; niualibus aquis, aut adulterinis aliis alluuionibus contaminetur, ſuam perpetuò ſeruat perfectionem: quòd ſi quas, vt quæ orientali ſitu circa æquinoctialem coniunguntur, aquas ſuſcipit, certum eſt, eas eſſe & genuinas, & viuas perpetuò: ſuſcipit etiam largiſsimas pluuias certo quodam tempore, quæ potiùs eius perfectionē adaugent: accedit velox, præcepsq; eius motus, cuius vehementia, & radiorum æſtu frigiditas, ſi qua eſt, retunditur, & craſsities refrangitur: magna autem ſua moles impedit, quominùs aut ſalſedinem contrahat, aut in aliam naturam ex influxu aliarũ, ſi quæ fortè malæ influerent, degeneret.

XXXVII.

Καὶ ὁκόσοι ὕδασιν ἐπακτοῖσι χρέονται, διὰ μακρῆς ἀγομένοισι, καὶ μὴ ἐκ βραχέος. οὐ γὰρ οἷόν τε ἕτερον ἑτέρῳ ἐοικέναι ὕδωρ, ἀλλὰ τὰ μὲν γλυκέα εἶναι, τὰ δὲ ἁλυκά τε καὶ στυπτηριώδεα, τὰ δὲ ἀπὸ θερμῶν ῥέειν. ξυμμισγόμενα δὲ ταῦτα ἐς ταυτὸν, ἀλλήλοισι στασιάζει, καὶ κρατέει αἰεὶ τὸ ἰσχυρότατον. ἰσχύει δὲ οὐκ αἰεὶ τωὐτὸ, ἀλλ' ἄλλοτε ἄλλα.

Et qui aquis aduectitiis ex longinquo allatis, non verò ex propinquo vtuntur: non enim fieri poteſt, alteram alteri aquam ſimilem eſſe, ſed aliæ quidem dulces ſunt, aliæ ſalſæ, & aluminoſæ, aliæ ex calidis fluunt: eæ verò inter ſe ſimul admixtæ diſſident, &, quæ fortiſsima eſt, vincit. Præualet autem nō ſemper eadem, ſed aliàs alia.

Proſequitur Hippocr. quod iam aggreſſus erat, recenſere aquas, quæ indifferēter epotæ varios illos morbos inferre ſolent, atq; de importatis aquis agit, & de iis, qui iis vtuntur: Hosq; his morbis, quorum iam fecerat mentionem, corripi facilè perſuadet, potiſsimum ſi ex longinquioribus partibus inuehuntur. Id verò duplici ratione accidit; primùm quòd longiori interuallo translatæ, debiliores redduntur, & langueſcunt, & ſæpenumerò corrumpũtur: maximè cùm in capacib. vaſis deferri vix poſsint, in quibus fortaſſe magis & vires ſuas integras retinere, & magis putredini reſiſtere poſſent. Secundò quòd qui aquas inuehunt, nō ſemper eiuſdem generis aſſumūt, ſed modò fluuiales, modò puteales, modò fontanas: quinimò dulcibus, & bonis quandoq; diuēditis, aut ex parte hauſtis, quas ad manus habēt, etiam prauas admiſcere ſolent. Sicut in noſtris regionib. de vino conuecto licet cōſpicere. Vnde etiam quí aquas inuehunt, loca capacia habere par eſt, in quibus aquas reponant: hæ verò cùm diuerſo tempore aggregentur, & ex aquis cuiuſcunq; generis, & bonæ malis miſceātur, & quæ in maiori eſt quantitate, cæteris præualens cæteras in ſui naturam trahit. Præualet autem ſæpe deterior, vtpote quę & durior, & craſsior, tenuior autem, & dulcior ob tenuitatem ad repugnandum ſe exhibet inualida. Tutius igitur erit ſępenumerò puteali bona præſenti vti, quàm fontana etiam electiſsima inuecta, cùm illa coctionis ad perfectionem quandam reduci poſsit; huius autem vitia vix ingenio humano corrigi queunt. Potiſsimũ cùm dulcis aqua, & tenuis inuecta, & in vitrinis cōſeruata, vix citra putredinem p longũ tēporis ſpatiũ cōſeruari poſsit.

Καὶ

XXXIIX.

Καὶ τὰ πνεύματα, τῶν μὲν γὰρ βορέης τὴν ἰσχὺν παρέχεται. τῶν δὲ ὁ νότος, καὶ τῶν λοιπῶν πέρι ωὑτὸς λόγος. ὑφίστασθαι οὖν τοῖσι τοιουτοισιν ἀνάγκη ἐν τοῖς ἀγγείοις ἰλὺν καὶ ψάμμον, καὶ ἀπὸ τούτων τῶν πωμάτων τὰ νοσήματα γίνεται τὰ προειρημένα.

Et ex ventis, alij quidem robur exhibet Boreas, alij Auster; & de reliquis eadem est ratio. Talibus igitur necesse est limum, & arenam in vasis subsidere, & ab iis epotis morbos prædictos generari.

Quemadmodum ventorum diuersitas in aquis, dum naturalem alueum sortiuntur, varios, & diuersos parit effectus pro varia etiam aquarum natura, ita extra alueos maiorem sentiunt mutationem ex iisdem: quemadmodum enim flante Borea putealis aqua magis concoquitur, incluso magis in visceribus terræ calore, cuius ope aquæ crudiores magis elixantur, quæ contrà flante Austro magis apertis terræ poris suam seruant naturam: fluuiales, & ventis in suis alueis expositas dulces, crudiores magis reddit Boreas, quæ flante Austro fortasse maturantur magis: extra alueum dulces flante Borea magis conseruantur ob innatam venti frigiditatem, qua aquam à putredine vindicat: cùm alioqui calidæ, & medicatæ aquæ Borea flante magis amittant propriam naturam, at è contra flante Austro calidæ conseruantur, dulces verò notam putredinis contrahũt. Concludit tandem quod ab initio proposuerat, ex potu huiusmodi aquarum indifferenti necesse esse morbos huiusmodi generari. Quòd crassiores cùm sint, limum, & arenam secum habent, quas res in repositione deponere in vasis videmus: quare si potentur, easdem necessariò etiam in nostro corpore deponet, potissimum in iis partibus ad eas recipiendas à natura dispositis, quales sunt renes & vesica, quas particulas in huiusmodi vsu potissimum laborare docuit: sed quomodo hoc fiat, iam statim ostendet, cùm dicit.

XXXIX.

Ὅτι δὲ οὐχ ἅπασιν, ἑξῆς φράσω. ὁκόσων μὲν ἥτε κοιλίη, εὔροός τε καὶ ὑγιηρής ἐστι, καὶ ἡ κύστις μὴ πυρετώδης, μὴ δὲ ὁ στόμαχος τῆς κύστιος ξυμπέφρακται λίην, οὗτοι μὲν διουρεῦσι ῥηιδίως καὶ ἐν τῇ κύστει οὐδὲν ξυστρέφεται. ὁκόσων δὲ αὖ ἡ κοιλίη πυρετώδης ᾖ, ἀνάγκη καὶ τὴν κύστιν τωὐτὸ πάσχειν. ὁκόταν γὰρ θερμανθῇ μᾶλλον τῆς φύσιος, ἐφλέγμηνεν αὐτῆς ὁ στόμαχος.

Quod autem non omnibus, deinceps docebo. Quorum quidem aluus fluida, & sana est, & vesica non ardens, neque verò stomachus vesicæ valdè obstructus est, ij quidem facilè vrinam expellunt, & in vesica nihil congregatur. Cùm verò aluus feruida fuerit, necesse est & vesicã idem pati. Cùm enim magis, quàm pro natura, fuerit calefacta, inflammatur ipsius stomachus.

Ne quis fortasse Hippocratem aut contradictionis argueret, aut obliuionis, quòd priùs dixerit, debere eum, qui sanus, & valens corpore fuerit, aquam quamcunque quæ ad manus fuerit, cùm opus est, bibere, in proxima autem particula docuerit, multas noxas corporibus accidere ex indiscreto quarumcunq; aquarum potu, ne, inquam, aliquis dixerit priorem sententiam à præceptis medicinæ abhorrere, se ipsum explicat in hac particula, docens eos, qui sani sunt, & robusto omnino corpore, id est, qui aluum omnino lubricam habẽt, quique in vesica, aut etiam in renibus non habuerint potissimam causam efficientem lapilli, calorem scilicet vehementem, eos non laborare iis affectibus, etiamsi omnigenas aquas biberint. Docuimus enim libro superiori ex Hippocratis sententia, eos, quibus fluidæ alui fuerint, non ita facilè morbis corripi posse. Quod Auenzoar in principio sui Theisir explicuisse visus est, cùm præcepta tuendæ valetudinis tradens, dicebat eos omnes, qui tuendæ valetudini incumbunt, omnibus neruis incumbere debere, vt aluus semper fluida sit: quæ enim excrementa aggregari soleot crassiora, vbi lubrica aluus fuerit, continuò expurgantur, & ex consequenti in iis, qui & crassiores, & cuiuscunque generis aquas bibunt, vbi lubricitas hæc alui adfuerit, non poterunt crassiores partes excrementosæ, quæ alioqui, si dura aluus fuerit, per vrinam expurgari tentarentur, in corpore retineri, sicque nec in vesica, aut renibus, vi caloris concrescere. Verùm quoniam videbat non omnes partes crassiores per aluum quantumuis fluidam expurgari, sed aliquas per vrinam euacuari; statim subdit [Et vesica non ardens] quasi nobis insinuare vellet, non solùm ad prohibendam generationem lapidis vesicæ, aut renum, necessariam esse aluum fluidam, sed etiam vt partes, in quibus perficitur vrina, puta vesica bene dispositæ sint. Cùm enim ad generationem lapidis in vesica, requiratur materia efficiens, & locus, in quo fiat, si fluida aluus sit, materia quidem non ita copiosa suppeditatur, cùm tamen aliqua illius portio ad vesicam semper defluat, præsente efficiente causa in loco, vbi vrina sensim colligitur, potest etiam aliqua illius esse generatio. Docebat enim Paulus Æginetà libro tertio, capite quadragesimoquinto, calculorum vesicæ, & renum effectricem causam esse igneam earum partium caliditatem. Atqui ne hoc quidem censendum est aduersari iis, quæ à Galeno dicta sunt sexto de Morbis vulgarib. Sectione tertia, Comment. decimoquinto, vbi coagmentandi lapidis non

potiſsimam facit cauſam efficientem calorem vehementem, ſed potiùs materiæ in veſica collectæ craſsitudinem, & viſciditatem, quamuis etiam caliditatem conferre velit, tanquàm efficientem cauſam. Dicebat enim pueros, quamuis maiori calore naturali, & innato præditi ſint adoleſcentibus, & viris, aſcititij caloris, & præter naturam non multum habere, qui tamẽ lapidis indurandi efficiens cauſa eſſe ſolet. Vnde Alexander Trallianus lib. 9. cap. 7. à Galeno loco citato de cauſis generationis lapidis in veſica in pueris magis, quàm in viris agens, omnia mutuatus eſt, cùm dicit: Veruntamen veſicæ calculi pueris magis, quàm viris generantur, neque à tanta caliditate, ſed à materia potiùs craſsiore, & ad generandos calculos promptéque ab inſita caliditate concreſcendos idonea. Docent enim iſ, quomodo calculus veſicę peculiaris puerorũ ſit affectus: cùm in iis ignea illa vis, quę ad efficiẽdos calculos ſolet eſſe neceſſaria, non reperiatur. Et reddunt cauſam calculi non ſimpliciter, ſed in pueris: & quod ita ſit, patet ex intentione Galen. in eo loco: exponit enim verba, & ſententiam Hippocr. Poſt mictum concretio puerulis magis. Num quoniam calidiores? neq; enim dubitandum eſt, etiamſi mediocris caliditas adſit, eaq; naturalis in veſica puerorum, ob materiã ad concreſcendum maximè paratam, & multam ſuppeditatã facilè poſſe in iis lapidem in veſica generari. In adoleſcentibus autem, & viris, quamuis acrior adſit caliditas, & mordacior, cùm minor adſit crudorum humorum copia, & viſcidorum, minùs facilè congregari ſolet: quamuis etiam aliquando generetur, vbi multa materia ſuppeditatur: & hoc eſt, quod iam nos ex Paulo docuimus.

Neq; ſtomachus veſicæ valde obſtructus eſt.] Varia eſt, & multiplex huius loci in Græcis codicib. lectio: Baſilienſis enim, & Aldinus legunt μὴ δὲ ὁ στόμαχος τῆς κύστιος ξυμπέφρακται λίην. quamuis in Aldino dictio ξυμπέφρακται aſteriſco notetur. Cõtextus aũt Gadaldini habet συμπέφρακται, quam lectionem ipſe ſecutus ſum. Alemanus autẽ in ſuo libro ſine ſenſu habet ξυμπίμπρακται: doctiſsimus autem Zuingerus aliam ex ſuis libris manuſcriptis lectionem poſuit ξυμπίμπρακται, quã lectionem etiam habuiſſe Cornarium indecõiicio, quòd vertit, neque ſtomachus veſicæ valdè coardeſcit. Eſt enim compoſitum verbũ ex præpoſitione ξὺν Atticè dicta, quæ communiter eſt σὺν, & πιμπρῶ, quod incẽdo, inflammo, & comburo ſignificat, & ardeſco; cuius paſsiuum eſt πίμπραμαι inflammor; quamuis etiam in actiua ſignificatione quandoque ſumi ſoleat apud Græcos, vt videre licet apud Nicandrum in Alexiph. in Βούπρηστις, cùm dicit:

Ἢ καὶ τε δαμάλεις, ἰεἰ χαίσσεας ἄλλοτε μόσχους
Πίμπραται, ὁππότε δῆεα νομαζόμενοι δατέονται.
Τούνεκα τὴν, Βούπρηστιν ἐπικλείουσι νομῆες.

quod eſt, verbum verbo reddentes: Atque hæc interdum buculas, interdum ventricoſos vitulos accendit, quando pecudes ſuas paſtores in paſcuis ſeparant, quam ob cauſam eam paſtores bupreſtin dixerunt. Ecce quòd vocem πίμπρηται, in actiua ſignificatione aſſumit. Hac igitur ratione ξυμπίμπρακται legentes verterunt. Atqui nos magis, aut communem Baſilienſis, & Aldini, aut Gadaldini doctiſsimi probandam lectionem ducimus: quamuis Gadaldini lectio inter alias magis arrideat: nam etſi in præpoſitionis vi idem ſignificent, cùm tamen præpoſitio σὺν communis ſit, Latinè cum ſignificans, ξὺν autem Atticorum ſit propria, illam ſibi ſumpſiſſe Hippocr. veriſimilius eſt. In verbo etiam, cum quo iungitur ea præpoſitio, magis conſentio cum Gadaldino: nam etſi litera π, aliquando ob affinitatem in literam φ, vertatur, vt cùm ἐφ᾽ ᾧ, dicitur pro ἐπὶ ᾧ, & ἐφοράω, pro ἐποράω. Vix tamen obſeruatum eſt contrarium, vt litera φ, in literam π, degeneret. Cùm itaq; συμπέφρακται, à verbo compoſito fiat συμφράσσω, ſiue συμφράττω, eam doctiſsimi Gadaldini lectionem, ab Aldina tamen non abſimilem, aut Baſilienſi, magis probandam duxi: fit autẽ ex præpoſitione σὺν, ſiue ξὺν, quæ ſignificat cum, & verbo φράσσω, ſiue φράττω, quod ſepio, & obſtruo ſignificat, ſicq; ſignificabit conſepio, conſtipo, obſtruo. Hanc autem potiùs amplexatus ſum lectionẽ, quàm eam, quæ in libris doctiſsimi, ac nunquam ſatis laudati viri Zuingeri reperitur. Primũ, quoniam ſi ea poneretur, ſuperflua omnino adeſſet repetitio. Nam dixiſſet, quòd non omnib. pręſcripta accidentia eueniũt. Nam quorum aluus bene fluida eſt, & ſana, & veſica non ardẽs, neque ſtomachus veſicæ valde coardeſcit, & ceter. quaſi non ſit idem ferè, veſicam eſſe ardeſcentem, & eius ſtomachum eſſe coardeſcentẽ. Deinde ſi legamus, vt iam ex Gadaldino, & aliis docuimus, per hãc particulam, tertiam ponet, & eam quidem potiſsimam cauſam generationis lapidis in iis, qui bibunt aquas cuiuſcunq; generis, non à materia, non ab efficiẽte deſumptam, ſed à loco magis, minúſve parato: vbi enim os veſicæ obſtructum fuerit, materia quæ craſsior ratione aquarum aggregata fuerit, retinetur, retentaque diutius concreſcit vi caloris: quòd ſi apertum fuerit, facilè euacuatur, nihilque tandem in veſica congregatur. Illud verò circa voces στόμαχος κύστιος animaduertẽdum eſt, vocem hanc ſtomachus, quæ etiam paſsim à Latinis vſurpatur, Galeno 4. de Vſu part. cap. j. ſignificare cuiuslibet ventris, vel caui ceruicem præpoſitam inſtar iſthmi, in qua ſignificatione antiquos eam vſurpaſſe paſsim commemorat: poſt Ariſtot. verò ſeculum, vt idem Galenus teſtatur quinto lib. de Locis Patiẽtibus, cap. 4. ad οἰσοφάγον, hoc eſt, gulam hęc ipſa tranſlata eſt. Deinde ſua ætate ad os ſolùm ventriculi, quod veteres καρδίαν dixere transferri cœpit. Vnde & Erotianus in ſuo Onomaſtico στόμαχον κύστεως, collum veſicę appellari ſcribit, & collum vteri

vteri in lib. de Morb. mulierum stomachum appellari dicit. Ego verò, quantum obseruare potui, apud antiquos Græcos scriptores reperio vocem στόμαχον, significare quidem cuiuslibet cauitatis ceruicem, modò illius cauitatis nomen apponant. Videre hoc licet apud Hippocr. hoc lib. sæpius: in hac enim particula inquit, στόμαχος τῆς κύστιος, stomachus, siue collum vesicæ; & in sequenti particula, cùm dicit, & cùm vrinam emittit, ad τὸν στόμαχον τῆς κύστιος, id est, stomachū vesicæ allabitur ab vrina impulsum, & lib. de Morbis mulier. pag. Basileæ impress. 235. versu 10. vteri conuersi ad τῆς κύστιος τὸν στόμαχον, id est, vesicæ stomachum allabuntur: nisi fortasse ex antiquo manuscripto libro τὸ στόμα legendū sit, quod est ad orificium: accommodat etiam collo vteri, vt lib. de Superfœtat. pag. 48. versu 24. & alibi sæpius, vt optimè annotauit Eustachius in eruditissimis suis in Erotianum annotationibus: quamuis vbi ex professo de vtero loquitur, interdum sine additione stomachū ad collum matricis accommodauerit: vt cùm dicit: ὀδύνη τῆς κεφαλῆς προσγίνεται ἐκ τοῦ στομάχου, nunquā tamen Latini hanc stomachi significationem hoc modo vsurparunt. Verùm si absolutè sumatur stomachi nomen sine additione, reperio tria habere significata non modò apud Græcos, sed & apud Latinos scriptores, quorum nisi diligens habeatur cōsideratio, æquiuocationis in scriptoribus intelligendis non paruum imminet periculum. Dicitur enim de illa canalicula, siue fistula, quæ faucibus ad linguæ radices subiacens esculenta, poculentaq; transmittit in ventrem, quo cum coniungitur, atq; committitur, vt Erasistratus apud Gellium lib. 17. capite 11. dicit duas esse canaliculas, siue fistulas, easq; ab oris faucibus proficisci deorsum, per earumq; alteram deduci, delabiq; in stomachū esculenta omnia, ac poculenta, ex eoq; ferri in ventriculum, qui Græcè appellatur, ἡ κάτω κοιλία. quinimò cùm de hac fistula, siue canalicula agitur, aliquando dicitur de superiore eius parte, quam Latini gulam vocant, Græci alio nomine λαιμὸν, & οἰσοφάγον, cuius aditus in ipsis oris faucibus φάρυγξ dicitur, vt apud Hom. Iliad. γ.

Ἦ καὶ ἀπὸ στομάχους ἀρνῶν τάμε νηλέι χαλκῷ.

& Galen. lib. 6. de Compos. medic. sec. loc. 3. vbi habet, καταφέρεται γὰρ αὐτῶν πολὺ καὶ εἰς τὴν φάρυγγα, καὶ τὸν στόμαχον, vbi stomachum sumit pro gula. Quod Latini nostri etiam imitati sunt, vt videre licet apud Celsum lib. 4. cap. 5. faucibus subest stomachus, id est gula. Sumitur aliquando non pro canali illo, sed pro eius inferiori parte, quæ est orificium ventriculi, vt videre licet apud Galenum libro 5. de Locis Patientibus, cap. 4. & 13. Method. med. cap. 17. cùm dicit, voco hoc loco stomachum gulam, quam propriè Græci stomachum appellant: nonnunquam enim etiam ita vocant os ventriculi: & primo de Ratione victus in morbis acur. 18. habet hæc verba: Stomachum autem hoc loco intelligere oportet, vt huius temporis homines facere consueuerunt, non meatum modò, sed & os ventriculi. Latini quandoque hanc significationem retinuerunt; vt videre licet apud Celsum libro quarto, capite primo: stomachus verò, qui intestinorum principium est, neruosus à septima spinæ vertebra incipit, & circa præcordia cum ventriculo committitur. & Plinius libro vndecimo, cap. trigesimoseptimo: Summum gulæ fauces vocantur, postremum stomachus. Dicitur postremò stomachus de ventriculo toto, & tota cauitate, tum apud Græcos, vt videre est apud interpretem Nicandri in Alexipharm. οἱ μὲν γὰρ στόμαχον, ἄλλοι δὲ πύλην, ἄλλοι δὲ δοχεῖον βρωμάτων τὴν γαστέρα ὀνομάζουσι. quod est: siquidem stomachum alij orificium, alij cauitatem ventriculi alimenta recipientem nominarunt. Sic stomachum pro ventre Latini quandoque vsurparūt, vt videre licet apud Plinium libro decimonono, capite quinto, de Peponibus: Viuunt, inquit, hausti in stomacho in posterum diem, nec perfici queunt in cibis. Sic apud Iuuenalem: Si stomachus domini feruet vinoque, ciboque. Aluo igitur lubrica existente, neque vesica inflammata, ceruicéve obstructa, quibus præsentibus, aut non retineri excrementa, aut iis retentis non concrescere posse, certum est, lapis in vesica gigni non poterit. Contrà cùm feruet aluus, aut rectum intestinum inflammationem patitur, vesica, quæ recto intestino insidet, lege consortij, & vicinitatis ratione, vt optimè annotauit Galenus Comment. 48. quartæ sectionis Aphoris. compatitur: qua labo rante, eius quoque ceruicem, quam stomachum ipse appellat, & inflammatione tentari, & obstructione verisimile est: quod illis verbis aperuit, cum dicit: Cùm verò aluus ardens, & feruida fuerit.

XL.

Ὁκόταν δὲ ταῦτα πάθῃ, τὸ οὖρον οὐκ ἀφίησιν, ἀλλ' ἐν ἑωυτῇ ξυνέψει καὶ συγκαίει, καὶ τὸ μὲν λεπτότατον αὐτοῦ ἀποκρίνεται, καὶ τὸ καθαρώτατον διεῖ καὶ ἐξουρέεται. τὸ δὲ παχύτατον καὶ θολωδέστατον ξυστρέφεται καὶ συμπήγνυται. τὸ μὲν πρῶτον μικρὸν, ἔπειτα μεῖζον γίνεται. κυλινδούμενον γὰρ ὑπὸ τοῦ οὔρου, ὅτι ἂν ξυνίστηται παχὺ, ξυναρμόζει πρὸς ἑωυτὸ καὶ οὕτως αὔξεταί τε καὶ πωροῦται. καὶ ὁκόταν οὐρέῃ, πρὸς τὸν στόμαχον τῆς κύστιος προσπίπτει ὑπὸ τοῦ οὔρου βιαζόμενον, καὶ κωλύει οὐρέειν, καὶ ὀδύνην παρέχει ἰσχυρήν.

Cùm vero hæc patitur, vrinam non dimittit, sed in seipsa concoquit, & adurit: & quod quidem tenuissimum est, in ipsa excernitur, & quod purissimum est, transit, & emingitur: quod verò crassissimum, & turbidissimum est, congregatur, & concrescit; primò quidem par-

potissimam facit causam efficientem calorem vehementem, sed potiùs materiæ in vesica collectæ crassitudinem, & visciditatem, quamuis etiam caliditatem conferre velit, tanquàm efficientem causam. Dicebat enim pueros, quamuis maiori calore naturali, & innato præditi sint adolescentibus, & viris, ascititij caloris, & præter naturam non multum habere, qui tamē lapidis indurandi efficiens causa esse solet. Vnde Alexander Trallianus lib. 9. cap. 7. à Galeno loco citato de causis generationis lapidis in vesica in pueris magis, quàm in viris agens, omnia mutuatus est, cùm dicit: Veruntamen vesicæ calculi pueris magis, quàm viris generantur, neque à tanta caliditate, sed à materia potiùs crassiore, & ad generandos calculos, promptaque ab insita caliditate concrescendos idonea. Docent enim ij, quomodo calculus vesicę peculiaris puerorū sit affectus: cùm in iis ignea illa vis, quę ad efficiēdos calculos solet esse necessaria, non reperiatur. Et reddunt causam calculi non simpliciter, sed in pueris: & quod ita sit, patet ex intentione Galen. in eo loco: exponit enim verba, & sententiam Hippocr. Post mictum concretio puerulis magis. Num quoniam calidiores? neq; enim dubitandum est, etiamsi mediocris caliditas adsit, eaq; naturalis in vesica puerorum, ob materiā ad concrescendum maximè paratam, & multam suppeditatā facilè posse in iis lapidem in vesica generari. In adolescentibus autem, & viris, quamuis acrior adsit caliditas, & mordacior, cùm minor adsit crudorum humorum copia, & viscidorum, minùs facilè congregari solet: quamuis etiam aliquando generetur, vbi multa materia suppeditatur: & hoc est, quod iam nos ex Paulo docuimus.

Neq; stomachus vesicæ valde obstructus est.] Varia est, & multiplex huius loci in Græcis codicib. lectio: Basiliensis enim, & Aldinus legunt μὴ δὲ ὁ στόμαχος τῆς κύστιος ξυμπέφρακται λίην. quamuis in Aldino dictio ξυμπέφρακται asterisco notetur. Contextus aūt Gadaldini habet συμπέφρακται, quam lectionem ipse secutus sum. Alemanus autē in suo libro sine sensu habet ξυμπέφρακται: doctissimus autem Zuingerus aliam ex suis libris manuscriptis lectionem posuit ξυμπίμπραται, quā lectionem etiam habuisse Cornarium inde cōiicio, quòd vertit, neque stomachus vesicæ valdè coardescit. Est enim compositum verbū ex præpositione ξὺν Atticè dicta, quæ communiter est σὺν, & πιμπρέω, quod incēdo, inflammo, & comburo significat, & ardesco; cuius passiuum est πίμπραμαι inflammor; quamuis etiam in actiua significatione quandoque sumi soleat apud Græcos, vt videre licet apud Nicandrum in Alexiph. in Βουπρήστει, cùm dicit:

> Ἢ καὶ ὅτ' ἀμαλὰς, ἠὲ ἐγχάστορας ἄλλοτε μόσχους
> Πίμπρησι, τῷ τοι δῆρα νομαζόμενοι δαιτύονται.
> Τοὔνεκα τήν, Βούπρηστιν ἐπικλείουσι νομῆες.

quod est, verbum verbo reddentes: Atque hæc interdum buculas, interdum ventricosos vitulos accendit, quando pecudes suas pastores in pascuis separant, quam ob causam eam pastores buprestin dixerunt. Ecce quòd vocem πίμπρεται, in actiua significatione assumit. Hac igitur ratione ξυμπίμπραται legentes verterunt. Atqui nos magis, aut communem Basiliensis, & Aldini, aut Gadaldini doctissimi probandam lectionem ducimus: quamuis Gadaldini lectio inter alias magis arrideat: nam etsi in præpositionis vi idem significent, cùm tamen præpositio σὺν communis sit, Latinè cum significans, ξὺν autem Atticorum sit propria, illam sibi sumpsisse Hippocr. verisimilius est. In verbo etiam, cum quo iungitur ea præpositio, magis consentio cum Gadaldino: nam etsi litera π, aliquando ob affinitatem in literam φ, vertatur, vt cùm ἐφ' ᾧ, dicitur pro ἐπὶ ᾧ, & ἐφορέω, pro ἐπορέω. Vix tamen obseruatum est contrarium, vt litera φ, in literam π, degeneret. Cùm itaq; συμπέφρακται, à verbo composito fiat συμφράσσω, siue συμφράττω, eam doctissimi Gadaldini lectionem, ab Aldina tamen non absimilem, aut Basiliensi, magis probandam duxi: fit autē ex præpositione σὺν, siue ξὺν, quæ significat cum, & verbo φράσσω, siue φράττω, quod sepio, & obstruo significat, sicq; significabit consepio, constipo, obstruo. Hanc autem potiùs amplexatus sum lectionē, quàm eam, quæ in libris doctissimi, ac nunquam satis laudati viri Zuingeri reperitur. Primū, quoniam si ea poneretur, superflua omnino adesset repetitio. Nam dixisset, quòd non omnib. præscripta accidentia eueniūt. Nam quorum aluus bene fluida est, & sana, & vesica non ardēs, neque stomachus vesicæ valde coardescit, & cæt. quasi non sit idem ferè, vesicam esse ardescentem, & eius stomachum esse coardescentē. Deinde si legamus, vt iam ex Gadaldino, & aliis docuimus, per hāc particolam, tertiam ponet, & eam quidem potissimam causam generationis lapidis in iis, qui bibunt aquas cuiuscunq; generis, non à materia, non ab efficiēte desumptam, sed à loco magis, minúsve parato: vbi enim os vesicæ obstructum fuerit, materia quæ crassior ratione aquarum aggregata fuerit, retinetur, retentaque diutius concrescit vi caloris: quòd si apertum fuerit, facilè euacuatur, nihilque tandem in vesica congregatur. Illud verò circa voces στόμαχος κύστεως animaduertēdum est, vocem hanc stomachus, quæ etiam passim à Latinis vsurpatur, Galeno 4. de Vsu part. cap. j. significare cuiuslibet ventris, vel cani ceruicem præpositam instar isthmi, in qua significatione antiquos eam vsurpasse passim commemorat: post Aristot. verò seculum, vt idem Galenus testatur quinto lib. de Locis Patientibus, cap. 4. ad οἰσοφάγον, hoc est, gulam hęc ipsa translata est. Deinde sua ætate ad os solùm ventriculi, quod veteres καρδίαν dixere transferri cœpit. Vnde & Erotianus in suo Onomastico στόμαχον κύστεως, collum vesicę appellari scribit, & collum

vteri in lib. de Morb. mulierum stomachum appellari dicit. Ego verò, quantum obseruare potui, apud antiquos Græcos scriptores reperio vocem στόμαχον, significare quidem cuiuslibet cauitatis ceruicem, modò illius cauitatis nomen apponant. Videre hoc licet apud Hippocr. hoc lib. sæpius: in hac enim particula loquit, στόμαχος τῆς κύστιος, stomachus, siue collum vesicæ; & in sequenti particula, cùm dicit, & cùm vrinam emittit, ad τὸν στόμαχον τῆς κύστιος, id est, stomachũ vesicæ allabitur ab vrina impulsum, & lib. de Morbis mulier. pag. Basileæ impress. 235. versu 10. vteri conuersi ad τῆς κύστιος τὸν στόμαχον, id est, vesicæ stomachum allabuntur: nisi fortasse ex antiquo manuscripto libro τὸ στόμα legendũ sit, quod est ad orificium: accommodat etiam collo vteri, vt lib. de Superfœtat. pag. 48. versu 24. & alibi sæpius, vt optimè annotauit Eustschi⁹ in eruditissimis suis in Erotianum annotationibus: quamuis vbi ex professo de vtero loquitur, interdum sine additione stomachũ ad collum matricis accommodauerit: vt cùm dicit: σπουδὴν τῆς κεφαλῆς θεραπεύοντος ἐκ τοῦ στομάχου, nunquã tamen Latini hanc stomachi significationem hoc modo vsurparunt. Verùm si absolutè sumatur stomachi nomen sine additione, reperio tria habere significata non modò apud Græcos, sed & apud Latinos scriptores, quorum nisi diligens habeatur cõsideratio, æquiuocationis in scriptoribus intelligendis non paruum imminet periculum. Dicitur enim de illa canalicula, siue fistula, quæ faucibus ad linguæ radices subiaceos esculenta, poculentaq; transmittit in ventrem, quo cum coniungitur, atq; committitur, vt Erasistratus apud Gellium lib. 17. capite 11. dicit duas esse canaliculas, siue fistulas, easq; ab oris faucibus proficisci deorsum, per earumq; alteram deduci, delabiq; in stomachũ esculenta omnia, ac poculenta, ex eoq; ferri in ventriculum, qui Græcè appellatur, ἡ κάτω κοιλία. quinimò cùm de hac fistula, siue canalicula agitur, aliquando dicitur de superiore eius parte, quam Latini gulam vocant, Græci alio nomine λαιμὸν, & οἰσοφάγον, cuius aditus in ipsis oris faucibus φάρυγξ dicitur, vt apud Hom. Iliad. γ.

Η καὶ ἀπὸ στομάχους ἀρνῶν τάμε νηλέϊ χαλκῷ.

& Galen. lib. 6. de Compos. medic. sec. loc. 3. vbi habet, καταφέρεται γὰρ αὐτῶν πολὺ καὶ εἰς τὸν φάρυγγα, καὶ τὸν στόμαχον, vbi stomachum sumit pro gula. Quod Latini nostri etiam imitati sunt, vt videre licet apud Celsum lib. 4. cap. 5. faucibus subest stomachus, id est gula. Sumitur aliquando non pro canali illo, sed pro eius inferiori parte, quæ est orificium ventriculi, vt videre licet apud Galenum libro 5. de Locis Patientibus, cap. 4. & 13. Method. med. cap. 17. cùm dicit, voco hoc loco stomachum gulam, quam propriè Græci stomachum appellant: nonnunquam enim etiam ita vocant os ventriculi: & primo de Ratione victus in morbis acut. 18. habet hæc verba: Stomachum autem hoc loco intelligere oportet, vt huius temporis homines facere consueuerunt, non meatum modò, sed & os ventriculi. Latini quandoque hanc significationem retinuerunt; vt videre licet apud Celsum libro quarto, capite primo: stomachus verò, qui intestinorum principium est, neruosus à septima spinæ vertebra incipit, & circa præcordia cum ventriculo committitur. & Plinius libro vndecimo, cap. trigesimoseptimo: Summum gulæ fauces vocantur, postremum stomachus. Dicitur postremò stomachus de ventriculo toto, & tota cauitate, tum apud Græcos, vt videre est apud interpretem Nicandri in Alexipharm. οἱ μὲν ἂν στόμαχον, ἄλλοι δὲ πύλην, ἄλλοι δὲ δοχεῖον βρώματος τὴν γαστέρα ὀνομάζουσι. quod est: siquidem stomachum alij orificium, alij cauitatem ventriculi alimenta recipientem nominarunt. Sic stomachum pro ventre Latini quandoque vsurparũt, vt videre licet apud Plinium libro decimonono, capite quinto, de Peponibus: Viuunt, loquit, hausti in stomacho in posterum diem, nec perfici queunt in cibis. Sic apud Iuuenalem: Si stomachus domini feruet vinoque, ciboque. Aluo igitur lubrica existente, neque vesica inflammata, ceruicéve obstructa, quibus præsentibus, aut non retineri excrementa, aut iis retentis non concrescere posse, certum est, lapis in vesica gigni non poterit. Contrà cùm feruet aluus, aut rectum intestinum inflammationem patitur, vesica, quæ recto intestino insidet, lege consortij, & vicinitatis ratione, vt optimè annotauit Galenus Comment. 58. quintæ sectionis Aphoris. compatitur: quia labo ante, eius quoque ceruicem, quam stomachum ipse appellat, & inflammatione tentari, & obstructione verisimile est: qđ illis verbis aperuit, cum dicit: Cùm verò aluus ardens, & feruida fuerit.

XL.

Ὁκόταν δὲ ταῦτα πάθῃ, τὸ οὖρον οὐκ ἀφίησιν, ἀλλ' ἐν ἑωυτῇ ξυνέψει καὶ συγκαίει, καὶ τὸ μὲν λεπτότατον αὐτοῦ ἀποκρίνεται, καὶ τὸ καθαρώτατον διεῖ καὶ ἐξουρέεται. τὸ δὲ παχύτατον καὶ θολωδέστατον ξυστρέφεται καὶ συμπήγνυται. τὸ μὲν πρῶτον μικρὸν, ἔπειτα μεῖζον γίνεται. κυλινδούμενον γὰρ ὑπὸ τοῦ οὔρου, ὅ τι ἂν ξυνίστηται παχὺ, ξυναρμόζει πρὸς ἑωυτὸ, καὶ οὕτως αὔξεταί τε καὶ πωροῦται. καὶ ὁκόταν οὐρέῃ, πρὸς τὸν στόμαχον τῆς κύστιος προσπίπτει ὑπὸ τοῦ οὔρου βιαζόμενον, καὶ κωλύει οὐρέειν, καὶ ὀδύνην παρέχει ἰσχυρήν.

Cùm verò hæc patitur, vrinam non dimittit, sed in seipsa concoquit, & adurit: & quod quidem tenuissimum est, in ipsa excernitur, & quod purissimum est, transit, & emingitur: quod verò crassissimum, & turbidissimum est, congregatur, & concrescit; primò quidem par-

sum, deinde maius fit. Circumuolutum enim ab vrina, quicquid crassum collectum fuerit, ad ipsum adaptat, sicq; augescit, & induratur; & cum mingit, ad vesica collum allabitur ab vrina impulsum, & vrina emissionem impedit, & vehementem dolorem excitat.

Dixerat in superiori particula, vesica nimio calore æstuante, & obstructa etiam eius ceruice, facilè laborantes in vesicæ lapidem incidere: in hac docet modum, quo generatur, id est, quomodo incipiat, & induretur materia in lapidem, & quomodo ad tantam magnitudinem quandoque perueniat: tum prætereà rationem reddit quorundam symptomatum, quæ in hoc affectu apparere solent. In primo igitur, generationis scilicet modo, duas innuit causas esse necessarias. Primò quòd in vrina sint partes pituitosæ crassiores, & viscidiores; quod manifestum fecit, quum dicit, tenuissimas expelli, crassissimas autem, & turbidissimas, viscidioresque retineri; hæc est causa materialis. Secundo, quòd adsit efficiens calor, isque satis acris: vt enim tenuiores partes à crassioribus, & viscidioribus, & separentur, & expellantur, moxque indurentur crassiores consumpta tenuiori substantia, non moderatus calor requiritur. Vbi igitur cum vrina multa materia pituitosa, crassa, & viscida, collacta fuerit in vesica, neque expulsa statim fuerit, sed tandiu retenta, quandiu concretionem quandam assequatur, expulsa tenuissima materia, id quod crassum est, vi caloris acrioris, & vehementis, tandem duritiem contrahit, & in lapidem abit. Verùm quum & Aristoteles, & nos ex eodem superiùs demonstrauerimus, quæ indurantur, duplici ratione talia reddi, vel vi frigoris, spiritu, aëreisque partibus, quæ congelari vix possunt, expressis, vt in glacie, & aliquibus lapidibus, vel vi caloris assantis, & consumentis, aut discutientis partes tenuiores. Anne sola hæc, quæ hoc loco ab Hippocrate posita est lapidum vesicæ effectrix causa, calor acris, censenda sit, an etiam frigus, non satis conueniunt scriptores. Crediderunt quàmplures non hanc solùm causam efficientem, calorem scilicet, requiri, sed etiam frigus, multis ducti argumentis. Primum, quoniam, inquiunt, quæ calore solo crassescunt, frigore liquantur, & econtrà: at quæ vtranque hanc efficientem causam concretionis habent, vtpote quæ resolutionem humoris à calido, & expressionem spiritus à frigore habent, neque à calido, neque à frigido liquafieri possunt. Prætereà quòd in senibus, in quibus alioqui debilior est calor, sæpenumero, saltem in renibus, lapilli generentur, sicut in pueris frequens est lapis in vesica, colligunt à frigore etiam, non autem à calore solo lapidum generationem fieri. Accedit Aretæi Cappadocis medici antiquioris, & doctissimi auctoritas, qui libro secundo de signis, & causis diuturnorum morborum, capite tertio, in frigiditatem concretionis lapidis in senibus causam referre videtur. Eius verba sunt hæc: Concretionis autem causę geminæ sunt. In senibus frigidum corpus, & crassus sanguis. Frigidum verò crassas materias celeriùs cogit. Indicio sunt calidarum aquarum natura fontes: hæ namque refrigeratæ in tophaceum lapidem condensantur. At in pueris multum sanguinis limum elixatum generandi calculi veluti sedem ignis habet. Atque pluribus Alemanus conatur hanc tueri sententiam. Verùm vix mente quispiam concipere potest, qui fieri possit, vt in corpore humano tanta reperiatur frigiditas, quæ congelare, & in lapides vertere humores hos possit, vt etiam ex recentioribus optimè annotarunt doctissimus Trincauellius, & Thomas à Vega. Neque verò concedendum est, quòd quicquid calore duratur, à frigore dissoluatur; videmus enim lateres calore induratos à quantumuis magno frigore nunquam dissolui, aut liquari. Neque contrà lapillos quosdam frigore concretos caloris vi posse liquari. Qua verò ratione fiat, vt senes nephritide sæpius laborent, inferiùs docebimus; vbi fiet manifestum, efficientem causam lapillorum in senibus calorem potiùs esse, quàm frigiditatem. Aretæi autem authoritas hac in parte aut reiicienda est, aut certà ita intelligenda, vt in senibus frigiditas naturalis eorum in causa sit, vt crassiores humores generentur, collectique etiam crassiores reddantur, at vt lapidescant in renibus, nunquàm frigiditati attribuerem, sed calori præter naturam renes afficienti. Quomodo autem augeatur, & ad tantam magnitudinem quandoque veniat lapis in vesica, omnium optimè docuit Hippocrates in hac particula: concreta enim portio aliqua humoris illius viscidioris, ea, qua diximus, ratione, ex motu vrinæ, dum ad excretionem mouetur à natura, circumuoluitur: atque cùm ab eadem causa fiat, & augmentum lapidis, & generatio, ob viscidítatem materia alia denuo influxa applicatur, & in globi formam circumuestit priorem: vnde ab eadem causa efficiente etiam concrescit, qua rudimentum iam acceperat. Est tamen hac in re non leuis difficultas, an in vesica lapis generari queat. Fernelius Ambianus credidit, in vesica nullum lapidem generari posse, quin in renibus acceperit principium, & rudimentum. Dicit enim, se non videre, quomodo crudus ille succus possit tamdiu illic remorari, nisi fortè angusta nimiùm sit vesicæ ceruix, quum grumi sanguinis, pus, & crassissima pituita, aliaque multò crassiora, facillimè cum vrina inde profluant. Vult igitur, vt diximus, in quocunque vesicæ calculo præcessisse nephritim, qua mediante expulsus tandem sit renum lapillus aliquis; qui si grandiusculus sit, aliquádiu in vesi-

ea hæret, & sæpe persistit, illicque aliarum sordium adhæsu coagmentatur, quoad verus lapis, & magnus fiat. Cuius rei illud affirmat firmum, & certum esse fundamentum, quòd neminem viderit hactenus in vesica calculum habentem, qui nephriticis doloribus priùs vexatus non fuerit. Quòd prætereà quoscunque calculos à vesica exemptos offenderit, nucleum quendam in eorum medio habere inuenerit, verum rudimentum lapidis ex renibus exturbati. Verùm quum lapides renum, & vesicæ **B** neque eadem figura, neque eodem colore, neque eadem substantia, neque in eodem statu concrescere videamus, puta sexu aut ætate, eandem vtrisque causam, aut generationis modum, aut quod magis est, eundem locum tribuere, absurdum omnino videtur. Nam qui in renibus fiunt, ex arenulis simul coniunctis generari videntur, & figuram sumunt à renum sinu, & sunt vndique quasi aculeis fulciti, aut certè sublongi videntur ab vreteribus, in quibus diutius fortasse immorati formam acceperę, nisi frangantur. **C** Lapides verò vesicæ lapidibus fluuiatilibus figura similes sunt, rotundi ferè, vel figura lentis, quæ veluti laminas cæparum facit, leues, qui in vesica ferè semper initium duxerunt. Quòd si in renibus rudimentum acceperit, moxque in vesica augmentum habuerit, quod aliquando fieri minimè negandum est, in medio quasi nucleum habent, velusi ex multis arenulis conflatum: vtrisque tamen quandoque vbi continuò arenulæ ex re- **D** nibus suppeditantur, iis lapidi quasi alligatis, & mucoso humori permixtis, lapis asper reddi solet. Colore præterea quamuis aliquando conueniant, vt plurimum tamen obseruatum est, lapides vesicæ ad albidiorem potiùs naturam, & subcineritium colorem accedere, quàm ad subrum, cuius vt plurimum coloris lapillos renum esse obseruamus. Quòd si lapis vesicæ semper à renibus rudimentum acciperet, eandem **E** propemodum ætatem haberent, in qua generarentur: cùm alioqui renum calculos senum, vesicæ autem lapides puerorũ peculiares morbos censeat Hippocr. Decipitur igitur, cùm argumentatur ab eo, quod secundùm quid ad simpliciter. Quod enim in aliquibus obseruauit, in omnibus fieri, & semper credidit. Neque enim negandum est, aliquando post nephriticũ dolorem expulso à renibus in vesicam calculo, diutiusque in ea retento muco quodam, quo **F** interna vesicæ tunica munita est, & à crudo succo, qui cum vrina ad eam peruenit, obduci, & consequenter augescere: at id neque semper fit, neque etiam vt plurimum. Pueri enim sæpe in vesica calculum habent, qui nunquam renũ doloribus cruciati fuerunt. Nec certè mirum, cùm ab iisdem augmentatio fiat lapidis, à quibus & generatio prima: augmentatio lapidis fit à calore, & materia crassa, & viscida, à quibus etiam prima generatio lapidis secundùm

A Hippocratem originem habet. Generatur igitur, & augetur lapis in vesica, tum materia crassa, & viscida suppeditata, tum calore condensante. Vnde indurata ea, & in lapidem versa, vbi ab vrina ad collum vesicæ adducitur, vrinæ emissionem impedit, & dolorem vehementem excitat, tum ex diuulsione, & dissolutione continui à lapillo circa ostium facta, tum à retentione vrinæ, quæ vbi diutius firmatur, & acrior redditur, & magis mordicare apta. Quod **B** verò primo loco proponebat, fieri non posse, vt pituita à vesica non expurgetur, quum grumi sanguinis expellantur, nihil facit ad propositum, cùm in quàmplurimis pituitam excerni per vesicam & nos concedamus: at id fieri non potest, vbi os vesicæ angustum fuerit, quod hoc loco Hippocrates inter coadiuuantes causas lapidis ponit.

XLI.

C . Ὥστε τὰ αἰδοῖα τρίβουσι καὶ ἕλκουσι τὰ παιδία τὰ λιθιῶντα. δοκεῖ γὰρ αὐτοῖσι τὸ αἴτιον ἐνταῦθα εἶναι τῆς οὐρήσιος.

Quare pudenda fricant, & trahunt pueri calculosi: videtur enim ipsis causa mictionis eo loco esse.

Ex iis, quæ in proximæ particulæ fine dicta sunt, pulcherrimi problematis rationem red- **D** dit; cur pueri calculosi sæpius pudenda perfricent, tractent, & trahant, cum potissimùm vrinam emittere tentant. Docet hoc experientia, & vno ore Græci medici inter signa lapidis vesicæ, potissimùm in pueris, hoc signum posuere. Vnde Aretæus libro 2. de causis, & sign. diuturnorum morborum, cap. 4. dum calculorum vesicæ signa tradit, habet hæc verba ità à Paulo Crasso versa: Omnes verò calculos ex sabulosis vrinæ subsidentiis deprehendes, & quòd i- **E** stis sæpius virilia arriguntur: quando enim meiunt, subestque calculus, dolent, tractant, attrahuntq; pudenda, tanquàm calculum cum vesica exempturi. Trallianus quoque libro 9. capite 7. dum signa calculorum vesicæ tradit, inquit: Præterea ægri naturalia scalpere videntur, aut ea violenter, & sæpe distendere solent, atque tunc magis, cum ad vrinarum excretionem vrgentur: & Paulus libro 3. cap. 45. habet **F** hæc verba: Fricant assiduè, & contrectant pudendum, & arrigunt, & assiduè ad vrinam reddendam vrgentur, & vrinæ stillicidium habẽt. Duplici autem ratione Hippocr. hoc de pueris calculosis docuit: tum quòd quamuis morbo hoc adultos molestante symptoma hoc aliquo modo adsit, minùs tamen, quàm in pueris, esse reperitur: tum quòd affectio hæc puerorum ferè peculiaris esse solet. Primùm quidem docuit Paulus libro citato, & ratio ostendit: vbi enim maior fit titillatio, & maior sensus in orificio vesicæ, maior itidem fieri debet erectio, & sub-

inde contrectatio. Pueri verò cùm molliori vesicæ collo præditi sint, tum præterea cùm ratione non moueantur, sed sensu, quasi à natura moniti, sæpius virilia contrectant, & attrahũt, non est mirum, si signum id puerorum calculo vesicæ laborantium magis proprium existat. Alterum autem, quòd scilicet calculus in vesica morbus sit puerorum peculiaris, docet Hippocr. 3. Sect. Aphorism. 26. quod confirmat Galenus 2. de Natura human. com. 11. & 3. in 6. Epidem. 15. quibus in locis non modò dicunt puerorum peculiarem morbum esse lapidem in vesica, sed etiam senibus lapillorum in renibus concretionem magis esse peculiarem: quod & 3. Aphoris. 31. Hippocr. affirmauit, dum renales dolores inter morbos senibus familiares recenset: qua in re secutus est eum Galen. 6. de Tuend. val. cap. 8. Cur verò pueris potissimũm lapides in vesica generẽtur, Paulus lib. 3. cap. citato, etsi non omnes, aliquas tamẽ, quas adducit, causas satis luculenter explicat iis verbis: Generantur etiam in vesica lapides pueris frequentiùs, quàm ætate prouectis: voraces enim sunt, & perpetui motus, & cibis vtcunque oblatis etiam nocivis vtuntur, neq; horam cibum capiendi seruant ordinatam: quin etiam priusquam prior cibus assumptus cõcoquatur, alium ingerunt, & cùm vehemẽtiùs à cibo moueantur, crudus, & incoctus in venas cibus distribuitur: mollia autem sunt ipsorum corpora; & quæ facilè cedant, vnde & obturationem circa renes non perferunt. Cùm verò crassissima lotia in vesicę capacitatem perferantur, ibidem veluti vini fæx, & limus aquæ subsistunt. Quæ posteà ex loci caliditate desiccata lapidescunt: Galen. tamen locis citatis alias simul cum hac causas adducit: quanuis enim, inquit, in pueris ob voracitatem, & inordinatã victus rationem materialis subsit causa lapidis, non in vesica modò, sed etiam in renibus, quæ est pituita, & humor crassior, & crudus: nihilominus quoniam & meatus latiores sunt in renibus, & facultas expultrix validior, & calor naturalis maior, ita vt in fundendis crassioribus iis humoribus satis sit aptus, ideo iis effluentibus, & non retentis, non possunt ex iis facilè in renibus lapilli generari. Vbi autem iidem in vesicam cum vrina delabũtur, cùm vesica sit membrum exangue, & minùs calidum, iterum crassescũt, & lentorem pristinum acquirunt. Quo loco licèt à calore naturali illius loci iterum fundi nequeant, possunt tamen resolutis ex diuturna mora tenuioribus partibus in lapidem concrescere, sic agente calore pręter naturam, potissimùm cùm ad fundendum opus sit valido calore naturali, cùm alioqui ad exiccandum, & condensandum materiam pro generatione lapidis satis sit calor mediocris, vt optimè docet Galenus 3. in 6. de Morb. vulg. comm. 15. in senibus autem omnino contrà accidit: quoniam in eis neque facultates naturales adeò validæ sunt, neque calor huiusmodi, vt materiam multam pituitosam, crassam, ad renes delatam, tandem possit fundere: quò fit, vt ea ratione ætatis facilè collecta, tandem in renibus possit in lapillos concrescere. Vnde etiam cùm in renibus retineatur, non ita generando lapidi in vesica occasionem præbere potest. Quinimò cùm eo in loco adeò langueat vis caloris, suapte natura alioqui exangui, & parum calido, materia ibidem exiccari, & in lapidem cõuerti minimè potest. Hinc non satis probare possum opinionem Alexandri, quicunque is fuerit (neque enim Aphrodisæum esse existimo, sed fortasse iuniorem Trallianum) libro primo Problem. Problem. 109. quærit enim huius rei rationem, cùm inquit, cur pueris calculi in vesica nascuntur, senibus verò in renibus? Respondet, quoniam renes puerorum meatus continent perangustos: hinc enim terrena, crassaque permeans materia per renes vi arctioris meatus ab vrina, & renibus, canaliculisq; conceptaculis propellitur ad vesicam. Hęc locum præ sua amplitudine dat tum excernẽdi qua affluat vrina, tum consistendi, qua materia subsideat calculi. At seniorum renes, quoniã meatu sunt ampliori, locum, & vrinæ effluendi præbere possunt, & terrenæ materiæ subsistendi, & concrescendi. Quasi verò meatuum angustia crassiori potiùs materiæ retinendæ occasionem non præbeat, quàm effluẽdæ. Præterea quis vel mediocriter in anatome exercitatus, non nouerit, canales, per quos defertur vrina in pueris, saltem grandioribus, in quibus solet generari lapis in vesica, & molliores esse, & ob humiditatem in ea ætate excedentem latiores, qui progressu ætatis, cùm spermatici sint, non modò non magis dilatantur, sed potiùs ob siccitatem paulatim inductam, magis adstringuntur? In senibus verò etiam angustiores conspiciuntur, vnde etiam adeò vehementes dolores in lapillorũ expulsione persentiunt. Nisi fortasse voluerimus Alexandrum ita intelligere; quòd per meatus renum nõ canales intelligat, sed sinus renum, quos certum est in pueris minores esse, & in senibus ampliores: quo modo si intelligamus, & hanc causam cum Galenicis coniungamus, fortasse absolutiorẽ problematis propositi solutionem inuenerimus.

XLII.

Τεκμήριον δὲ, ὅτι οὕτως ἔχει. τὸ γὰρ οὖρον λαμπρότατον οὐρέουσιν οἱ λιθιῶντες πρὸς τὴν γινόμενον ὀρρόν. ὅτι τὸ παχύτατον καὶ θολωδέστατον αὐτοῦ μένει καὶ συστρέφεται. τὰ μὲν πλεῖστα οὕτω λιθιᾷ.

Signum autem, quòd hæc ita se habeant, hoc est: Vrinam splendidissimam mingere, ad similitudinem seri; eò quòd id quod crassissimum, & turbidissimum est, isthic manet, & coalescit. Et sanè plerique hoc modo lapidem contrahunt.

Docu-

Docuerat superiùs, ex cuiuscunque generis indifferenti potu multos, ac varios morbos generari, inter quos potissimùm lapidem in vesica posuit, & quomodo is generetur, copiosissimè ostendit. In quo explicando dixerat, non aliter generari in vesica lapidem, quàm vbi viscera interna, potissimùm intestina, aut per se, aut cæterorum membrorum vicinia adeò calida sunt, vt è materia ad vesicam defluxa, cui subiacent intestina, subtiliores partes effluant, crassiores autem, & magis terrestres retineantur, & resideant, vbi ob moram, & vehementiorem calorem concrescunt in grumum, & etiam lapidescunt. Temporis autem tractu ob circumuolutionem illius ab vrina exitum quærente in vesica, dum lapidi illi, aut grumo continuò crassiores, & viscidiores partes in vesica collectæ, iterum adhærent, augetur: vbi quum ab expultrice facultate extra tanquam quid præter naturam tentetur expelli, dolores ob vellicatum collum vesicæ magni excitantur: Nunc hoc ita esse à posteriori demonstrat; quòd videamus eos, qui calculo vesicæ laborant, vrinam mingere quàm tenuissimam; eò quòd id, quod crassissimum, & turbidissimum est, retinetur, & residet. Legendum autem duxi, vt in manuscripto Gadaldini, παχύτατον, id est, crassissimum, vt iis, quæ superiùs dixerat, consentiat: non autem χολωδέστατον, quamuis in impressis ita legatur: quæ enim biliosissima sunt, etiam ex natura sua sunt tenuissima vt plurimum. Crassiora autem debent esse, quæ generationi lapidis materiam parant. Illud verò diligenter est animaduertendum, signum hoc non esse perpetuum in vesicæ calculo: scimus enim ab initio, vbi adhuc in grumum materia crassa, & terrestria nondum est conuersa, perpetuò hanc vrinam non cerni, effluente portione aliqua illius humoris: at vbi iam incrementum suscipit, id ferè semper conspicitur. Sufficit autem illi probasse suam intentionem, quòd generetur lapis in vesica hac ratione crassis subsidentibus, & retentis in vesica, tenuioribus verò effluentibus: eò quòd vt plurimum tenuissima, & splendidissima vrina conspiciatur, subtiliori solùm parte effluente. Hoc verò potissimùm accidit, quando vesicæ non adhæreat, aut ab ea non pendeat: scimus enim tunc auctoritate Græcorum albam, crassam, turbidam, & mucosam excerni vrinam, crassa materia non ampliùs circumuestiente lapidem, & in ipsum non transeunte. Est etiam interdum furfuracea, vt optimè docet Auicenna, cum arenulis, vbi adeò in immensum excreuerit calculus, & asper fuerit, vt omnino internam vesicæ tunicam corradat, corrasaque cum vrina emittantur. At nec hoc euertitur sententiæ Hippocratis hoc loco euertit: quum non in generatione lapidis id fiat, sed in corrasione facta à lapide. Neque etiam censendum est, Aphorismum 69. quartæ sectionis, vbi ex arenulis in ima vrinæ parte subsidentibus calculum in vesica demonstrat, nostræ huic, & Hippocratis sententiæ aduersari: neque enim impedit vrinam splendidissimam esse, & in ima parte arenulas residere. Neque tamen illud in præsentia considerandum est, an Aphorism. ille verus sit, necne, & in sequenti coniungendus; quum in præsentia Hippocratis verba hoc loco solùm exponamus. Hactenus igitur vnus generationis lapidis in vesica modus expositus est, sequitur, & inquit.

XLIII.

Γίνεται δὲ παισὶν καὶ ἀπὸ τοῦ γάλακτος, ἢν μὴ ὑγιηρὸν ᾖ; ἀλλὰ θερμόν τε λίην, καὶ χολῶδες. τὴν γὰρ κοιλίην διαθερμαίνει, καὶ τὴν κύστιν. ὥστε τὸ οὖρον ξυγκαιόμενον ταῦτα πάσχειν.

Generatur autem etiam in pueris à lacte, si non salubre id fuerit, sed calidum valde, & biliosum: ventrem enim percalefacit, & vesicam: vnde vrina, dum aduritur, hæc patitur.

Nulla est in grauissimis quibusque auctoribus exponendis aptior, & commodior via, quàm si per sententias alibi ab iisdem traditas eosdem exposuerimus: aut certè per coæuos eiusdem scientiæ scriptores: quod in hac exponenda Hippocratis verissima sententia, in præsentia mihi faciendum esse duxi: quum enim alterum modum generationis lapidis in pueris à superiori quasi distinctum hoc loco tradat ex lacte; videndum est, an alibi, aut ab ipso, aut ab aliquo graui eiusdem temporis viro hac de re aliquid sit traditum. Quum verò quarto libro de Morbis adeò abunde ostendatur, & tradatur modus hic generationis calculi in vesica ex lacte, optimum esse duxi, totam illam verborum seriem in huius loci expositione tradere, sine modò is liber Hippocratis sit, (neque enim de hoc laboro) siue viri alicuius antiquissimi, & alioqui grauissimi, de qua re neminem scio dubitare: particulam enim hanc per illum locum facilè exponemus. Verba sunt hæc: Cæterùm calculi morbo principium oboritur à lacte, vbi puer lac impurum sugit. Lac autem in nutrice impurum fit; si pituitosis cibis, ac potibus, & alimentis impurie nutrix vtatur. Conferunt enim omnia in ventriculum illabentia in ipsa ad lac. Habet autem & hæc res se hoc modo. Si nutrix non sana fuerit, sed biliosa, aut aquosa, aut sanguinea, aut pituitosa, lac etiam malum puero generatur. Consentiunt enim corpus, & ventriculus. Plurimum verò ipsi ad lac cedit deno, quod ipsa plurimũ in se ipsa habuerit. Et puer si de nutrice lac non purum suxerit, sed biliosum, velut dixi, morbosus fit, ac debilis: & in præsens maximè affligitur, quandiu lac prauũ, ac morbosum suxerit. At vbi suxerit lac non

purum, sed terreum, & pituitosum, & habuerit puer venas de ventriculo ad vesicam tendentes amplas, & attrahentes: procedit autem & quod bibit nutrix, & lac in ventriculum pueri, tale, quale trahit à ventriculo de lacte in totum similiter, prout venæ ad ventriculum detrudere possunt: si quid sanè in lacte non purum fuerit, id quo vesica fruitur, lapis fit tali modo, veluti in aqua non pura in calice, aut vase æneo turbata, & rursus sedata, fæx aceruata fit in medio. Sic sanè & in vesica de vrina non pura existente. Et non per vrinam eiicitur, vt quæ in cauo sit loco, & maximè aceruata fiens, præ dolore per mictionem non pertransit, & à pituita cruda concrescit. Glutinum enim fit pituita ad fæcem admixta: Et primùm parua lanugo superstat, deinde quod accedit, arenosum fit, glutino fiente pituita, quæ est in vesica de lacte, & augetur, & quicquid humoris in glutinatione accesserit, emingitur. Rursus autem fæx solida fit, & lapidis speciem accipit. Quemadmodum ferrum ex lapidibus, & terra, dum comburuntur, fit. Et in prima quidem in ignem immissione conglutinati sunt lapides cum terra ad ferri recrementum. At vbi iterum, atque iterum in ignem immissa fuerint, recrementum quidem foras decedit liquescens ex ferro, id quod ita fieri oculis videmus. Ferrum autem in igne relinquitur, & recremento decedente subsidet, fitque solidum, & densum. Sic profectò etiam fæx in vesica, dum pituitæ glutinum fit, emingitur id quod ab vrina liquescit. Fæx autem subsidet, & densatur, ac solida fit, velut ferrum. Vbi verò subsedit, ac solida facta est, sursum, ac deorsum in vesica voluitatur, & feriens vesicam dolorem inducit, & si vehementer feriat, ac vlceret, aliquid de vesica aufertur. Verùm id quod insuper affertur, adhuc magis, quã id, quod arenosum decessit, concretionem efficit. Atque tali modo fit lapis de lacte in vesica; & si puero anxietas aliqua oboriatur ob hoc, aliàs atq; aliàs vbi meiere vult, vrinę meatum appræhendit. At si puero iam adulto lapis gignatur, & cæt. Hac Hippocr. de lapidis vesicæ generatione ex lacte verborum serie, adeò apertè præsentem sententiam explicat, vt superfluum omnino mihi videatur alia addere ad huius rei explicationem. Ex his tamen illud nobis licet colligere, longè deceptos esse illos, qui nutrices pro alẽdis commodè infantibus, eas libenter eligunt, quæ & colore subnigro sunt, & signa habent, quibus calida intemperie præditas esse colligere possimus. Certum enim est, facilè in hunc morbũ infantes ab ipsis educatos incidere. Nec certè ab re: cùm lac earum calidum sit, & biliosum; vnde facilè & vesica, & cæteræ partes immoderatam contrahũt caliditatem, vnde & vrina aduritur, & crassior materia eum vrina in vesicam delapsa in lapidem vertitur. Neque tamen albidius lac, quàm par sit, omnino laudari debet; siquidem nimis pituitosum est, & excremẽtis nimium scatens. Quare meritò Aristot. lac, quod nonnihil ad liuorem tendat, magis quàm in candore excedens, laudandum censet: quòd id nimis fluxile sit, nimisque aquosum. Neque tamen liuidum omnino esse debet, sed quasi ad liuorem declinans: debet enim in mediocritate esse, vt bonũ sit lac, tum substantiæ, tum etiam aliarum qualitatum, vt optimè annotauit Oribasius quinto synops. ad Eust. filium, cap. 3. Docens enim lac nutricis eligere, quod neque vitiosum sit, neque huiusmodi morbos possit inducere, dicit: lac præstantissimum est, quod spissitudine, copia, odore, colore, & gustu moderatum est: illud & commendatur, quod in vnguem pollicis stillatum, & in luce spectatum vngue inclinato, neque citò, neque tardè diffluit. Probari autem hoc etiam pacto potest; lacti in vas vitreum infuso coaguli portio misceatur, digitisque agitetur, atq; ita permittatur donec coagatur: deinde inspiciendum est, vtrum minor sit portio, quæ in caseum concreuit, quàm quæ in serum abiit; quòd si ita sit, vtile erit lac, si contrà, erit concoctu difficile. Quòd verò æquam vtriusque portionem habebit, id erit probatissimum. Et primo Euporist. ad Euuapium, capite j. eandem propemodũ, quamuis breuius, habet sententiam, vbi de puerorum educatione agit: à quo ad verbum mutuatus est Paulus lib. j. cap. 3. & Aëtius lib. 4. cap. 5. habet hæc verba: Probandum est lac gustu, visu, & olfactu: nam & gustantibus, & olfacientibus iucundũ, & videntibus album, & æquale, & inter liquiditatem, & spissitudinem medium habens, ipsum esse oportet. At vitiosum lac aut crassum est, ac caseosum, aut liquidum, & serosum, aut liuidum, aut strias floridas habens, aut spumosum, aut malè olens, aut fœtidum, aut citò acescens, aut gustanti, amaritudinis, aut muriæ, aut alterius cuiusdam peregrinæ qualitatis significationem exhibens. Quibus verbis quanuis lac album laudare videatur, liuidum vituperare; non tamen aut nobis, aut Aristot. repugnat, qui candidissimum lac non laudauit, sed ad liuidum tendens: sicut enim neque album vituperauit Aristot. sed candidissimum, neque liuidum commendauit, sed quoquo modo ad liuiditatem tendens: Ita nec Aëtius candidissimum commendauit, sed reuerą liuidum vitiosum censuit, non autẽ ad liuiditatem tendens: album autem simpliciter iure commendauit.

XLIV.

Καὶ φημὶ ἄμεινον εἶναι τοῖς παιδίοισιν τὸν οἶνον ὡς ὑδαρέστατον διδόναι. ἧσσον γὰρ τὰς φλέβας ξυγκαίει, καὶ συναυαίνει.

Et sentio melius esse pueris vinum quàm aquosissimum dare: minùs enim venas adurit, & resiccat.

Nisi

Nisi diligenter hæc Hippocratis particula exponatur, quomodoque intelligenda sit, tradatur, facilè in multas difficultates etiam exercitatus incidere posset. Cùm enim vinum hic pueris in primo septēnio exhibēdum esse commendet, videtur ex professo iis, quæ à Græcis omnibus in tuendæ valetudinis præceptis docendis traduntur, repugnare. Galenus quidem tum in lib. an animi mores corporis temperaturam sequantur, tum potissimùm 1. de Sanit. tuend. cap. 11. tum & eiusdē operis lib. 5. cap. 5. docet, sicut vinum pueris quàm alienissimum est, ita senibus quàm aptissimum esse. Quin & Plato in Legib. & Aristoteles in Problem. & Oribasius & Paulus, vbi de puerorum nutriendi ratione agant, ad vnum omnes conueniunt, cuiuscunq; vini vsu arcendos esse pueros. Cùm præterea dicat hoc loco Hippoc. satius esse pueris vinum quàm aquosissimum dare; non satis constat, an comparatione ad aquam facta id doceat, an potiùs ad potentius vinum collatione habita aquosum potiùs commendet. Ex quo etiam contradictio non leuis exoritur, quomodo in lapide vesicæ potiùs aquosissimū vinum commēdet, quàm vinosum, cùm 3. de Ratione vict. in acut. part. 6. vinosum & potens vinum, potiùs excretiones per vrinas facere doceat, q̄ tenue, aquosum, & quod ὀλιγοφόρον Græci appellant. Quantum ad prima duo capita attinet, Alemanus, qui primus ex recētioribus, & solus, quod sciam, commētaria in hunc librum edidit, non simpliciter Platonem, Aristotelem, & Galenum, pueris vinum interdixisse credidit, sed solùm vinosum, & potens, non autem ὀλιγοφόρον, tenue, aquosum, parumq; excalefaciens: credidit tamen in hac particula Hippocratem, non collatione habita ad potēs vinum, tenuissimum commendasse pueris, sed ad aquam, de qua in præsentia instituta est disputatio: dicitque satius esse vinū huiusmodi tenuissimum, & pauciferum pueris dare, quàm aquam, aut etiam quàm lac biliosum, & impurum. Quasi verò non constet, & Aristotelem, & Galenum per rationes, quas in suæ sententiæ confirmationē reddunt, simpliciter damnasse vinū, cuiuscunque tandem sit generis, siue potens, siue etiam aquosum, & tenue. Galeni verba 1. de Tuend. valer. cap. 11. hæc sunt: Sanè vinum quàm diutissimè, qui ea natura est puer, ne gustare suaserim, quippe quod & haustū humectat nimiùm, & calefacit corpus, tum caput halitu replet iis, qui humido, calidoq; temperamēto sunt, quale est eiusmodi puerorum, atqui nec repleri iis caput est vtile, nec ipsos suprà, quàm par est, humidos calidosque fieri; quoniam eò iam caloris, humorisque peruenerunt, vt si paululum vtramuis qualitatem auxeris, iam modum excesserint. Neque verò dicat aliquis, repleri caput vaporibus non esse effectum vini aquosi, & tenuis, sed potentis; quamuis enī hoc in adultis verum sit; in pueris tamen data proportione tenuissimum quoque id præstare poterit. Quinimò quod iis verbis quodcunque vinum fugiendū Galenus suaserit, non potens solùm; præterquàm quòd nulla omnino adhibita distinctione vino simpliciter interdicit pueros; verba etiam illa manifestè id ostendunt: quoniam eò iam caloris humorisque peruenerunt, vt si paululum vtramuis qualitatē auxeris, iam modum excesserint. Quis enim nesciat hoc nō nisi de tenuissimo, & aquoso vino intelligendum, quod paululum solùm aptū est vtranque illam qualitatē augere. Quinimò, quod magis mirandum est in hoc expositore, credidit Hippocratem hic docere satius esse infantibus vinum tenuissimū exhibere, quàm lac biliosum. Cùm alioqui Galenus nō modò vinum cuiuscunque generis eis interdicat, sed etiam genus quodcunq; aliud cibi, & potus, cap. 10. eiusdem lib. cùm dicit: Est igitur ea ratione eorū corpus alendum, vt status sui gratiam perpetuò seruet: seruabit autem, si primis quidem annis solo lacte nutrias, &c. vbi igitur nutricis lac biliosum, & calidum fuerit, non ad vinum tenuissimum est confugiendum, sed ad lac aliquod salubre. Crediderim igitur hoc modo hanc particulam exponi posse, si dixerimus Hippocratem non de vini potu in pueris hoc loco simpliciter, vt ad tuendam valetudinem facit, agere, sed vt ad præseruanda à morbo, potissimùm lapide vesicæ, aut curanda corpora facit. Nihil enī prohibet aliquid simpliciter ad sanitatem omnium puerorum conseruandam aduersari, quod postmodum commendetur pro præseruatione ab aliquo imminenti morbo, aut pro præsentis cuiuspiam affectionis curatione. Ita vinum quodcunque simpliciter pueris in primo septennio, imò etiam secundo constitutis aduersatur: vbi verò in vesica lapis generari inceperit, aut immineat, id, quod tenuissimū sit, maximè est ex vsu, & magis laudatur, quàm potens, & vinosum, quodq; venas & corpus vniuersum eorū exsiccat, & adurit. Non igitur hoc loco comparationē facit ad aquam, vt Alemanus credidit, cùm certum sit, non minùs excalefacere, & siccare vinū tenuissimum, & aquosum, quàm aquam, sed potiùs econtrà. Fit igitur, vt dixi, comparatio ad vinum potens, & vinosum. Sed qua ratione id hoc loco extra propositū docet? Meminerat Hippocrates se 3. de Rat. vict. in acut. part. 6. docuisse, vinum album vinosum, ac potens ad vesicam quocunque alio vino aptiùs penetrare, vrinas prouocare, & perpetuò purgare, atque multa ad opem ferendam morbis vesicę facere, etiamsi ad cætera vino alio inhabilius existat: in hac autem particula dixerit, vina aquosa, & tenuissima in vesica expurganda, & deobstruenda alia vinorum genera superare; ne quis illis verbis motus crederet, pueris ea ratione potiùs conuenire, vbi vino vtendum est pro lapidis curatione, aut præseruatione, vinum potens, & vinosum, hoc

loco ostendit, nō in omnibus parem esse rationem; in pueris enī potiùs, cùm eorum corpus, vt naturalem statū seruet, calidum esse debeat, & humidum, potiùs vinū aquosum, & tenuissimum conuenit. Verùm quomodo apparens hæc in verbis Hippocratis contradictio tolli possit, non ita facilè licet intelligere. Crediderunt nonnulli ita loca hæc Hippocratis conciliari posse, si dixerimus alia esse auxilia, quæ in præseruatione conueniunt, & alia, quæ in curatione eiusdem affectus. Cùm igitur, inquiūt, q̈uam aquosissimū pueris vinum suadet; id respicit Hippocrates, ne eorum calore edaucto lapides in vesica generentur, néue materia lapides apta generare, & colligatur, & induretur. Meracum verò & potens dum concedit, calculos iam genitos curendos suscipit: dicit enim contexr. 6. tertij de Rat. vict. in acut. Vinum album vinosum iam plurima, maximaque partè laudatum quidem, & culpatum in vini dulcis enarratione: Ad vesicam verò vino alio magis penetrat, vrinas prouocat, & perpetuò purgat, atque multa ad opem iis morbis ferendam facit. Verùm nō satis commodè has auctoritates contrarias hac solutione tolli posse is intelliget, qui norit præcautricis, & curetricis medicinæ partis indicationes nō esse contrarias, neque contrariis instrumentis vti, sed vt plurimō similibus. Est enim inter curandum, maxima ex parte, si quid subest in corpore causæ morbum facturæ, vel etiam hunc eundem auctuiæ, præcautricis pars, amotio nempe causæ eius. Imò præcauentes vt plurimum curantium modo facimus, instrumentis iisdem, atque etiam eadem propemodum ratione vtimur; minùs tamen multis, nec tam efficacibus, nec quantitate tanta opus habemus. Quomodo igitur si aquosissimum vinum ad præcauendos à lapide vesicæ pueros conuenit, in eiusdem morbi iam in iisdem contracti curatione nō eodem, & tenuiori opus erit? Accedit, quòd si in præseruatione vinosum, & meracum vinum fugiēdum est, ne venas adurat, calefaciat, & magis materiam induret, in curatione, in qua non est sperandum lapidē posse excerni, magis hoc idem debebit in vsum traduci, ne & maior lapis euadat, & materia circumcirca magis & faciliùs induretur. Quinimò si quis diligēter quæ ab Hippocrate 3. de Rat. vict. in acut. loco citato dicta sunt, considerare voluerit, vtique præceptum illud, in quo potens, & meracū vinum in passionibus vesicæ, & materia in illa contenta expurganda conuenire tradit, potiùs ad præseruandi rationem, quàm ad curandi methodum pertinère facilè intelliget. Si enim ea ratione conuenit, quòd ad vesicam magis penetret, vrinas magis cieat, perpetuò materias magis expurget, & vesicam obstructione magis liberam reddat, cùm iam morbus contractus est, & materia in lapidem iam versa, certum est, non tam eo tempore vinū illud conuenire, quàm antequàm duritiē materia contraxerit, & cùm crassa materia in vesicæ collecta est: id verò præseruatricis partis potiùs est officium, quàm curatricis. Vt igitur nós quid hac in re dicēdum sit, tradere tentemus, illud priùs supponēdum est, quod etiam superiùs demonstrauimus, duo potissimùm ad calculos vesicę generandos requiri, efficientem causam, & materialem: efficiens causa est caliditas aut insignis, aut etiā mediocris, vbi crassam admodum inuenerit materiā: vt optimè docet Galenus 3. in 6. Epidem. com. 15. vehemens verò requiritur, vbi materia non crassa fuerit, vt etiā docet lib. de Renum affect. dignot. & cur. si modò Galeni liber ille est. Materia etiam requiritur crassior; quamuis, vt diximus, etiam quæ tenuis est mediocriter, ob vehementiam caloris quandoque possit in lapidem concrescere. Vtraque hæc causa in pueris reperitur; quæ tamen efficiens est caliditas excedens, tum in vesica, tum in vniuerso corpore magis præualet, vt optimè docet Galenus 2. de Nat. hum. comment. 15. Subest tamen etiam aliquando materie, nō ex natura puerorum, sed ex consuetudine, & victus institutione mala, q̃ nondum vno cibo concocto in ventriculo alium ingerant: & maiorem etiam cibi quantitatem, quàm par sit, assumant, neque vllam à cibo seruēt regulam, sese è cibo statim assumpto nimis exercentes, vnde crudi in venis succi colliguntur. In senibus autem, in quibus licèt minùs, quàm in pueris, lapides in vesica colligantur, sæpius tamen, quàm in iuuenibus, vt generentur quandoque lapides in vesica, ea solet esse causa, quòd ratione ætatis materia multa crassa & pituitosa generetur; quæ cùm sit, vt diximus, ad concrescendum idonea, minori caloris vi indiget, vt in lapidem verti possit. Hinc fit, vt vbi lapides in vesica generantur, præualente efficiente causę caliditate, in pręseruatione, & curatione ea fugienda sint, quæ assumpta efficientē hanc morbi causam adaugere valent. Vnde nunquam potens vinum, etiamsi magis ad vesicam perueniret, materiamque magis fundere, & extrà pellere posset, pueris concedi debet: quoniam vesicæ, & vniuersi corporis temperiem calidiorē reddendo, magis & generando lapidi occasionem præberet, & iam geniti augmentum adiuuaret. In senibus autem, & cæteris corporibus, in quibus omnis ferè occasio lapidis è materia pendet, omnib⁹ iis vtendum est, quę & fundere, & attenuare eam possint, magisque extra corpus pellere: id verò certum est vinum album, potēs, & vinosum faciliùs facere, quàm tenue, & quod ὀλιγοφόρον appellāt Græci. Accedit præterea, quòd Hippocrates particula illa 6. lib. 3. de Rat. vict. in acut. nullam curationis, aut præseruationis mentionem facit, sed solùm in materia crassa, & multa expellenda à vesica aptius tale vinum esse iudicauit. Quòd si eo loco de lapide vesicæ esset sermo, in eam sententiam non venisset, potissimùm cùm

sciret

sciret frequẽtiorem illius causam esse calorem excedẽtem: nam à tali vino augeretur. Et quòd ita sit, seipsum statim partic. 8. explicauit, cùm dicit: Quod autem superiora quidem omnia, vesicamque minùs offendet, si dilutius fuerit, intestina verò iuuabit magis, si meracius, neminem latere debet. Ex quibus etiam verbis solutio difficultatis, & apparentis contradictionis facilè colligi potest, quòd scilicet vbi materia, & efficiens causa lapidis in vesica originẽ habeat à parte affecta, puta vesica, in caliditate excedente, tunc satius est vinum dilutum inodorum, tenue, aquosum in vsum traducere, vt in pueris. At vbi ex materia crassa à reliquis partibus subministrata occasionem habet, non euincente multũ caliditate, vino albo quidem, sed meraciori, & potenti, quod vinosum appellant, vtendum est; quod attenuari ea materia illa ratione possit, & faciliùs expelli; quod senibus sæpius accidere solet.

XLV.

Τῇσι δὲ θηλείῃσι λίθοι οὐ γίγνονται ὁμοίως· ὁ γὰρ οὐρητὴρ βραχύς ἐστιν ὁ τῆς κύστιος, καὶ εὐρύς, ὥστε βιάζεται τὸ οὖρον ῥηιδίως. οὔτε γὰρ τῇ χειρὶ τρίβει τὸ αἰδοῖον, ὥσπερ τὸ ἄρσεν, οὔτε ἅπτεται τοῦ οὐρητῆρος. ἐς γὰρ τὰ αἰδοῖα ξυντέτρηνται, οἱ δὲ ἄνδρες οὐκ ἰθὺ τέτρηνται. καὶ διότι οἱ οὐρητῆρες εἰσὶν εὐρέες, οὐρέουσι πλεῖον ἢ οἱ παῖδες. περὶ μὲν οὖν τουτέων ὧδε ἔχει, ἢ ὅτι τουτέων ἐγγύτατα.

Mulieribus autem calculi non similiter fiunt: meatus enim vesicæ breuis est, & amplus, ita vt facilè vrina expellatur. Neque enim manu pudendum fricant, neque contangunt meatum. Ad pudenda enim perforatus est, mares autem non rectà perforati sunt. Et quia meatus sunt ampli, etiam plus mingunt, quàm pueri. Et de his quidem sic res se habet, aut ijs quàm proximè.

Tanta est hoc loco Græcorum exemplarium varia lectio, vt non ita facilè quispiam intelligere possit, quam amplexetur, quámve reiiciat. In principio enim in Basiliensi sic legitur, τῇσι δὲ θηλείῃσι αἰδοῖοιν γίγνεται οὐχ ὁμοίως, quod est, vt vertit Cornarius, qui hanc & ipse habuit, & secutus est: Muliebribus autem pudendis calculi non similiter fiunt, &c. Aldinus autem liber sic legit, τῇσι δὲ θηλείῃσι αἰδοῖον γίνεται ὁμοίως, ὁ γάρ, quod ipse verto: Mulierum autem pudendo generantur similiter; non enim meatus vesicæ breuis est, &c. Gadaldinus autem ex suo manuscripto ita legendum censet: τῇσι δὲ θηλείῃσι λίθοι οὐ γίγνονται ὁμοίως, ὁ γάρ: quod est, vt ipse sum interpretatus: Mulieribus autem calculi non similiter generantur: etenim, &c. Ex tribus iis lectionibus postremam potiùs sumus amplexati, quamuis neq; priorem Basiliensis libri reiiciamus, cùm in idem ferè incidant; quamuis cùm de morbo hoc magis, minúsve affligente secundùm ætatẽ, & sexus agat, magis laudamus eam, quæ à doctissimo Gadaldino posita est. Aldina enim, quæ omnino contrarium refert, quòd non minùs mulieres, quàm pueros, calculo vesicæ tentari scribat, quodque dum sententiæ affirmatiuæ rationem reddit, falso omnino fundamento nitatur; q, scilicet meatus vesicæ in mulieribus neque breuis sit, neque amplus, reiicienda prorsus est: quis enim quotidiana id non obseruet obseruatione, mulieres multò rariùs calculo vesicæ tentari, quàm viros, & puellas vix eo morbo affici, quo pueli sæpenumerò laborant. Quinimò experientia ab anatome desumpta, ratio, qua probatur, mulieribus calculum vesicæ non minùs, quàm pueris accidere, omnino conuincitur. Scimus enim & meatum vrinarium in mulieribus breuiorem multò esse, quàm in viris, & magis amplum, rectum, minusque tortuosum. Sed magis varia lectio est in alia parte contextus, quæ incipit, ἐς γὰρ τὰ αἰδοῖα. Aliter enim legit Basiliensis, aliter Aldinus, aliter Gadaldini liber manuscriptus, & ego tum exemplaribus adiutus, tum coniecturis, credo etiam diuerso modo ab iis omnibus legendum esse. Basiliensis enim legit hoc modo: ἐς γὰρ τὰ αἰδοῖα ξυντέτρηνται. καὶ διότι οἱ οὐρητῆρες εἰσὶν εὐρέες, καὶ πίνουσι πλεῖον, ἢ οἱ παῖδες. quod est: Ad pudenda enim perforatus est, & quia meatus sunt ampli, plus etiam bibunt, quàm pueri. Aldinus sic habet: ἐς γὰρ τὰ αἰδοῖα ξυντέτρηνται, καὶ διότι οἱ οὐρητῆρες οὐκ εὐρέες, καὶ πίνουσι πλεῖον, ἢ οἱ παῖδες. quod est: Ad pudenda enim perforatus est, & quia meatus non sunt ampli, plus etiam bibunt, quàm pueri. Gadaldini autem liber ita habet: ἐς γὰρ τὰ αἰδοῖα ξυντέτρηνται, οἱ δὲ ἄνδρες οὐκ ἰθὺ τέτρηνται, καὶ διότι οἱ οὐρητῆρες οὐκ εὐρέες, καὶ πίνουσι πλεῖον, ἢ οἱ παῖδες. id est: In pudenda enim perforata est, mares autẽ non rectà perforati sunt; & quia vreteres non sunt lati, etiam plus bibunt, quàm pueri. Ex quibus lectionibus prima, & defectuosa est, quòd omittat verba illa, οἱ δὲ ἄνδρες οὐκ ἰθὺ τέτρηνται. quod est: Mares autem perforati non rectà sunt: addenda enim hæc esse iudico, tum ex Gadaldini contextu, tum etiam, quòd absolutè admodum, & diligentiùs iis verbis additis explicatur, quid sit, quòd in pueris sæpius in vesica lapides generentur, in mulieribus autem, etiam in ea ætate constitutis, nõ ita facilè; ratione ex figura partis vtriusque sexus desumpta. Et in ea particula peccat, in qua meo iudicio omnes mendosæ, & defectuosæ sunt, cùm legit: καὶ πίνουσι πλεῖον, quod est, & plus bibunt. Meo enim iudicio, vt postea inter explicandum hãc sententiam ostendam, legendum est: καὶ οὐρέουσι πλεῖον, id est, plus mingunt. Altera verò, & in illa parte, in qua etiam Basiliensem defectuosam esse dicebamus, deficit, & etiam omnino vitiosa est; cùm negatiuè legit, καὶ διότι οἱ οὐρητῆρες οὐκ εὐρέες, quod est: Et quia meatus non sunt lati; cùm potiùs affirmatiuè legendum esse, & manoscriptus antiquus ostendat, & ratio demonstret, quòd, vbi ami

pliores sint ductus, facilius materia crassior possit permeare. Repugnat & experientia, qua constat in mulieribus vrinarium meatum & ampliorem esse, & breuiorem. Constat id præterea ex iis, quę Alexander, siue Aphrodisiensis is sit, siue Trallianus, siue alius tandem quicunque, grauis tamẽ, & doctus auctor libro 2. Problematum, problem. 51. tradidit: quærit enim, cur fœminæ omnes calculum sua in vesica lentè concipiant: & respondet, id esse, quoniam ceruicem vesicæ ampliorem, quàm mares habeant. Hinc enim, inquit, fieri potest, vt cum vrina quoque excrementum eiiciatur, quod calculum facit. Ex quibus non solùm constat, falsam esse hanc lectionem, qua negatur in fœminis vasa vrinaria esse ampla, sed etiam priorem eiusdem Aldi lectionem in principio huius particulæ, qua videtur velle Hippocrates non secus mulieribus calculos in vesica colligi, quàm pueris: cùm vtrunque aduersetur huic sententiæ grauissimi viri, quem verisimile est ab Hippocrate, & Aristotele pleraque mutuatum esse, aut saltẽ collegisse, cùm id in solutionibus plerisque earum quæstionum, quas proponit dissoluẽdas, constet. Gadaldini lectio, vt in eo magis à me probatur, quòd addat illa verba, *οἱ δὲ ἄνδρες οὐκ ἰθὺ τέτρηνται*. quod est: Mares autẽ non rectà perforati sunt; ita maximè est reiicienda in eo, quòd negatiuè & ipsa, vt superior, legit. Qua in re magis reprehendenda est, quàm quæ in Aldino codice reperitur: nam cùm ipse negasset in priori parte ita facilè in mulieribus colligi posse in vesica lapides, nõ poterat, dum huius rei rationẽ reddit, angustiam meatuum accusare, quæ potiùs faciliorem lapidis prouentum in eis efficeret. Censeo igitur ita legendum esse: *ἐς γὰρ τὰ αἰδοῖα ξυντέτρηνται, οἱ δὲ ἄνδρες οὐκ ἰθὺ τέτρηνται, καὶ διότι οἱ οὐρητῆρες εἰσὶν εὐρέες, οὐρέουσι πλεῖον, ἢ οἱ παῖδες*. quod est: Ad pudenda em̃ perforatus est, mares autẽ non rectà perforati sunt, & quia meatus sunt ampli, plus mingũt quàm pueri. Hæc est huius loci varia lectio, & melioris electio. Nunc Hippocratis sententiam exponamus. Docuerat Hippocrates ex indifferenti, & malo vsu aquarũ cuiuscunque generis multa & grauissima symptomata, & pessimos morbos generari, inter quos potissimùm referebat lapidem in vesica, quem etiam in pueris magis generari docuerat, tum quòd calida eorum natura sit, tum quòd materia multa crassa, & viscida generetur, quæ duæ causæ lapidis generationi occasionem præbent. In præsentia docet mulieribus etiam in puerili ætate constitutis non ita facilè morbum hunc euenire, quamuis etiam subessent prædictę causæ: & inquit, ea ratione mulieribus etiam in puerili ætate nõ accidere, quòd meatus vrinarius & breuior sit, & minùs contortus, sed amplus. Docueramus em̃ nõ solùm ratione efficientis caloris, & materiæ crassioris continuò subministratæ generari lapides in vesica, sed etiam ratione meatuũ vrinariorum, per quę defertur materia cum vrina; qui cùm angustiores sint, & non recti, non ita facilè materię exitum parant: mulieres autem, cùm ampliorẽ meatum habeant, & rectum, breuemque, facilè materia à renibus effluxa ad vesicam exit, & omnẽ generandi lapidis occasionem aufert. Hác eandẽ causam tradidit Alexander 2. Problem. 51. quærens, cur mulieribus minùs in vesica calculi generentur, quemadmodum superiùs diximus. Quod etiam in anatome facilè licet cõspicere, siquidem mulieribus super vteri ceruicem meatus hic, siue vesicæ ceruix, fibris membraneis illi annatus extenditur, ac vbi primũ sub pubis osse cum vteri ceruice sursum inflecti inceperit, in illius cauitatem terminatur; at viris vltrà procéditur, ac prominet, nam cùm primùm infimam ossium pubis commissuræ regionẽ superauit, corpus penis subintrans, ad elatiorem vsq; pubis ossium commissurę sedem sursum fertur, & hinc rursum, prout rigidus, flaccidusq; est penis, sursum spectat, ac propendet. Non igitur mirum est, si pueri lapide vesicæ facilè corripiantur; cum longa particula ad extremum collum vesicæ in eis sit sita: quam etiam sæpius contrectant, falsò putantes in eo loco impeditę mictionis causam esse. Fœminis contra meatus amplus est, & breuis, statim perforatus, minimeq; anfractuosus: vnde neq; facilè calculum contrahũt, neq; ita manu pudendum contrectant: cùm neque diutiùs in meatu vrina moram trahat; neq; calculus ita vesicam comprimat, vbi etiam contractus in eis fuerit. Illud tamen vnum circa verba obseruandum est, hoc loco per *οὐρητῆρας* nõ meatus illos intelligere, per quos vrina à renibus in vesicam stillat, de quibus sic Celsus lib. 4. cap. 1. A renibus, inquit, singulæ venæ colore albæ ad vesicá feruntur, *οὐρητῆρας* Græci vocant, quòd per eas inde descendẽtem vrinam in vesicam destillare concipiunt. Recẽtiores etiam semper *οὐρητῆρας* vasa hæc intelligunt, cũ tamen hoc loco & passim Hippoc. per nomẽ *οὐρητὴρ* & *οὐρητῆρες* meatum vrinarium à vesica vrinam extra corpus ducentem intelligat, Gaza interpretatus est aliquando ceruicem vesicæ.

καὶ διότι οἱ οὐρητῆρες εἰσὶν εὐρέες, καὶ οὐρέουσι πλεῖον, ἢ οἱ παῖδες. q̃d est: *Et quia meatus sunt ampli, plus etiam mingunt, quàm pueri* Sic legendum esse duxi, non, plus bibunt: variis ductus argumentis: tũ q̃ experientia nobis ostendat, multò minùs bibaces esse mulieres viris, & puellas pueris, tũ q̃ nihil ad propositũ negotium faciat, bibántne plus, an minùs q̃ pueri. Quòd si legamus, vt fecimus, erit sanè multùm ad propositum: neque em̃ ita obiter, vt aliqui putant, hoc loco problematis huius reddit rationẽ, quare plus mingát mulieres q̃ mares. Hæc em̃ verborũ serie aliá causam tradit, quare mulieres minùs lapidem in vesica contrahant: & inquit; q̃a meatus sunt ampli, & breues, & nõ cõtorti, plus mingũt, q̃ pueri. Hácque ratione minùs lapidẽ contrahũt in vesica:

cùm

cũ ẽm docuerit ex diuturna mora in vesica magis aduri, & materiã crassam magis durã reddi in pueris, manifestum est in iis, qui sæpius mingunt, & maiorem quantitatem vrinæ, minùs generationi lapidis occasionem dari. Et quòd sæpius mingant, quàm pueri, experientia docet, quòd minùs noctu mulieres vrinam contineant, non quidem ob vrinæ acrimoniam, & doloris sensum, sed ob meatuum vrinariorum breuitatem, amplitudinem, & molliciem: vnde etiam sæpius in eum morbum puellas incidere, quo noctu vrinam etiam non sentientes, & dormientes emittunt, quàm pueros, obseruatum est. Quòd si quis non in amplitudinem, breuitatem, & rectitudinem meatuum vesicæ totam lapidis in mulieribus non facilè contracti causam referet, sed in intemperiem minùs calidam, qua minùs possit materia crassa, & pituitosa in lapidem verti, nõ morabor, quamuis reuera in hãc solam minimè possit reduci: cùm iam docuerimus, vbi minus efficientis caloris subest, ibi plus materiæ adesse, & crassioris: vbi autem magis materia crassa est, minus caloris requiritur, vt iam ex Hippocrate 3. in 6. de Morbis vulgar. 15. docuimus. Ex qua re efficitur, vt quamuis minor calor in fœminis lapidem efficiens reperiatur, cùm tamen multa adsit materia, & ea quidem ad concrescendum maximè idonea, sequitur vt ratione causarum principalium non minùs mulieres, quàm pueri ad lapidem in vesica contrahendũ sint idoneæ: quamuis ratione loci, in quo efficitur, in illis promptitudo auferatur.

LVDOVICI SEPTALII MEDIOLANENSIS MEDICI

IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE AERIBVS, AQVIS, LOCIS

Commentarius Quartus.

I.

Περὶ δὲ ἐτῶν, ὧδε ἄν τις ἐνθυμεόμενος διαγινώσκοι, ὁκοῖόν τι μέλλει ἔσεσθαι τὸ ἔτος, ἤτε νοσερὸν, ἤτε ὑγιηρόν.

De annis autem hoc modo quis mentem adhibens, discernet, qualisnam annus futurus sit, morbosúsne, an salubris.

QVANTA sit temporum anni, & eorundẽ tum naturalium, tum præter naturam temperamentorum cognitionis vtilitas, vel ex eo quilibet intelligere potest, quòd circumambiens nos aër (à quo tantæ in nostro corpore mutationes in prima huius libri parte fieri docebamus, vt in aërem solum morborum omnium causas aliqui referre ausi fuerint; inter quos auctor libri de Flatibus, quẽ Hippocratem esse nunquam auderem dicere, sed recentiorem aliquem ex Pneumaticorum secta, inter quos & Agathinum, & Archigenem præcipuos facit auctor introductorij medici, cap. 10. tum Galenus 4. de Differentiis pulsuum passim) si non omnes, saltem potissimas, & magis essentiales differentias ab anni temporibus desumere consueuerit. Quamuis enim nõ rarò locorum conditio ob montium, aquarumque vicinitatem, situmq; horum dissimilem, ventorumque perflationem contrariã sæpe inter se viribus, hic, alibi ve perflantium, & huiusmodi quædam fusè, vt opinor, satis tractata antea, temperiem immutet; in temperata tamen parte, cui nihil horum obstiterit, omnis ferè aëris mutatio temporũ anni constitutiones, vel naturales, vel præter naturam sequitur. Quinimò, vt paulò pòst ostendam, intemperata quoque loca suam habent naturalem tempẽriem in anni temporibus, penes quam salubritatem attendunt, sicuti ex præternaturalibus temporum anni constitutionibus morbos varij generis expectant. Nec certè ab re: idem enĩ Sol, qui accessu ad nos suo, & recessu rerum vnà secum plurimarũ genitalem vim adfert, rursusque aufert, anni quoq; tempora eadem hæc diuersa facit. Quamuis enim aliter aliqui ipsa accipiant, decursum tamen, quo iisdem vestigiis ad caput semper decurrens duodecim Zodiaci signa percurrit, quatuor hæc tempora efficere crediderunt: diuerso tamen modo Astrologi, & Medici: illi enim, diuiso per quadrantes circulo, singulis tempora applicantes, quatuor constituêre, vt initio ab Ariete sumpto, triumque signorum emenso spatio, ver constituetur: trium item subsequentium æstas, aliorum præterea trium autumnus, & tandem tribus postremis transactis hyems absoluetur. At Medici, qui non tam quæ in cœlestibus corporibus fiunt, quàm quæ in nostris

corporibus accidunt, considerare solent, aëris temperiem, quæ tamen etiam ex Solis vario ad nos accessu, & recessu fieri vt plurimũ consueuit, secuti, multò aliter tempora hæc diuidunt, & metiuntur: Si enim aëris temperies talis fuerit, vt nullus sit frigoris, aut caloris, tum & humiditatis, & siccitatis excessus, sed temperies quædam, vernũ id esse tempus dicemus. Quòd si caloris magnus sit excessus, vt & sudores facilè proliciantur, & calor noster paulò plus solito euentilari postulet, æstatem esse dicimus. Hyems is esse statuitur, in quo ob algoris vehementiam calore aliquo corpora fouente indigemus. Autumni tempus tunc esse dicũt, cùm post calorem æstatis, & siccitatẽ vehementem, temperies quędam caloris & frigoris succedit: quãuis in siccitate excedat, tam ob maximam æstatis præcedẽtis siccitatem, tum ob natiuam illius temporis temperaturam. Recedens enim tunc à nobis Sol, frigiditatem, & siccitatem inducere par est; verùm illa ob æstatis caliditatẽ temperatur. Quinimò ita à vere distinguitur temperamẽto, quòd ver vniformiter temperatos habet dies, aut parum à se inuicem distinctos: at autumnus inęqualis omninò est, & dies tales habet, ita vt matutino, & vespertino tempore frigeant homines, in meridie caleant nimis: vnde quamuis intemperatum sit tempus, temperiem tamen quandam assequi videtur ex duorum contrariorum excessu, & mistione, vt vespertini, & matutini frigiditatem caliditas meridiei contemperet: & alternãtibus inter se contrariis intemperatis temperiem quandam efficiant. Hoc igitur modo sunt tempora à Medicis æstimata. Vnde & præcepto medico admonemur, ne vnquam de anni temporibus iudicium feramus, nomina temporum secuti, sed potius eorundem temperamenta: Vnde si vere ipso etiam in medio frigus adeò inualescat, vt calore aliquo fouente indigeamus, hyemis tũc vicem habere dicemus. Ita si inæqualitas illa tum dierũ inter se, tum partium diei adfuerit, vel in media æstate, vel in hyeme, tunc autumni potiùs tempus esse dicemus. At enim quemadmodum in cæteris omnibus, quę incerta feruntur, fieri consueuit, non ab re esse duxi, regulas quasdam inuenire, quibus si non eadem perpetuò, & stata anni tempora constituantur, ad eas saltem, tanquam normam, quam maiore semper ex parte sequamur, de anni temporibus cogitãtes, respicere possimus; à qua si quãdo aberrandum à nobis fuerit, aliterq;, quàm anni tempora ferant, statuendum, ob variatam à naturali, & propria temperatura qualitatem, aliò temperamenti varietatem, & mutationẽ illam, pura ad aëris nos ambientis tunc temporis constitutionem præter naturam aliqua alia de causa factam transferre nobis liceat. Hippocrates, siue quicunque is fuerit, qui librum tertium de Diæta scripsit, quemadmodum diuisionẽ anni in quatuor iam dicta tempora amplexatus est, ita cuilibet eorum statutos terminos præfixit. Ver enĩ, vt ab eo initium ducamus, tunc inchoate voluit, cùm Solem primũ Arietis punctũ occupare contigerit. Contingit autem id decimo quarto ferè Calend. Aprilis anni Gregoriani correcti, quæ vigesima Martij dies numeratur. Absoluitur autem in exortu Pleiadum, quæ & Vergiliæ Latinis dicũtur, quo tempore æstatis adest initium, per triduum ferè perdurans: incipiunt autem apparere 5. Calend. Iunij: incidit autem ea dies in diem decimumoctauum Maij. Atque ita ver totum Medicis quidem eo temporis curriculo consummatum perficietur, qđ inter 14. Calend. April. & 15. Calend. Iunij continetur: qui menses sunt duo circiter. Vnde Galenus 1. comment. ad 1. de Morb. vulgar. 1. dicebat veris tempus ñe habere quidem duos solidos menses. Quò factum est, vt iure indiuisum permanserit. Æstas ab ortu Vergiliarum, qui in dictum diem ferè incidit, progressa ad Arcturi vsque exortum tendit: quo exoriente, autumnus statim inchoat. Exoritur autem diebus circiter duodecim ante æquinoctium autumnale, vt docet Galenus 1. de Morb. vulg. com. 1. in princ. Cùm verò id tempore nostro in 12. Cal. Octobr. incidat, qui dies est vigesimus Septembris, sequetur, vt principium autumni, & finis æstatis sit 4. Idus Septembris. Neque hoc multum distat à terminis Ptolomæi, qui æquinoctium autumnale in 11. Calend. Octobr. retulit: Arcturi autem exortus principium in 6. Idus Septembris: cùm ex correctione Liliana tempora eò reducta sint, & exortus stellarum, vt magis vicina sint terminis Ptolomæi, cùm ad ea sint reducta æquinoctia, & solstitia, quæ in Concilio magno Niceno sunt constituta. Fuit verò à Natiuitate Domini celebratum CCCXX. Ptolomæus autem floruit à Passione Domini Anno CXL. ita vt à tempore Ptolomæi ad Concilium Nicenum CXLVII. anni intercesserint: ita vt ab exortu, & occasu sydetum nostri temporis, & æquinoctiis, & solstitiis, nõ distinguatur magis, quàm per vnum, aut alterum diem: quòd si maior intercedat differentia, vt reuera reperitur, id ratione diuersitatis locorum euenit. Sed hæc obiter. Interuallum igitur hoc, quo æstas constituitur, quatuor ferè mensium spatium habet. Cùm autem in longo adeò temporis interuallo insignis aliqua variatio reperiatur, duæ æstatis partes constituuntur. Prior, quæ ab initio illius ducta exortu procyonis terminatur. Galenum enĩ loco citato libentiùs sequimur, qui τὸ θέρος, καὶ τὴν ὀπώραν prioris æstatis partis finem facit, vt alterius principiũ, quàm eos, qui solstitio easdem definiunt. Oritur autem remapote nostro 14. Calend. Augusti; qui quidẽ dies à solstitij tempore mense paulò minùs distat. Priorem illam æstatis partẽ θέρος appellant Græci; vnde horarios quoque fructus, & fugaces, quasi temporarios, nimirũ citò marcescentes, nec qui recondi diu ad vsum insequentis temporis

poris possint, dixére, posteriorem verò ὀπώρην nominant. Ac priori quidem ætatis nomē sibi vindicauit: altera, ὀπώρην nomine melius noscetur. Sequitur Autumnus, qui ab ortu Arcturi, vt diximus, incipiens, Pleiadum occasu terminatur: quo quidē tempore hyems inchoabit. Occidunt autem ad 14. Cal. Decembris, nostris iis temporibus, quinque ferè diebus, antequā Sol in Sagittarium transitum faciat. Cùm verò vix duos menses contineat, cum vna tertia parte, indiuisum remansit. Post qđ iàm tempus annus veluti ætate, tristiq́; vbique canitie confectus, inclinansq́; magis semper magisq́;, ad extremum vsq; abit, & cōsueto ad initium suum recursu, cùm Sol in Arietem transitū facit, ipsemet se, tanquā renascens, inchoat. Diuidit hāc partem, vtpote quæ & longa sit, & variis ferè frigoris differentiis distincta, & longo temporis tractu protracta, in tres partes: idq́; lib. de Septimanis Hippoc. attributus confirmat, is autem apud nos nō extat. Quarum prima σπορητὸς appellatur, nos Latini sementem dicimus: vnde sementinæ feriæ, quibus seminū plurimorum satio peragitur. Mediam nos Latini Brumam dicimus, Galenus τὸ ἀεὶ τὰς θεμας χείμων tempus sub solstitium vocat. Quæ sequitur, φυταλιὰ vocatur, quæ quomodo Latinè dicatur, nō occurrit, continet autē insitionis tempus totum. Prima pars trigintaquatuor ferè dieb⁹ absoluitur: terminatur eñ ingressu Solis in Capricornum, quo solstitium hybernum constituitur, tuncq́; Bruma, quę secunda pars est hyemis, incipit: & quamuis Brumæ nomine propriè apud Latinos intelligatur dies, in quo Sol ingreditur signū Capricorni, in quo est solstitium hyemale; hoc tamen loco cùm Brumam dicimus, spatium intelligimus à solstitio hyemali, quod tempore nostro in 12. Cal. Ianuarij incidit, & terminatur circa Idus Februarias, quo tempore φυταλιὰ succedit. Atque ita reuolutus in sese per hasce temporū vices annus finietur septem in totum portionibus hoc modo distinctus: Veris vna, & item Autumni vna, quæ, q. concisa magis, & adstricta horum temporū natura sit, simplici discrimine continebuntur. Æstatis duabus, hyemis autē, quo paulò antè diximus modo, tribus, vt in vniuersum septem sint. Temporum igitur anni, vt ad institutum tandem reuertamur, & diuisionem, & tantas vtilitates considerans Hippocr. postquam de habitationibus pertractauit, & qua natura præditi sint, qui diuersa loca incolunt pro situum varietate, ventorum perflatione, aquarumq́; scaturiginibus variis, tum & quibus morbis cōmuniter laborare soleant, postquam etiam de aquarū varietate & natura locurus est, vt inde & mores hominum, & naturas cognoscamus; nunc de temporibus anni tractationem aggreditur, vtpote quæ totius anni constitutionē immutare possint, quæ Medico diligenter semper est inuestiganda, num scilicet veris, an æstatis, autumnive, an hyemis naturā sequatur. Nam tunc illius temporis morbi peculiares, ad cuius naturam vergit totius anni constitutio, fieri solēt: quod Hippoc. his verbis ostendit, cum dicit: *Cognoscet, qualisnam annus futurus sit, morbosus, an salubris.* hoc enim maximi momenti est: ignorata eñ futura temperie anni, & temporū constitutione, neq; futuris morbis prouidere, neq; imminentibus iam iamq́; exorientibus occurrere, neq; iam factos auferre poterimus. Conferet igitur vel maximè tum ad prædictionem, tum ad præseruationem, & curationem præsens tractatio. Multum eñ refert, quo primùm cœperint affligere tempore morbi, cognoscere. Docet præterea Hippoc. siue quicunque is fuerit (de hoc eñ in præsentia nō laboro) lib. 1. de Morbis: morbos alios vere curari debere. quos si hyéme curare tentauerimus, intempestiuè curari censeantur: Et econtrà. Vnum tñ hoc loco circa verba Hippocratis est annotandum, variam esse in principio huius tractationis lectionē. Nam codex Basiliensis & Aldinus, & manuscriptus, quē videre contigit, habet, vt nos posuimus. Gadaldinus autē legit, ἀεὶ τὰς ὥρας. quod est: de anni auasem temporibus. At Zuingerus missis primis verbis, ἀεὶ τῶν, incipit tractationē hoc modo: ὥστε δ᾽ ἄν τις. quod est: hoc autē modo si quis, &c. Ego autem sicut nec Gadaldini lectionem reiicio, q, reuera de anni temporibus agat hac tractatione, ita communem magis approbo, q, de temporibus anni agat in totius anni constitutionis cognoscēdæ gratiam. Doctissimi autem Zuingeri lectionem non facilè reiicerem: q, & series illa integra sit sine illis verbis: & prima illa verba facilè potuisset à librario aliquo esse adiecta, ta quam demonstrāria, qua de re in ea parte institutā esset consideratio. Mox autem quæ pro inscriptione ab aliquo adiecta erant, potuerūt inscitia librariorum ad tractationem adiici. Sed hæc coniectanea sunt; sequemur igitur communem lectionem, quam & ipse Zuingerus amplexatus est.

II.

Ἢν μὲν γὰρ κατὰ λόγον γίνηται τὰ σημεῖα ἐπὶ τοῖς ἄστροισι δύνουσί τε καὶ ἐπιτέλλουσιν, ἔν τε τῷ μετοπώρῳ ὕδατα γίνηται, καὶ ὁ χειμὼν μέτριος, καὶ μήτε λίην εὔδιος, μήτε ὑπερβάλλων τὸν καιρὸν τῷ ψύχει. ἔν τε τῷ ἦρι ὕδατα γίνηται ὡραῖα, καὶ ἐν τῷ θέρει. οὕτω τὸ ἔτος ὑγιεινότατον εἰκὸς εἶναι.

Si enim secundùm rationem fiant signa in astris orientibus, & occidentibus: Et in Autumno aquæ fiant, & hyems sit moderata, neque valde tepens, neq; id, quod opportunum est, excedens frigore. Et vere aquæ fiant tempestiuè, & in æstate: Sic par est annum esse saluberrimum.

De anni constitutionibus variis acturus Hippocrates, vt nobis ostenderet, q quales q; morbi ex iis produci soleant, ante omnia illud pri-

mò sibi inueniendum duxit, quo tanquam regula, reliqua faciliùs cognoscere, & metiri posset. Id verò est qui, & qualis esse debeat anni status saluberrimus. Nam si rectum sui, & obliqui index esse solet, profectò nihil erit, quod aptiùs nobis commonstrare posset insalubres annorum constitutiones, quam is, qui saluberrimus est anni status. Inquit igitur, quòd is annus saluberrimus est, & minimè omnium morbis obnoxia corpora reddens, & morbos, qui in eo oriuntur, salubres efficiens, in quo secundùm rationem apparent signa solita ex natura astrorum obseruari in ortu, & occasu syderum. Quid verò per hæc signa intelligat, non ita difficile est iudicare, si quis quæ a Ptolomæo, 2. de Iudiciis astrorum, partic. 57. dicuntur, diligenter consideret. Sol enim, inquit, pro natura stellarum, quibus iungitur, varias facit generales constitutiones. Vnde etiam idem Ptolomæus tabulam quandam quotidiana obseruatione dispositam scriptam nobis reliquit, qua quilibet singulo die, pro vario ortu, & occasu syderũ, siue Cosmico, siue Chronico, siue Heliaco, siue matutino, siue vespertino, posset etiã singulorum dierum constitutiones iuxta varios hos ortus, & occasus syderũ cognoscere. Quæ quamuis ex vsu nobis esse non possit, tum ob mutatos exortus, & occasus syderũ, & rationo sui, & ob diuersitaté climatum, cùm ipse obseruârit Alexandriæ: nos verò sub climate Romæ simus; tum etiam ob superexcrescentes dies in Iuliano anno, qui quãuis ex parte subtracti sint per Lilianam correctionem, eò tamẽ non sunt redacti, vt Ptolomæi obseruationes, etiamsi in nostro climate fecisset, nostri huius temporis ortibus, & occasibus syderum conuenire possint. Accedit, q obseruatum est diuturna contemplatione rerũ cœlestium, stellas fixas ad Septentrionem, & Meridiem sparsim locatas, distantiam quidem inter se seruare inuariabilem, tum quæ in Zodiaco sunt fixæ, tum quæ extra Zodiacũ, vt incolumis maneat ordo: motumq; earum esse contra primũ motum ad signorum successionem, & in vicinis signorũ regionibus collocatas, cum duodecim signis oriri & occultari. At verò declinationes suas ab æquinoctiali non semper habere easdem: nam stellæ, quæ sunt in medietate sphæræ, quæ est à puncto tropici hyemalis, ad æstiuum tropicũ, p punctum vernalé procedẽdo, declinationes meridianae minuunt; at Septentrionales augeri visæ sunt. Econtrà stellæ, quæ sunt in altera medietate sphærę, declinationes Septẽtrionales minuũt, meridianas augẽt. Maiorq; diuersitas variationis reperta est in iis, quæ sunt iuxta tropica. Distantia auté ipsarum in longitudine à punctis æqualitatis, & solstitialibus, nõ vna eademque manet: sed semper crescit secundùm ordiné Signiferi procedendo. Ex quibus manifestè colligi potest rerum cœli cognitionem (quã & Astronomiam, & Astrologiam prisci Græcorum, absque vllo discrimine nuncupârunt) Medicis doctrina, & nomine præcellere cupientibus summoperè amplectendam esse: qđ & Hippocrates in Procemio huius lib. manifestè docuit, & Galen. in 1. part. 1. in 1. Epid. & nos satis longa oratione rationibus demonstrauimus. Non igitur tabulæ illæ obseruationum Ptolomæi, quantũ ad ortus, & occasus syderum commonstratos attinet, multum vtiles nobis iis rationibus, vt tandem ad id nostra recurrat oratio, vnde digressi eramus, esse poterunt: Iuuabit tamen multùm in iudiciis: siquidem quid ex vario syderũ exortu, & occasu, cuiuscunque tandem sint generis, obseruari solẽt, docuit. Quod etiam apud nos obseruatur; vt cùm zona Orionis emergit, turbidus fit aër Fauonij flatu. Item cùm equus occidit matutino, Aquilo flat. Cùm Succulæ emergũt, pluuiæ ab Austro deuoluuntur. Cùm Arcturus occidit matutino, Fauonius spirat. Cùm Delphinus emergit, Auster flat, & id genus alia. Quæ reuera solent vt plurimùm in iis exortibus, & occasibus syderum euenire. Verùm quoniam instituti nostri non est, ea, quę ad Astrologiam spectant, in præsentiarum ita diligenter pertractare, sed solùm quid in iis sententiis Hippocrates sibi velit, ostendere, hæc silentio præteribo: si tamen illud priùs tradidero, non oportere solùm signorum, quę in Zodiaco sunt, habere rationem, sed aliarum quoque, quę sunt extra Zodiacum, puta Vrsæ maioris, & minoris, Cephei, Persei, Bootis, Orionis, Canis, Hydræ, Vergiliarum, Arcturi, Feræ, Coronæ, Argi, & huiusmodi nobiliorum, quarum quandoque meminẽre Medici, & potissimùm Hippocrates. Hippocrates igitur, vt tandem ad institutũ reuertamur, hoc loco cùm dicit eum annum saluberrimũ esse, in quo sunt signa secundùm rationé in astris oriẽtibus, & occidentibus, i. in ortu, & occasu syderum: sic enĩ satius esse duxi traducere: nõ vt Germanus interpres (*in astris orientalibus, & occidentalibus.*) signa hoc modo exposito intellexit. Dixit autem, secundùm rationem, quasi diceret, quòd quemuis vt plurimùm in horum ortu, & occasu fiant signa determinata, qualia sunt, quę docet Ptolomæus, tum secundo de iudiciis astrorum, tum in tabule iam dicta; nihilominus aliquando secus accidit, & tũc annus supremum illum salubritatis gradum non attingit.

Et in Autumno aquæ fiant.] In anno saluberrimo quatuor tempora non omnino suam seruare debent naturam, & temperaturam, vno excepto vere, quòd cùm salubre sit natura sua, & temperatum, suam seruabit naturam. Alia verò cùm omnino sint intemperata, si annus salubris esse debeat, debent in eo, in quo maximè excedunt, contemperari. Autumnus verò cùm frigidus sit, & siccus, frigiditas autem nec multa sit, quòd contemperetur æstatis caliditate, siccitatem habet maximè excedentem, tum quòd illi connaturalis sit, & propria,

pria, tum quòd ob æstatem præcedentem aucta est, & maiora potest afferre incommoda: Propterea huius habita ratione Hippocr. cùm autumnum ponit, q ratione sui aptus sit annum salubèrrimũ efficere, posthabita frigiditate, siccitatis habet rationem. Et dicit propterea: [*et in autumno aquæ fiant*] subdit: [*et hyems sit moderata, neque valdè tepens, neque id, quod opportunum est, frigore excedens.*] hyems quoque esto moderata: at subdit: [*neq; valdè tepens*, &c.] Est ne hoc loco superfluus? Minimè. Dixerat de excessu siccitatis Autumni attemperando pluuiis: cũ verò in humiditate hyems excedat, statuit debere esse moderatã, id est, in humiditate, & siccitate: non intelligit tñ moderatam, id est, temperatam, & medium tenẽtem inter humiditatem, & siccitatem, semper enĩ ad humiditatem vergere debet: at ea debet esse moderata, id est, modũ non excedens. Verùm quoniam actiuæ qualitates maximè faciunt ad anni salubritatem, subdit: *neque debere esse valdè tepentem.* Dixit εὔδιον, quod tepidamsum interpretatus, quicquid alij dixerint. Sed de hac re inferiùs longiori oratione, vbi interpretationis meæ rationẽ reddam, & refutabo aliorum opiniones.

Neq; quod opportunum est, frigore excedens. Sic enim interpretanda Hipp. verba esse duxi. Concedendum enim est, hyemem debere esse frigidam pro natura sua, sed ei frigiditas non est tanta, vt id, quod opportunũ est, id est, conuenientem naturæ suæ modum excedat.

Et vere aquæ veniant tempestiuè, & æstate.] Quomodo duo hæc tempora coniunxerit, in quorum altero sæpissime pluuiæ contingunt, in altero rarò admodum, non ita difficile est iudicare, si dixerimus tempestiuè diuerso modo applicari vtriq; tempori. Veri quidem, vt minùs, quàm sæpe solest, æstate autem aliquantò sæpius pluat. In illo id desiderat, ne humiditate nimis affluat; in alio autem, vt calor, & siccitas contemperẽtur. Non dixit autem debere esse moderata, vt in hyeme, quia ex oppositis temporibus id facilè quilibet colligere potest. Hæ igitur si simul iuncta fuerint, saluberrimum annum efficient, in quo & rarò morbi contingãt, & qui accidunt, celerem, & securum habeant exitum.

III.

Ἢν δὲ ὁ μὲν χειμὼν αὐχμηρὸς καὶ βόρειος γένηται, τὸ δὲ ἦρ ἔπομβρον καὶ νότιον, ἀνάγκη τὸ θέρος πυρετώδες γίνεσθαι, καὶ ὀφθαλμίας ἐμποιεῖν. ὁκόταν γὰρ τὸ πνῖγος ἐπιγένηται ἐξαίφνης, τῆς τε γῆς ὑγρῆς ἐούσης ὑπὸ τῶν ὄμβρων τῶν ἐαρινῶν, καὶ ὑπὸ τοῦ νότου, ἀνάγκη διπλόον τὸ καῦμα εἶναι, ἀπό τε τῆς γῆς διαβρόχου ἐούσης καὶ θερμῆς, καὶ ὑπὸ τοῦ ἡλίου καίοντος. τῶν τε κοιλιῶν μὴ ξυνεστηκυιῶν τοῖς ἀνθρώποις, μήτε τοῦ ἐγκεφάλου ἀνεξηρασμένου. οὐ γὰρ οἷόν τε τοῦ ἦρος τοιούτου ὄντος, μὴ οὐ πλαδᾶν τὸ σῶμα καὶ τὴν σάρκα, ὥστε τοὺς πυρετοὺς ἐπιπίπτειν ὀξυτάτους ἅπασιν. μάλιστα δὲ τοῖσι φλεγματίησι. τὰς δὲ δυσεντερίας εἰκός ἐστι γίνεσθαι, καὶ τῇσι γυναιξὶ, καὶ τοῖς εἴδεσι τοῖς ὑγροτάτοισι. καὶ ἢν μὲν ἐπὶ κυνὸς ἐπιτολῇ ὕδωρ ἐπιγένηται καὶ χειμὼν, καὶ οἱ ἐτησίαι πνεύσωσιν, ἐλπὶς παύσασθαι, καὶ τὸ μετόπωρον ὑγιηρὸν γενέσθαι. ἢν δὲ μὴ, κίνδυνος θανάτους τε γενέσθαι τοῖσι παιδίοισι καὶ τῇσι γυναιξίν. τοῖσι δὲ πρεσβύτῃσιν ἥκιστα. τούς τε περιγενομένους εἰς τεταρταίους ἀποτελευτᾶν. καὶ ἐκ τῶν τεταρταίων ἐς ὕδρωπας.

Si verò hyems quidem sicca, & borealis fuerit, ver autem pluuiosum, & australe, necesse est æstatem febriculosam fieri, & lippitudines aduenire. Cùm enim æstus repentè superueniat, & terra madida fuerit à vernalibus pluuijs, & ab Austro necesse est æstum duplicatum esse, & à terra irrigua, & calida, & à Sole adurente, ventribus in hominibus non constrictũ, neque exsiccato cerebro. Non enim fieri potest, tali vere existente, & corpus, & carnem non humore flaccidam esse: ita vt febres superueniant acutissimæ omnibus, maximè verò pituitosis. Et difficultates intestinorum, & mulieribus, & viris admodum humidis par est fieri. Et siquidem circa Canis exortum aqua superuenerit, & hyberna tempestas, & Etesiæ spirauerint, spes est cessationis, & quòd Autumnus salubris fiat. Sin minùs: periculum est, ne pueri moriantur: & mulieres, minimè verò seniores, & ne, qui euaserint, in quartanam desinant, & ex quartanis in hydropas.

Varia est hoc loco, & sanè nõ pauci momenti lectio: de qua antequam ad ea, quæ ad explanationem huius loci faciunt, accedam, aliquid dicendũ esse de more censui. Et primò in principio huius particulæ est particula, αὐχμηρὸς, cuius loco legit Zuingerus ξηρὸς, quę idem omnino significant; & propterea priorem retinui, quòd & communior sit, & Galeni lectioni magis similis, qui in Comment. 11. tertij Aphoris. priorem retinuit, dum totam ferè hanc sententiam ad verbum recenset. Secundò varia est etiam lectio in alia parte, vbi habet; ἀνάγκη τὸ θέρος πυρετώδες γίνεσθαι, καὶ ὀφθαλμίας ἐμποιεῖν. Zuingerus habet: κατὰ τὸ θέρος ὀφθαλμίαι γίνονται ξηραί, παισὶ δὲ καὶ γυναιξὶ πυρετοί. quod est: Ad æstatem ophthalmiæ generantur siccæ, pueris autem, & mulieribus febres. Quam lectionem habuisse etiam visus est Brasauolus in Comment. ad Aphorismum 11. 3. sect. quæ lectio magis similis esse videtur Aphorismo illi, vbi in fine habet: μάλιστα δὲ τῇσι γυναιξὶ, καὶ τοῖσιν ὑγρὰς ἔχουσι τὰς φύσιας. quod est: maximè autem mulieribus, & iis, qui humidas habent naturas. Gadaldinus autẽ ex suo antiquo libro manuscripto habet, vt cõmuniter impressi, & nos posuimus, sed addit, καὶ δυσεντερίας. quod etiã aphorismo iam citato maximè consonum videtur, in quo eandem addit particulam. Galenus autem in eo Commentario & ipse aliqua ex parte diuerso modo legit:

Sic enim habet: ... quod est: necesse est æstatem febriculosam esse, & ophthalmias generari. Ex quibus omnibus Galeni primum veniat in censum: ea meo iudicio recipienda est, quòd omnino similis sit sensui vulgari, & nostræ: quòd verò in duobus illis verbis dissideat, id in causa esse censeo, quòd qui sententiam auctoris refert, modò ea referat, quæ ponuntur ab auctore, si in verbo aliquo, quod idem aliud aliquod vnũ referat, dissideat, nihil refert. Prior autẽ quę Zuingeri est, & à Brasauolo prius recitatur, cùm neque similis sit aliis, atque potissimùm aduersetur illi, quæ posita est à Galeno, omnino reiicienda est. Quinimò diminuta est, quod enim vniuersaliter omnibus febriculosam esse æstatem scribit Hippocrates tũ hoc loco, tum tertio Aphorismorum; quamuis magis fœminis, & pituitosis, & humidis infensam esse scribat, hæc lectio ad fœminas solùm, & pueros reducit: quodque vtrobique Hippocrates vniuersaliter de omni genere ophthalmiæ docuit, ad siccas solùm illa reducit. Quòd si videatur magis consona verbis Hippocratis in Aphorismo vndecimo, vbi in illa constitutione maximè mulieres, & q humida natura prædiri sunt, laborate iis morbis docuit, concedendum est: Sed si quis legat ea, quæ in progressu huius particulæ scribit Hippocrates, cognoscet, quod si ea lectio adesset in principio, vtique superfluitatis arguendus esset, quũ sine ratione bis idem in eodem loco repeteret. Scribit enim [illegible] bies acutissim is in omnes inuere, putissimum autem in pituitosos. Mox subd[illegible] [illegible] ylenterias par est fieri, & mulieribus, & [illegible] ris humidioribus. Quod igitur succinctè in Ap[illegible] o itimo [illegible] lle [illegible] it, hoc loco longiori oratione, [illegible] magis d[illegible] [illegible] ctè scribit: quò etiam sit, vt non ita pro[illegible] em Gadaldini lectionem: n im lectio [illegible] vtique addenda esset: Sed quoniam in[illegible] us distinctè eam addit, & in quibus potissimum magis eueniat; propter [illegible] à ne superfluus si[illegible] sæpiùs eodem loco eadem repeten[illegible], non est addenda. Quod etiam ex lectione Galeni in Commentario citato tertiæ sectionis quilibet colligere potest. Tertiò obseruandum est, doctissimum Zuingerum ex suo libro ducere verba illa esse superflua, ... quamuis reuera in contextu ea recipiat, in margine enim illud adnotat. Quamuis enim forasse sine ea serie verborum posset optimũ habere [illegible]sum, tamen cùm illis verbis reddat rationem eorum, quæ dicta sunt proximè, non esse superflua dicemus, maximè cùm Galenus ea legat loco citato. Est præterea obseruandum in sequentibus verbis: ... Gelenum in Commentario citato tertij Aphorismi loco dictionis [illegible], quod madescere, & humectari significat, legere ..., quod colliquari significat, & in manuscriptis aliquibus loco illius dictionis reperitur ... quam vocẽ cùm interpretatus Galenus in explanatione linguarũ, humectatur, & putrescit, explicat: vnde lib. de Morbo sacro dicebat Hippocrates: Necesse est ab Austris quidem solui, ac ..., humectari cerebrum, & venas laxiores reddi: impressi codices habent .... Ego vt hac in re liberè dicam, quid sentiam, vt vtranque lectionem admitti posse concedam, eam tamen, quam posuimus, quęq; & impressorum librorum omnium, tum & manuscriptorum, quos videre licuit, magis recipiendam censeo, vtpote Hippocrati magis familiarem. Verbom enim ..., quod significat superfluo humore madeo, à nomine ... deriuatur. Quæ dictio maximè familiaris est Hippocrati, & humiditatem superuacaneam significat: vt docet Galenus secundò in primũ de Morb. vulgar. com. II. vbi habet Hippocrates ... ibi Galenus scribit Hippocratem ... nominare solere ..., veluti puris, ... vtitur & libro de Glandulis, ... & secũdo de Ratione vict. in acut. 34. ... quod est: Dilutum vinum (de hoc enim erat sermo) humiditatem excedentem in ventre superiori facere, flatus autem in inferiori: quod explicãs Galenus, dicebat ... humiditatem superfluam, & infirmitatem significare. Quod manifestiùs docuit Comment. 32. tertij de Ratione vict. in acut. cùm explicans ..., habet hæc verba: ... quod est: Eam, quæ supra id, quod secundùm naturã est, innascitur partibus, humiditatẽ, ... Hippocratem nominare, neminem ex nobis præterit, &c. quę cùm ita sint, communem hanc lectionem potiùs recipiendam censui, quòd hoc loco optimũ habeat sensum, vt suo loco ostendemus. Et quãuis Galenus aliter legat, dici potest, aut eo loco deprauatum esse librum: cùm varia lectio etiam in eo loco, vt dixi, reperiatur: & vbi legitur ..., siue ..., sunt enim etiam libri, qui ita habent, reponi debebit ..., aut certè cùm referat sententiam Hippocr. modò sensum referat, non ita fuisse omnibus verbis addictum. Quod manifestũ est ex sequẽti serie verborũ, vbi in vulgatis codicibus ita legitur: ... ipse loco ... legit ... quood est, & viris humidioribus. Quam etiam lectionem si quis amplexari voluerit, nũ repugnarem: cùm & doctissimus Zuingerus ita legat. Sed iam tempus est, vt Hippoc. sententiam explicemus. Post saluberrimam anni constitutionem propositã, aggreditur Hippoc. tradere eas, quæ sunt insalubres, quæ tamen non omnino ita excedentes sunt, vt Medicus iis cognitis, si quãdo accidãt, & futuros morbos cognoscere, & corpora eb

iisdem

iisdem præseruare possit. Primò auté eam constitutioné proponit, in qua hyems sicca, & Borealis, ver autem pluuiosum, & Australe fuerit: quemadmodum & tertio Aphoris. 11. vbi hanc eandem constitutionem primo loco proponit, & eosdem enumerat morbos ex ea prouenientes: multò autem accuratius hoc loco constitutionem hanc posuit, cum eorum, quæ in Aphoris. ita simpliciter proposita sunt, reddat rationem, & ita diligenter, vt multum laboris nobis eam sententiam exponentibus adimat.

Si hyems quidem sicca, & borealis fuerit. Frigidam, & humidam esse hyemé oportuerat, nunc siccam factam audimus, altera tantùm qualitate à sibi proprio, & naturali temperaméto [illegible]m: idq; in melius: siccitates enim humiditatibus salubriorea esse docebat Hippocrates tertio Aphorism. 15. quocirca in ea constitutione leuibus tantummodò morbis quibusdam tentabuntur ad hęc parata corpora, iisque breuibus, quòd breuitas morborũ siccitates insequi [illegible] consueuerit vt plurimum: Propterea de morbis in ea constitutione exorientibus nullam facit mentionem.

Ver autem pluuiosum, & australe. Sicuti hyemis alterius tantùm qualitatis in contrarium, idq; in melius facta est mutatio; ita in vere vtriusq; qualitatibus factum esse excessum in hac temporum constitutione docet. Cùm enim tempe ratum in vtrisque qualitatibus actiuis, & passiuis esse deberet, soleat autem in calore, & humiditate tantisper excedere, quæ morbos putredinosos inducere solent, non mirum, si mul to in iis facto excessu, maximi illi morbi, & acu ti producantur. Propterea subdit, *necesse est æsta tem febriculosam fieri, & ophthalmias aduenire.* Galenus in Comment. 11. citati tertij Aphoris. dicit, visum esse hac dictione necesse est Hippocraté, vt nobis insinuaret, sé nó motum experientia, & obseruationibus, sed vera, & solida ratione hæc docuisse, & hac in re disputat aduersus Quintum. Verum non ratione solùm demonstrationum id necesse esse sequi fatendum est, sed cum ratione & propria experimenta, & lon gas etiam prædecessorum suorum obseruationes adiunxisse: quas cùm verissimas inuenerit, & rationi consentaneas, au[illegible]s est dictionem illam apponere. In æstatem autem huiusmodi morbos docet solere protrahi, quòd quamuis ratione intemperatæ cóstitutionis veris etiam in vere debuissent accidere, calore nimirum, & humore præter naturam præualente: nihilominus cùm contrarię prorsus præcedentis hyemis qualitates ante [illegible]fuissent, quibus calidior, & humidior veris [illegible]tutio quasi repressa fuit, morbos etiam sibi proprios statim hæc producere non potuit; dum manente adhuc hyemantis hyemis frigore, & siccitate, caloris humorisque superuenientis pars absumitur; antequam ad summum trahere in qualitates suas ambientem nos aërem potuerint, itaque dilata est noxa in æstatem sequentem vsque: & hæc est causa, quam Philotheus in expositione 11. Aphorismi tertiæ sectionis tradidit. Sic enim reddens huius rei rationem, cur nimirum hi morbi vere non fiant, sed in æstatem protrahantur: Respondet tunc, vere [illegible]icet, corpora ad moderantiam magis conuenire, in æstate autem ob nimiam caliditatem humores statim ad putredinem verti. Qui vero morbi sequantur, docet, cùm dicit, *[illegible] esse febriculosam*, febres hic putridas intelligit, non diarias, aut hecticas, vt ex iis, quæ in reddenda causa huius rei tradit, colligere possumus [illegible] manifeste etiam docet citato loco Hippocrates, ipsum explicans, vbi proposita tali constitutione in æstate sequi scri bit febres acutissimas.

Et lippitudines aduenire. Per lippitudines, non quas propriè [illegible] Greci appellant, qui sunt tum[illegible]es oculorum potissimum albugineç par tis, in quibus ruborem solet ea pars contrahe[illegible] [illegible] ratione abundé [illegible]: sed omnes fere oculorũ morbos, qui e[illegible] proueniunt. Non sunt autem à [illegible] quæ eidæ aliunde [illegible] affectuum causæ quam ex Hippocrate hoc loco, cum dicit, [illegible] Aristoteles (si modo illius fuerint libri [illegible]) primo Problematum problem. 8. [illegible] appo[illegible] sententiam explicet, & quasi exhibat; vnde [illegible] eam retulerim integram, m[illegible] quæ ab Hippoc. hoc loco di cuntur, [illegible] crediderim. Quærit enim cur si ven[illegible] hy[illegible] occup[illegible], ver autem [illegible] pluuiæ que exhibuerit, æstas proxima [illegible] febribu[illegible] lippitudin[illegible] Respondet Ari q, æstas corp[illegible] multum humoris [illegible] continentia excipit, & terra madet, & habitanti locus perhumidus est, talisque redditur, qualis q morbosus perpetuo constat? Primum itaque lippitudines [illegible] beunt, cùm excrementa humoris liquari in capite incipiũt: dein febres. Ita enim intelligendum est, vt rea eadem [illegible] calidissima, & frigidissima [illegible] vel lapis: fermet etent [illegible] ciùs. Frigidior, vt aer [illegible] calorem pleniorem suscipiens ex [illegible] pora pari ratione, anxietate, æstuq; vex[illegible] Æstus vero in corpore febris, [illegible] do est. Denique mutatio [illegible] æque pe[illegible] tit corpus, cum scilicet cælo [illegible] madens æstas proueniat sicca, & calida o[illegible] etiam au[illegible] si pluuia æstate accesserit. [illegible] nim vis Solis materiam la[illegible] obtinet, quá te uescere tum in corporib. tum in terra, tum etiá in aëre faciat. Qua de causa febres oriuntur, & lippitudines. Hæc Aristoteles ab Hippocrate hoc loco omnia mutuatus, sed in illo clarius hanc causam explicans. Asserit igitur Hippocrates causam horum affectu[illegible] in æstate præcessis huiusmodi constitutionibus hyemis & veris esse, quod repenté æstus aduenit. per æstum

auté calidam, & siccam æstatis temperaturam intelligit.

Repente.) Dictio hæc in vniuersum causam effectuum præter naturam demonstrat. Siquidem repentinas mutationes non sustinet natura: quinimò si introductæ postea qualitates meliorem constitutionem, & statum inducerent, si repentè introductæ fuerint, magis nocent, quàm quæ peiorem temporis constitutionem faciant, si paulatim introducantur. Æstus autem est causa efficiens particularis horum affectuum. Philotheus in expositione citati Aphorismi tertiæ sectionis febrium ex hac constitutione proueniencium originem in hanc ferè solam efficientem causam & ipse refert, accedente tamen materia his verbis, sic ex Græco translatis: Propter hoc autem, quòd hyems eximiè frigida fuit, potentias eximia illa frigiditate destruxit, & malorum humorum abundantiam ab autumno congestam inclusit. Postea ver adueniens calidum, & humidum existens materiæ fusionem facit, & humida corpora sua humiditate reddit: deinde æstas superueniens, secundum eius naturam calida & sicca, propriam materiam [illegible] in corruptionem conuertit. Co[illegible] [illegible]ur ad cor veniente, febres acutæ fiunt.

Et terra humida [illegible] *&c.*) Cùm non quicunque æstus aptus sit hos affectus inducere, sed qui talem gradum assecutus sit, explicat hoc loco, qu[illegible] sit, cùm hos produ[illegible] [illegible] [illegible]: & inquit, vehementem esse, & putredinali affectibus gignendis idoneum. [illegible] autem fit, tum ratione caloris [illegible] [illegible] [illegible], qui tunc maximam caliditatem [illegible] radio[illegible] [illegible] directionem, & motum vi[illegible] [illegible] [illegible]ducit: tum ratione subie[illegible] in quo [illegible] [illegible] ca[illegible]ditas [illegible] [illegible] [illegible] est [illegible] amb[illegible]ens, & terra. C[illegible]m enim o[illegible] pr[illegible] [illegible] verno tempore pluuias, & ab Austros [illegible] [illegible]perfl[illegible]n[illegible]rès, c[illegible]orem, h[illegible]midioremque substantiam illa assecuta sint, di[illegible] calor illis adhærer, & promptius validiu[illegible] [illegible] operatur, & putredinosos ex acri materia genitos morbos faciliùs excitat.

Ventri[illegible] in hominibus non constrictis.) Hæc particula [illegible] [illegible] subiectum recipiens, nimirum hominem. Ve[illegible] [illegible] [illegible] sunt, quæ ratione subie[illegible] con[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] affe[illegible] bus: [illegible]ocus reci[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] vnde generantur. Particula hæc non materiam, sed potius locum patientem respicit.

K[illegible] ventribus.) Superiùs do[illegible] [illegible]mus apud Hippocratem vocem h[illegible] plura [illegible]gni[illegible]are, hoc loco censeo ipse non solùm pro [illegible] [illegible] [illegible]nsetio[illegible] intestina, & ven[illegible] [illegible]iculum [illegible] [illegible] [illegible]ptum esse, sed etiam pro v[illegible]nis, & meatibus corporis: vult enim nobi[illegible] [illegible] par[illegible] [illegible] tradere, qua ratione in æ[illegible]te p[illegible] [illegible] [illegible]modi præcoces constitutiones, febres, & ophthalmiæ generentur, tum & fortasse dysenteriæ, de quibus postea. Et dicit ventres nondum solidiores redditos: vtitur enim dictione [illegible], qua voce vtitur libro secundo Prognosticorum, particula decima tertia, & constrictum significat, solidioremve. Hoc tamen loco siccos libenter interpretarer, cùm solidiores res etiam ficciores reddantur: sic enim optima esset ratio, cur putredines, & ii affectus putredinosi, & alij ex defluxu materiæ pendentes in æstate calida, & sicca producantur; quòd nempe humiditas superflua in omnibus cauitatibus recepta, & imbibita, nondum ex iis partibus sit expulsa, aut exsiccata. Aut si traducamus, & intelligamusque, constrictos, referemus tum ad ambitum corporis aërem calidum, humidum, & putredinosum nimis admittentem, & ad cauitates internas nimis laxas, facileque in sese calidas omnes, & acres materias recipientes, ex quibus & ophthalmiæ, si superiores repletę sint, & dysenteriæ, si inferiores.

Neque cerebro exsiccato.) Cùm cerebrum natura sua humidum sit, vere humido, & pluuioso superueniente, magis humescit, & humiditatibus repletur: calore mox æstatis superueniente illæ liquantur, vnde ophthalmiæ excitantur. Affectiones verò eæ potissimùm oculis accidunt, tum quòd humidi & ipsi natura sunt, humiditatibusque vndequaque referti, tum quòd ambienti maximè exponuntur, & debiliores redduntur.

Non enim fieri potest tali vere existente, &c.) Hic materiam, vnde morbi huiusmodi generantur respicit. Cùm enim ver adeò humidum, & pl[illegible] [illegible]um extiterit, corpus humanum & humidum, & molle, excrementitiisque pluribus scat[illegible] e[illegible] [illegible]m fuisse oportet: vnde febribus su[illegible] m[illegible] strata est materia, & iis quidem acutissimis sæpe[illegible] merò, maximè verò pituitosis, & iis qui humida temperie præditi sint. Tunc enim materiam accendi, & putrescere maximè aptam nactus calor, viris, qui pituita ex natura multa referti sunt, aut ex accidenti, muliebri autem sexui ferè in vniuersum ob pituitosam, humore affluentem, & excremêtitiam eorum naturam, febres acutas ex humorum putredine ortas efficiet.

Et difficultates intestinorum, & mulieribus, & iis, qui humidiores sunt fieri par est.) Est aliud genus morbi, de quo etiam Aphorismo citato, quod ab iisdem causis recitatis habet occasionem. Eadem enim humorum putredo à natura propulsa, tanquam infesta, deque corporis ambitu plerumque toto per intestina acta, tormina d[illegible]que, & intestinorum exulcerationes [illegible]as affert, paulò quidem putrescens minus, etiam minus periculosas, sumpta autem maiori putredine etiam depascentes, & etiam non sine febre. Dubitat hic Alemanua loci huius ex-

ius expositor, quomodo in tali constitutione æstate febres acutæ fiant, quum supra dictum sit, morbos acutos illis non accidere, quibus alui sunt liquidæ. Respondet, febres has non esse exquisitè acutas, sed ex decidentia, quæ ad quadraginta dies extenduntur. Verum dubitatio hæc est extra propositum: neque enim coniunctè eosdem & febribus, & alui profluuio tentari scribit, sed si retineatur materia, fit febris: Si verò ad intestina transmittatur, fiunt tormina. Neque de simplici alui profluuio loquitur, sed de dysenteria, in qua ob intestinorum exulcerationem, & maximam materiæ acrimoniam, febres excitari possunt. Quum verò superiùs tradiderit, eos, qui aluum fluidam habent, & aliquando diarrhœa tentantur, acutis febribus raro corripi, de iis sermonem habet, qui aliquando in suauitate diarrhœa laborant, qua quum materia vt plurimum biliosa euacuetur, raro acutis morbis tentantur. Magis verò absurdum est, quod in responsione assumit, Hippocratem de veris acutis minime locutum esse, sed de acutis ex decidentia: quum alioqui seipsum hoc loco explicet Hippocrates, loqui nimirum de acutis [illegible], cùm & hac dictione vtatur, hi verò in quarta, aut ad summum septima terminantur, vt docet Galenus prima Sectione Aphorismorum. Pituitosis autem, & humidioribus naturis, & consequenter magis mulieribus has euenire d[illegible] Hippocrates. Galenus autem tertia Aphor[illegible] commentario tt. argumento à minori ad maius docet. Si enim totam constitutionem, tanquã nostra corpora putrefacientem damnauit, inquit Galenus, liquet, quòd putredo magis humidis adueniet corporibus: ipsum enim humidũ, quod in nostris putret corporibus, quædam materia est caloris actioni maximè subiecta: humiditas autem corporis, quatenus exiccari corpora nostra non finit, humorum in corpore efficit superabundantiam. & eatenus adiuuat vim putrefacientem. Nihil itaque mirum, si in talibus constitutionibus plus offenduntur naturæ humidiores. Proptereà ait febres pituitosis magis aduenire: hi siquidem necessariò sunt humidiores: Et hæc per totam æstatem contingent, nisi fiat circa Canis exortum permutatio; de qua ipse mox agens habet sequentia verba: *Et siquidem circa canis exortum aqua superuenerit, & hyberna tempestas, &c.* Hi, quos diximus, affectus, per totam æstatem perdurare solent, nisi circa Canis exortum accedat aqua, & hyberna tempestas, & Etesiæ spirauerint; est enim tunc spes quietis, & salubritatis, tum in reliqua parte æstatis, tum in autumno. Obseruandum autem hoc loco diligenter aliquid circa nomina aliqua tam Græca, quàm Latina ad hunc locum attinentia, sine qua re, & nullo modo locus hic commodè intelligi potest, atque cum [illegible] quis ferè omnibus ea nomina inter se non distinguentes à vero [illegible]opo canicularium dierum aberramus. In Cœlo duplex est configuratio Canis nomine insignita: quarum vna Canis minor dicitur aliquibus, [illegible] Græcis, Ciceroni ante canis: minutulus Canis Hygino, & Vitruuio dictus. Et Canis maior altera, [illegible] Græcis dicta, in cuius ore stella alia Græcis [illegible], Chaldæis, & Mauritanis Allahabor, & Alcher, Latinis Canicula dicta reperitur, quæ sæpenumero apud recentiores Latinos confusionem peperit; putantes idem esse caniculam, & canem minorem: Quum Canicula [illegible] dicatur, Canis autem minor alia omnino configuratio, [illegible] apud Græcos sit: ex quo etiam alius error promanauit, vt caniculam, siue Sirium antecanem nominarunt. Vnde in Latinis intelligendis scriptoribus, puta Plinio, & Columella de ortu, & occasu horum syderum suo tempore intelligendis, maxime aberrarunt, & grauissimis etiam viris, Astrologiæ tamen non omnino peritis, etiam errandi occasionem dedere. Neque enim verum est, Sirium, Latinis Caniculam dictum, esse Canem minorem: Certum enim est, vocem hanc [illegible] antecanem significare; quòd ortum Canis maioris soleat præcedere. Atqui Sirius non præcedit ortum Canis maioris: sed in Cane maiori primò pes dexter, & sinister apparent per duos, aut tres dies ante ortum Sirij, id est, Caniculæ, vnde post Canem potiùs dici deberet. Verùm quum in Procyone duæ potissimùm stellæ considerentur, vna est in capite, altera in lateribus: & hæc, quæ in lateribus splendet, maiori splendore fulgeat, & tamen pòst exoriatur per aliquot dies, quam quæ in capite, etiamsi reuera procyon, siue Canis minor tunc exoriatur, quum hæc apparere incipit, sæpenumero tamen etiam dicitur Procyon exoriri, quum splendens, & [illegible] in lateribus [illegible] stens exoritur: quem [illegible] maiori, licet eiu[illegible] pedibus anterioribus sunt [illegible] Sirium ve, per quatuor, aut quinque die[illegible] oriantur, exoriri tamen [illegible] numero [illegible] dicitur Canis maior, quum Sirius apparere incipit. Qua ratione etiam [illegible] vt sæpenumero antiqui, quum de ortu, [illegible] aliud duorum horum syderum scribunt, [illegible] nec satis inter se constantes videantur. Plinius, vt ex Latinis eum solùm recenseam, & quid ex [illegible] colligere potui, breuissime [illegible], quum crediderit apud Latinos [illegible] nomen habere, quum [illegible] ni sit secundo de Natura D[illegible] nomina confundit, & quod de [illegible] vera canicula antiqui dixerint, [illegible] ad Procyonem refert, vt videre [illegible] caput vigesimumoctauum libri [illegible]

mox quod de fulgida Procyonis in lateribus existente: cuius exortum dicebamus aliquando attribui toti imagini Canis minoris, ipse ad Caniculam Sirium Græcis dictam refert. Libro enim secundo de Natur. histor. quadragesimo septimo dicit: Ardentissimo autem æstatis tempore exoritur Caniculæ sidus, Sole primam Leonis partem ingrediente, qui dies est decimusquintus, ante Calend. Augusti: quod confirmatur ab eodem libro decimooctauo, capite vigesimooctauo, vbi Leonis primam partem ingresso Sole Canem exoriri scribit. Hoc fit, inquit, post Solstitium vigesimotertio, quod concurrit cum die decimoquinto Calendas Augusti. Solstitium enim fiebat in octaua parte Cancri existente Sole, id est, octauo Calendas Iulii tempore Plinii, vt ipse ibidem docet, a quo ad decimumquintu Calend. August. intercedunt dies viginti tres. Solet autem fulgida in lateribus Canis minoris exoriri Sole primam Leonis partem occupante. In quem errorem minime incidit Columel. libro duodecimo, quum Procyonem Idibus Iuliis mane exoriri scribit. Postea inquit, septimo Calendas Augusti Canicula apparet, estque caligo æstuola. Vnde ex Manilius, quum de exortu Procyonis differens habet hanc sententiam:

At Procyon oriens, [illegible] tum [illegible] ima Cancri
Septimaq; ex vndis pars [illegible] se emergit in astra.

Cùm verò de Canis maioris, & Caniculæ exortu sermonem habet, in hāc sententiā scribit:

Cum verò in vastos surgit Nemeeus hiatus,
Exoriturq; Canis, latratq; Canicula flammans:
Et rabit, igne suo geminans incendia Solis.

Verùm quum exortus, & occasus syderum ob ea, [illegible] in superiori commentario diximus, in [illegible] do [illegible] hominum temporibus [illegible] memoria maiorem [illegible] ob Lib[illegible] Gregorii [illegible]. Pontifici Maximi [illegible], operæpretium facturus ex [illegible] in præsentia quid de ortu Canis [illegible] maioris & minoris, tum & Caniculæ [illegible] Canis minor [illegible] Græcis dictus, Anticanis Ciceroni [illegible] has habet stellas, alteram in capite [illegible] am in lateribus, incipit ori[illegible] Sole vi[illegible] mam sextam pars [illegible] dis verò [illegible] is in decimumque [illegible] Calen. Augusti, qui dies est decimus [illegible] rò in lateribus Canis minoris, a qua quando [illegible] e ortus totius [illegible] minatur [illegible] exor[illegible] Sole primam Leonis [illegible] ante. [illegible] verò h[illegible] n[illegible] Calendas Augusti, quæ [illegible] Iulij. Canis maioris [illegible] s, [illegible] incipit tamen [illegible] p[illegible] tro Sole [illegible] Leonis, quod acci-

dit sexto Calendas Augusti, quæ dies est vigesimaseptima Iulij. Canicula autem, quæ maximè fulgens est in ore Canis maioris, a qua dies Caniculares dicuntur, exoritur, Sole sextam Leonis partem occupante, quod fit tertio Calendas Augusti, trigesima nimirum Iulij die. Quum autem hic Hippocrates dicat, circa Canis exortum, explicandus est per ipsum Galenum libro de Puero epileptico, capite octauo, qui quadraginta dies Caniculares facit, viginti quidem ante Caniculæ exortum, & totidem pòst: vt etiam docet Philotheus in Commentariis Aphorismorum. Quocirca cùm inquit, circa Canis exortum, quadraginta fortasse hos dies intelligit: aut certè partem caliditatem, quæ est vicinior Caniculæ orienti, puta per aliquot dies ante, & per aliquot pòst, & hoc potissimum in pluuia. Nam de Etesiis circa Canis exortum intelligere oportet, ferè statim post Caniculæ exortum, vt mox ostendemus. Spectandum igitur, morbos præscriptos cessaturos, si circa Canis exortum aqua decidat, & hyberna tempestas fuerit. Mirari mihi hoc loco subit Alemani oscitantiam, qui per hybernam tempestatem eam intelligit, in qua fit grando & procella. Quasi hæ tempestates potius æstiuæ non sint. Intelligit igitur temporis constitutionem, in qua, quæcunque tandem causa fuerit, frigidior aër redditur potissimum ab aquis decidentibus, & ventis frigidis, maxime autem Etesiis.

Et Etesiæ [illegible]. Qui venti tali nomine insigniantur, quoque tempore perflent, & cuius tandem sint qualitatis, docuit elegantissime Plinius, quamuis non omnino tempora ab eo posita cum nostris conueniant. Nam libro secundo capite quadragesimoseptimo; ardentissimo autem, inquit, æstatis tempore exoritur Caniculæ sidus, Sole primam partem Leonis ingrediente, qui dies 15. ante Augustas Calendas est. Huius exortum diebus octo fermè Aquilones antecedunt, Prodromos appellant. Post biduum autem exortus iidem Aquilones cōstantius perflant, diebus quadraginta, quos Etesias vocant. Molliri iis creditur Solis vapor geminatus ardore syderis, nec vlli ventorum magis stati sunt. Et capite vigesimooctauo, [illegible] non animaduertens eam, quam diximus, differentiam inter Procyonem, Canem maiorem, & Caniculam Sirium dictam, obseruationesque Ægyptiorum sequens hanc habet sententiam: 16. Calendas Augusti Ægypti Procyon exoritur. Dein postridie [illegible] confessum inter omnes sydus [illegible] dicans, quod Canis ortum vocamus, Sole [illegible] partem Leonis ingresso. Hoc fit post solstitium die vigesimotertio; sentiunt id [illegible], & terræ, multæ verò & feræ, vt suis locis [illegible] mus. Neque est ei minor veneratio, quam descriptis in Deos stellis. Accenditque Solem, & magnā æstus obtinet causam. 18. Cal. Augusti,

Augusti, Aquila occidit matutino, Etesiarúmque flatus Prodromi incipiunt, quod Cæsar decimo Calendas sentire Italiam existimauit. Libro autem 18. capite 31. desinere scribit quinto Calend. Septembris. Quapropter Aristoteles etiam secundo Meteorolog. capite 26. post Solstitium, & Canis exortum, quia tunc liquātur niues, spirare scribit Etesias, idq; interdiu; noctu verò desistere, quādo nimirum sidus sub terra iacet. Galenus etiam tertio in tertium de Morbis vulgaribus, Commentario sexto, habet hæc verba. Hoc fit, vbi neque Prodromi (quos vocant) flant, neque qui hos sequuntur, quos Etesias appellant, qui quadraginta diebus spirant. Dirimit eos Canis exortus. Nunc quid à nobis obseruatum sit de horum ventorum perflatu, & eorum tempore, breuiter dicamus. Prodromi venti sunt Aquilonares, non minùs, quàm Etesiæ, sed nomine hoc communi appellantur, quasi præcursores, quòd ante Canis maioris, siue Caniculæ exortum, vt plurimum per octo dies soleant persentiri. Quum verò Plinius solùm ab aliis colligat, & nullo adhibito iudicio in historiæ libros congerat, effectum est, vt & sibi contradicat, & impossibilia tradat. Si enim per octo dies Prodromi præcedunt ortum Caniculæ, Sirij, & Sirius per ipsum, vt ostensum est, exoritur, Sole primam Leonis partem occupante, id est, vt ipse explicat, quintodecimo Calend. Augusti, quomodo decimooctauo Calend. Augusti perflare incipient Prodromi, quòd à die decimoquinto Calendas Augusti ad decimumoctauum Calend. Augusti non nisi tres dies intercedant? Quòd si quæ de obseruatione Cæsaris dicit, vera essent, nullo modo Prodromi Caniculam præcederent: sicque Prodromi non essent Prodromi. Si enim tempore Cæsaris Sol primam Leonis partem ingreditur decimoquinto Calend. Augusti, quo tempore per ipsum Canicula exoritur, & Prodromi decimo Calend. Augusti perflare incipiunt, per quinque dies potiùs Caniculæ exortum sequentur. Accedit, quòd maiorem pariat admirationem, quod in Iulij mensis dierum enumeratione ponit 18. Calend. Augusti: cùm enim Iulius sex Idus habeat, nullus aderit dies, in quo dici possit 18. Calend. Augusti. Prima enim dies Calendis Iuliis debetur: sequuntur sex dies totidem Nonis attributi. Mox octo alij Idibus totidem accommodari, ita vt quindecim dies iam sint compræhensi. Die sextadecima incipimus enumerare 17. Calend. Augusti. Prodromi igitur venti erunt, qui vt plurimum Canis maioris exortum, aut Caniculæ præcedere solent: qua etiam ratione tali nomine insigniuntur. Præcedunt autem vt plurimum per octo dies, quo fiet, vt cùm Canem maiorem dixerimus exoriri 6. Calend. Augusti, Prodromi flare incipient circa diem quartamdecimam ante Calendas Augusti. Etesiæ etiam cùm annui venti sint, & anniuersarij dicti, hac enim ratione ΕΤΗΣΙΑΙ dicuntur: Et biduo post Canis exortum perflare incipiunt circa tertium ante Calendas Augusti. Quamuis autem anniuersarij sint, & quotannis statuto tempore perflantes, non est tamen censendum, ita perpetuos esse, vt nunquam postponant, aut tamdiu semper perseuerent. Si igitur diebus canicularibus imbres decidant, & ab exortu Canis Etesiæ spirauerint, sperandum est morbos in æstate iam affligentes cessaturos. Nec certè ab re; nam quum Boreales sint, vt optime nos docuit Aristoteles secundo Meteorolog. loco citato, & Galenus passim, vbi de Etesiis loquitur; potissimum autem tertio in tertium de Morbis vulgaribus, Textu 71. quum frigidi, & sicci sint, & saluberrimi, omnem putredinis, & humiditatis superfluæ occasionem auferent. Sua enim siccitate superfluos humores consument, & sua frigiditate caloris incendium compescent. Si prætereà fiant pluuiæ, calor excedens contemperabitur, siccitatemque Sirij naturæ limites excedentem minuent. Vnde sublata putredinis occasione cessabunt morbi iam dicti; & Autumnus suam seruans naturam salubris erit. Illud verò obseruandum est, quòd, vt Etesiæ possint hac in re aliquam auferre morborum occasionem, debent validè spirare. Neque enim satis est, eas perflare debiliter; potiùs enim adiuuarent morbosam constitutionem. Docuit enim Hippocrates tertia Sectione tertij libri Epidemiorum constitutionem illam pestilentem fuisse, quum æstas serena, squallida, & magno æstu fuerit; Etesiæ autem debiliter spirauerint: vnde Galenus Commētario septuagesimoprimo dicebat meritò talem morborum prouentum fuisse, quoniā Etesiæ raró, & debiliter spirauerint. Nam, inquit, si validè spirassent, morbosum statum omnem humanum abstulissent. Quamuis autem Boreales eos auctoritate tantorum virorum dixerimus, id tamen intelligendum est, quòd Septentrionales venti præualeant in ipsis Etesiis: quum tamen admixtionem etiam aliorum ventorum sæpe habeant. Docet hoc auctor libri de Mundo Aristotel. attributi, qui de Etesiis ita scribit: τῶν ἀνέμων οἱ μὲν χειμερινοί, ὥσπερ οἱ νότοι, δυναστεύουσιν. οἱ δὲ θερινοί, ὡς οἱ ἐτησίαι λεγόμενοι, μίξιν ἔχοντες τῶν τε ἀπὸ τῆς ἄρκτου φερομένων, καὶ ζεφύρων. quod est: Ex ventis quidam hyeme pollent, vt Austri: quidam æstate, vt quæ dicuntur Etesiæ, mixtionem habentes tum eorum ventorum, qui à Septentrionibus feruntur, & Fauoniis. Vbi tamen Budæus interpretatur non Fauoniorum, sed Subsolanorum, fortasse Strabonem secutus, qui tertio libro; Venti inquit, spirant, [illegible] qui & Etesiæ dicuntur. At enim Strabo, & ipse Boreales ventos facit Etesias, vt videre licet libro 15. vbi inquit, de Susiana regione loquens; reliqua ventis carent, tunc præcipuè, cùm reliquam terram exustam Etesiæ refrigerant,

Et lib. 2. cùm inquit: Quòd si (vt Eratosthenes ait) plaga Æquatori subiecta est temperata (in quod etiam Polybius consentit) &, quod ille addit: cùm sit sublimissima, imbribus rigatur, quando flantibus Etesiis nubes Septentrionales plurimæ eminentibus locis appelluntur. Hinc etiam Gellius lib. 2. cap. 22. dicebat: Addidissemq; eos, qui Etesiæ, & Prodromi appellantur, qui certo anni tempore, ex alia, atq; alia cœli parte spirant. Nisi fortasse satius sit dicere reuera Etesias ventos esse determinato tempore perflantes, & simpliciter à partibus ad Septentrionem positis profluentes, vt Aristot. & Galeno, Plinio, quin & Straboni placuit. Si verò auctor lib. de Mundo secus censuit, illius auctoritatem non multum moramur, cùm nec Aristot. sit libat ille, vt & phrasis docet, & sententiæ quàmplures doctrinæ Aristot. repugnantea ostendnnt. Gellij auctoritatem neq; hac in re multifacio. Quòd si quis dixerit, Strabonem, qui Boreales Etesias aliquando fecit, aliàs Euros constituere, vt patet lib. 3. illi ego satisfacerem, rectè verba Strabonis explicando. Verba sunt: ἴδιον δέ τι φησὶ Ποσειδώνιος τηρῆσαι κατὰ τὸν ἀνάπλουν, τὸν ἐκ τῆς Ἰβηρίας. ὅτι οἱ Εὖροι κατὰ ἐκεῖνο τὸ πέλαγος ἕως τοῦ Σαρδώου κόλπου πνέοιεν ἐτησίαι. quod est, Xylandro interprete: Peculiare autem aliquid se ex nauigatione ab Hispania obseruasse scribit Posidonius, nimirum in illo mari vsq; ad sinum Sardoum Euros Etesias, id est, stato anni tẽpore spirare. Optimè in interpretatione Xylander; quid per Etesias hoc loco & Posidonius, & Strabo intelligant, docuit; cùm addit illa verba, id est, statuto anni tempore: Per Etesias enim non intelligit reuera ventos illos anniuersarios sub Cane perflare incipientes. Sed dicit in spatio ab Hispania ad Sardoum sinum Euros spirare quotannis stato quodam tempore, sicq; non nomen particulare ventorum erit, vnde Apollon. Argonauticon 1. ἐτήσια χύτλα χέοντο. Item apud eundem ἐτήσιαι αὖραι, & Thucyd. ἐτήσιαι θυσίαι, anniuersaria sacrificia. Ita Strabo hoc loco de Euris, qui ἐτήσιαι, id est, anniuersarij sunt, & annui, siue statuto aliquo tempore inuadentes Euri, qui non sunt Etesiæ peculiares.

Summum periculum est, ne pueri, & mulieres moriantur.] Quòd si putredo, eiusq; occasio tollatur, periculũ magis pueris, & mulieribus, mortis impendet. Muliebria enim corpora superfluis, & excrementitiis humiditatib. magis abundant. Pueri etiam, tum ob natiuam illius ætatis temperaturam, tum ob intempestiuè ingurgitatos cibos, & potus, excrementis, & humiditate maximè abundant. Eæ autem, vbi & excrementitiæ sunt, & modum excedunt, calorq; adsit in aëre modum excedens, putredini excitãdæ maximè parata est occasio: ad quam & febres acutissimæ, & dysenteriæ, quæ mortem ob vehementiam inducere possunt.

Minime autem senioribus] Cùm enim solidiores partes siccas habeant, vniuersumq; corpus frigore conficiatur, etiamsi ob caloris natiui imbecillitatem soleant in eis multa aggregari excrementa, vbi huiusmodi temporum constitutio vigeat, potiùs bene se habent, quòd caliditate ambientis imbecillus alioqui natiuus calor foueatur, frigiditas contemperetur, siccitasq; humiditate veris quasi resarciatur. Hinc Hippocr. 3. Aphoris. scribebat naturarum alias ad æstatem, alias ad hyemem bene, vel malè sese habere.

Et ne qui euaserint, in quartanas desinant.] Cùm enĩ æstatem huiusmodi autumnus excipiat, in quo solent vt plurimum quartanæ incipere, tanquã morbi illius temporis peculiares, non est mirũ, si & alij morbi in quartanas transmutẽtur. Maximè cùm eo tempore melancholicus succus, à quo quartanę febres solẽt procreari, magis exuberet. Id verò est, quòd ęstatem sequatur, in qua ob caloris excessum humores magis assantur, & in atrum humorem facilè vertuntur. Hic verò cùm ad calidam, & humidam veris constitutionem æstas natura sua calida, & sicca succedat, efficitur, vt humores ob humiditatem veris etiam aucti, magis calore æstatis accendantur, & febres illas acutissimas faciant: Ex quibus iis, quos diximus, mortis periculum imminet. Quòd si qui euadunt, facilè in quartanas incident, quòd humorib. illis quasi assatis fęx quędam genita est, & cinis, ex qua putrefacta procreantur sæpe quartanæ: tum etiam quòd humoribus biliosis & tenuioribus, sudoribus, vrinis, alui fluore, natura, vel arte euacuatis, crassiores, fœculenti, & quasi assati relinquuntur.

Et ex quartanis in hydropas.] Si quæ in partic. 6. lib. 2. exponenda de aqua intercute à nobis dicta sunt, in præsentia repetantur, facilè erit cuique reddere rationem, quare in tali temporis constitutione quartanę in hydropẽ sæpe transmutentur. Cùm enim adeò refertum sit corpus melancholico succo, lien ad hoc institutus, vt crassiorum huiusmodi, & fœculentorum humorum sit receptaculum, nimia eorum quantitate quasi disrumpans, cùm totum continere non valeat, quasi ex nimiũ repleta spongia humiditates potissimùm subtiliores, aut trãsmittit, aut, vt defluant, permittit, quę partes magis recipere aptas, capaciores scilicet, & magis laxas petunt: vnde in abdomine collectæ ventrẽ distendunt, & hydropem efficiunt.

IV.

Ἢν δὲ ὁ μὲν χειμὼν νότιος γένηται, καὶ ἔπομβρος, καὶ εὔδιος, τὸ δὲ ἦρ βόρειόν τε, καὶ αὐχμηρὸν, καὶ χειμέριον. πρῶτον μὲν τὰς γυναῖκας, ὁκόσαι ἂν τύχωσιν ἐν γαστρὶ ἔχουσαι, καὶ ὁ τόκος αὐτῇσιν ᾖ πρὸς τὸ ἦρ, ἐκτιτρώσκεσθαι. ὁκόσαι δ᾽ ἂν καὶ τέκωσιν, ἀκρατία τὰ παιδία τίκτειν, καὶ νοσώδη. ὥστε ἢ αὐτίκα ἀπόλλυσθαι, ἢ ζῶσι λεπτά τε ἐόντα, καὶ ἀσθενεία, καὶ νοσώδεα. ταῦτα μὲν τῇσι γυναιξίν.

Si ve-

Si verò hyems Australis fiat, & pluuiosa, & tepens; ver autem Boreale, siccum, & frigidum; primò quidem mulieres, quæ vtero ferũt, & partus ipsis ad ver instat, abortum facturas esse verisimile est. Quæ verò etiam pepererint, imbecillos, & morbosos pueros parere, ita, vt statim pereant, aut tenues, debiles, & morbosi viuant. atq; hæc quidem mulieribus.

Post anni, & temporum constitutionem optimam, & saluberrimam ab Hippocr. propositam, aggressus est eas, quæ sunt præter naturam, morbosq; inducere varios possunt, proponere. Quarum vnam hactenus exposuimus. Nunc alteram docet, simulq; peculiares illius morbos prosequitur. Est verò hæc omnino superiori contraria. Coacti autem sumus ea, quæ ad hanc constitutionem pertinent, partiri, tum ob multa, quæ de ipsa proposuit Hippocr. tum potissimùm ob interpretum, & expositorum circa verba huius status varias sententias. Cùm enim 3. Aphoris. Sect. Aphor. 12. hanc eandem, licèt breuiùs, proposuerit sententiam, quid intelligendum sit per verbum εὔδιος, & an superadditum sit, magna est inter grauissimos scriptores controuersia: habet enim hæc verba: [si hyems Australis fuerit, & pluuiosa, & εὔδιος, ver autem Boreale, & siccum, & frigidum.] Quantũ ad dictionem εὔδιος, fuerunt aliqui, qui superfluam esse, & à librariis superadditam censent; cuius sententiæ fuit Manardus doctissimus 2. Epist. epistol. 2. & 9. Epist. epistol. j. Cuius etiam sententiæ fuit Cardanus, & alij multi iis ducti argumentis. Primò quòd Galenus in initio Commentarij 12. Sect. 3. Aphoris. qui ferè iisdem verbis, ac hoc loco proponitur, dicat hanc temperaturam præcedenti omnino contrariam. Si itaque, inquiunt, contraria est, satis erit, si dicat, si hyems Austrina, & valdè pluuia fuerit. Secundò quòd Galenus in Comment. 13. de iisdem agens temperaturis, non addit huic hyemis constitutioni hanc dictionem. Prætereà idem confirmant ex Galen. qui 1. Epidem. constit. j. Comment. j. citans hanc sententiam, εὔδιος omittit, dicens: εἰ μὲν ὁ χειμὼν ἔπομβρος καὶ νότιος γένηται. quãuis Latinus interpres præter codicis Græci fidem adiecerit, serensq;. Quare, inquiunt, hæc dictio tanquam spuria est expungenda. Quartò inquit Germanus expositor Hippocr. lib. de Aëre, Aquis, Locis, vbi hæc sententia repetitur, vox hæc εὔδιος, in emendatioribus codicibus omissa est, quod palam fit, inquit, ex antiquo interprete, qui locum hunc ita couertit: Quòd si contra hyems Austrina, nimisq; pluuiosa fuerit, &c. quocirca in Aldino codice vbi perperã hæc dictio addita est, expungenda erit. Quintò Aristot. j. Probl. Problem. 9. causam eorum, quę ab Hippocr. hoc loco, & in illo Aphor. traduntur, perquirens, huius vocis omnino nullam facit mentionem; solumq; hanc hyemi addit conditionem; quòd si pluuiosa, & Austrina. Postremò Celsus lib. 2. cap. j. hunc Aphor. ad verbum est interpretatus hoc modo: Si verò Austri, pluuiæq; hyemem occupauerint, ver autem siccũ, & frigidum est, grauidæ quidem, &c. & nullam illius vocis facit mentionem. Ego verò, tantũ abest, vt credam, si addatur, deprauari sententiam, vt potiùs è contra censeam omnino legendam esse. Multa verò sunt, quæ, vt hoc credam, me mouent. Primùm si Græcis exemplaribus adhibenda est fides, video omnes ferè tam antiquos, quàm recentiores, in suis Græcis codicibus legisse. Antiquus interpres tranquilla, Caluus tepida. Hunc secuti sunt Theodorus Gaza, & Laurentianus, Leonicenus pariter, qui vertit serena: Sic Cornarius, qui clementé vertit. Aldinus Codex tam in Aphoris. quàm hoc loco hanc habet lectionem: eam etiam habet Basiliensis. Sed in Aphorismis pro εὔδιος legit εὐδιεινός. manuscripti autẽ, ex quibus varias nostras lectiones collegimus in Hippocr. habent εὔδιος vtrobiq;. Quid igitur amplius vertendũ est in dubium? At si illis, quas diximus, ducti coniecturis, ita corrigere volebant locum illũ Aphoris. certè locum hunc de Aëribus, Aquis, Locis Hippocr. incorruptum seruare non debuerant. Potuisset fortasse (quamuis exemplaribus Græcis adiutus nunquam id ausim affirmare) in Aphoris. cùm breuitati maximè studeat illam vocem omittere, sicut eius antithetum omisit, quod sub Austrina, & pluuia facilè intelligi possit. At hoc loco nullo modo aut potuit, aut debuit. Neq; enim aphoristicè scribit, sed longiori, quantum breuitas Hippocr. patiebatur, oratione hanc sententiam & prosequitur, & explicat: & ita explicat, vt vix commentatione indigeat. Si igitur in Græcis codicibus adest dictio hæc, & prætereà apposuit suum antithetum veri, χειμέριον, australi boreale, pluuioso siccum, & tepenti frigidũ opponens. Sed quod omnem tollit difficultatem, & ambiguitatem, est ipsamet Hippocr. qui non modò reddens huius Aphorismi rationem, ostendit hanc dictionem addendam esse, sed etiam explicat, quid per eam vocem intelligendum sit. Reddens enim rationem, cur in hac constitutione senibus defluxiones à capite accidant, inquit: Cùm enim hyems australis sit, pluuiosa, & calida, cùm corpora non adstringantur, neq; venæ, vere accedente boreali, sicco, & frigido, &c. Vnde quamuis in Aphorismis ea, quæ hic proponit, quorumq; hic rationem reddit, aphoristicè, & breuiùs compræhendat; tamen quæ ad essentiã constitutionis pertinent, non potuit omisisse. Verùm quoniam sub Australi calida, & sub Boreali frigida compræhendi possunt, vt aliàs docuimus, Galenus, Celsus, & ante hos omnes Aristotel. cùm aut huius Aphorismi rationem reddunt, aut Aphorismum proponunt, satis habuerunt integrum sensum posuisse, vt eius rationem redderent. Maior fortasse difficultas est in alio, quid hoc loco apud

Hippocr. hac voce intelligendum sit, quomodoq; sit interpretanda. Aliqui enim εὔδιος, siccam interpretantur, aliqui tranquilla, alij serena, alij clemens, & postremò aliqui tepens: Et sua quiq; habent fundamenta. Qui igitur siccum interpretati sunt, iis mouentur rationibus. Primò quòd Hippocr. lib. de Aëre, Aquis, Locis, vbi volens docere, qualis esse debeat annus, vt saluberrimus sit, habet hæc verba: καὶ ὁ χειμὼν μέτριος καὶ μὴ πάνυ εὔδιος, vbi inquiunt, εὔδιος, nullo modo serena interpretari potest, quòd hyems serena frigore excedat: docet autem immediatè hyemem in anno saluberrimo non debere multùm frigore excedere. Neq; tepida, rationibus, quas afferemus aduersus nostram sententiam. Ergo sicca est interpretanda; quòd velit ostendere hyemem debere esse mediocriter frigidam, & humidam: ideoq; ait, non debere esse valdè siccam, quòd siccitas naturæ eius, quæ debet esse humida, omnino repugnet, neq; frigore id, quod opportunum est, excedens: id est, retinere debet naturalem suam frigiditatem, eamq; non excedere. Confirmant etiam Phauorini Rhetoris auctoritate; qui inquit, εὔδιος κυρίως ἡ ἀέρος ἀβροχία, quod est: εὔδιος, est propriè aëris siccitas. Verùm nouitate rei nimis sunt allectati: eo enim in loco docuimus, per εὔδιος intelligere tepentem. Phauorini autem auctoritas nihil pro ipsis facit. Inquit enim propriè significare aëris ἀβροχίαν, id est, serenitatem. Neque enim vspiam legimus aërem siccū, sed quidem serenum: ἀβροχία enim significat priuationem humoris superflui: Hoc verò in aëre non dicitur siccitas: nā siccitas est aëris naturæ contraria: sed significat serenitatem, id est, nubium, nebularumq; priuationem, vnde aërem serenū dicimus. Quinimò 2. Epid. Sect. 3. habet Hippocrates hæc verba: ἐν Περίνθῳ περὶ ἡλίου τροπὰς θερινὰς ἤλθομεν; ἐγένετο δὲ ὁ χειμὼν εὔδιος καὶ νότιος. id est: Perinthum circa ferè æstiuum solstitium venimus: facta autem est hyems clemens, seu tepida, & austrina. Quòd si sicca, εὔδιος verteremus, omnino repugnaret morbis ex ea constitutione genitis; si enim morbos in illa constitutione genitos diligenter consideremus, omnino cognoscemus, potiùs hyemem fuisse calidam, & humidam. Nam cùm æstas, & ver siccitatem superfluam habuerint, febres verò æstate vagantes, & cum soporibus, & in mulieribus superflua ea humiditas, quæ in morbis iis conspicitur, non aliunde originem habere potuit, quàm ex hyemis excedente humiditate: maximè cùm rarò admodum hyemis constitutionem austrinam siccam inuenimus. Alij vt Leonicenus, & alij dictionem εὔδιος interpretati sunt serena, moti, quòd dictio hæc passim apud Græcos scriptores pro sereno sumitur: vnde Theophrastus inter philosophos Atticos elegantissimus de signis serenitatis in peculiari libro agere instituens, librum inscripsit Περὶ εὐδίας σημείων, passimq; per totum librum de serenitate agēs, dictione εὐδία vtitur. Verùm multa sunt, quæ, quominùs hanc recipiamus sententiam, persuadent. Primum Aristot. 1. Probl. Problem. 9. dum Aphorismum Hippocr. 12. tertiæ Sectionis quasi interpretatur, & quæ hoc loco ab eodem dicuntur, magis explanat, supponit talem constitutionem habere hyemem calidam, & humidam, ver autem frigidum, & siccum: ex quorum temporum temperatura colligit, præscriptos morbos produci. At hyems serena tantum abest, quòd sit calida, vt obseruatum sit experientia, magis frigore algere, quàm nubila faciat. Quod etiam docet Aristot. 21. Probl. Sect. Problem. 21. Accedit, quòd si hyems est admodum pluuiosa, quomodo serena esse poterit? Quinimò ipsemet seipsum infrà explicat; cùm reddens rationem eorum, quæ in principio constitutionis dicta sunt, explicat, quid per εὔδιος intelligat, & quid per χειμέριον, cū dicit: Cùm enim hyems sit Australis, pluuiosa, & calida; vere accedente Boreali, & sicco, & frigido, cerebrum, &c. Præterea Galen. in Com. è directo huic sententiæ aduersatur. Habet enim hæc verba: ὑγρὰ γὰρ τὰ σώματα, καὶ μαλακά, καὶ ἀραιὰ γεγονότα κατὰ τὸν εὔδιον χειμῶνα; quod est: corpora siquidem humida, & mollia, & laxa ab hyeme tepida facta, &c. quòd si κατὰ τὸν εὔδιον χειμῶνα interpretaremur, vt Leonicenus, ab hyeme serena, sequeretur illud absurdum, quòd quæ calori ab omnibus philosophis, & potissimùm Aristot. tribuuntur, ea Galenus hyemis serenitati, & per consequens frigiditati accepta referret: vnde etiam colligitur aduersus Manardū, non esse ab Aphorismo dictionem illam subtrahendam. Qui verò tranquillam vertunt, & clementem, minùs mihi errasse videtur: siquidem quæ tranquilla est, minori ventorum agitatione facta, tepens erit. Attamen non propriè attingit, & immediatè sensum Hippocr. qui seipsum exponens, calidum intellexisse ostendit. Rationes verò Manardi aduersus antiquum interpretem nullius sunt momenti: neque enim repugnat, aliquem statum esse Austrinū, & eundem esse tranquillum: docet hoc constitutio 1. 3. Sectionis 3. Epidem. quæ talis ab Hippoc. statuitur: Annus erat Austrinus, pluuius, & à ventis silens. At respondet Manardus eo loco per Austrinum non validum, sed debiliter flantem intelligere, cum quo tranquillitas esse potest. Atqui nō video, quare potiùs hoc loco per Austrinum, eum, in quo validè flet Auster, intelligere debeat, quàm in eo loco, cùm iisdem omnino verbis vtatur. Censendum tamen est, à nobis per eam vocem nihil aliud significari, quàm calidam, siue tepentē, quòd constitutioni contrariæ conueniat, & Aristot. calidam, & humidam hyemem exponat, & Hippoc. seipsum interpretetur, cùm dicit: Cùm enim hyems sit Australis, pluuiosa, & calida, vere accedente boreali, sicco, & frigido. Quibus verbis omnem hac in re mihi videtur auferre difficultatem. Verū duo

duo sunt, quæ aduersus hanc sententiam obiiciunt. Primùm quòd Hippoc. superfluitatis esset arguendus, qui cùm Austrinam dixerit, quę natura sua calida est, etiam addiderit, & calida. Quasi verò auctorum sententiæ ita cancellis sint restringendæ, vt non liceat aliquando vti synonymis, maximè cùm alteram altera dictio magis explicet. Quod verò nusquam apud probatum scriptorem (quod erat quod secundo loco obiiciebant) Græcum reperiri dicāt εὔδιος pro tepida, falsum dicunt. Aristoteles enim in Problematibus passim Zephyrum appellat εὐδιεινὸν καὶ ἥδιστον temperatum, seu tepente, & iucundum, quamuis malè Gaza serenum interpretatus sit: non magis enim de Zephyro, quàm de Borea poterat quæri, quare serenus sit. In Meteorologicis præterea lib. 1. cùm de roris generatione loquitur: γίνεται γὰρ μᾶλλον ἡ δρόσος ἐν εὐδίᾳ καὶ ἐν τοῖς εὐδιεινοτέροις τόποις. quod est: ros enī in cœli temperie, & locis tepentibus magis fit. Hîc enim serenum non potest interpretari, vt aliqui faciunt: siquidē & sereno aëre frigus esse potest, quo tempore rorem minimè oriri iam docuerat. Non igitur serenitatem εὐδία significat; imò ne tranquillitatem quidem: subdit enim contrariis in locis, & temporibus, rorem & pruinā generari, cùm alioqui statim doceat duo illa corpora, & sereno, & tranquillo cœlo oriri: quinimò iam docuimus superiùs in particula secunda Hippocratem vocem εὔδιος nō in alio significato assumere: cùm enī dixisset hyemem esse temperatam in saluberrimo cœli statu, ne quis veram temperiem intelligeret, sed solam remissionem frigoris, subdit (*nec valdè tepens, nec naturalem modum in frigiditate excedens.*) Quid? nónne Aristoteles histor. lib. 9. dicit, apes ὅταν εὐδία ᾖ, συνεχῶς ἐργάζεσθαι, à quo mutuatus Plinius lib. 10. cap. 11. ipsarum agmen, si mitis sit cœli temperies, ad opera procedere. Hesychius quoque εὔδιον temperatum interpretatur ex vocis etymologia, cùm, si talis aër est, sub dio nō incommodè degatur. Et postremò Hippoc. hoc loco, qui seipsum εὔδιον calidum interpretatur. Supponit igitur duas constitutiones omnino contrarias superiori; nam vbi superiùs hyemem posuit borealem, & siccam, ver autem pluuiosum & australe, in præsentibus econtrà hyemē australem, pluuiam, & calidam, ver autem boreale, siccum, & frigidum. Quæ cùm magis repugnent naturis temporum, non mirum, si & plures morbi, & vehementiores, tum & velociùs inuadentes excitentur. Vbi enim in superioribus in æstatē differri morbos ex hyemis, & veris non naturalibus constitutionibus scripserat, in præsenti statim in ipso vere generari scribit. Inter præcipuos autem primum locum tribuit abortui, qui mulieribus solet accidere, vel in hyeme, vel vere, vbi partus vere expectādus sit, aut certè morbosus partus: solent enim, si non abortiant, infantes in lucem editi, debiles, tenues, & valetudinarij omnino esse, ita vt, aut statim pereant, aut infelicem vitam degāt. Cur verò id accidat, luculenter admodum in Comment. Galenus docuit, cùm inquit: Corpora siquidem humida, mollia, & rara, ab hyeme calida facta ad intimas sui partes vere frigido superueniente aëris frigiditatem facilè admittunt; ita vt infantes, qui longo tempore calori sunt assuefacti, vehementer à frigore percussi, non absque causa ij quidem in vtero, illi autem in partu moriantur. Qui verò viui in lucem eduntur, non ferentes subitam ad contrarium mutationem, vel breui pòst tempore moriuntur, vel exiles, atque insalubres effecti, vix in vita perdurāt. Aristoteles quoque prima sectione Problematum, probl. 9. suo more problematicè hanc Hippoc. sententiam proponit, cur nimirum hyeme austrina, & pluuia existente, & vere sicco, & aquilonio, corpora tam vere, quàm æstate, morbi exercent? Soluit primò afferens in vniuersum morborum causas, potissimùm eorum, qui à putredine originem habent. An, inquit, quòd hyemis tepor, & humor in similes sui qualitates corpora trahant. Humida enim laxaque fiant, & soluta necesse est: quibus sic existentibus, hyeme frigida, & sicca superueniente, facilè concrescere possunt, & indurari; quasi inferret morbos sæpenumerò ex putredine originem habere: Hæc verò duo supponit, materiam in corpore existentem, & prohibitam transpirationem, qua vapores ex humorum caliditate eleuati, minimè possint difflare. In hac verò constitutione tum humores adsunt ob prægressam hyemē humidam, & calidam, tum & caliditas interna agens: Sequitur mox prohibita transpiratio, à veris frigiditate facta, quæ tantò faciliùs efficitur, quantò mollia, & soluta iam corpora faciliùs quamcunque externam ambientis læsionē in se admittunt. Descendit mox ad particulares morbos, quorum etiam in præsentiarum fecit mentionem Hippoc. à quo etiam videtur totū problema desumptum. Et primò, quod ab Hippocrate in præsenti particula propositum est, exponit, & illius reddit rationem. Verùm quoniam à Theodoro Gaza viro alioqui in hoc munere interpretandi præstantissimo, & ferè singulari, nimis liberè, nec omnino fideliter, hic locus est versus in Latinum, optimum esse duxi Græca Aristotelis verba apponere: ὥστε ταῖς μὲν κυούσαις ὁ τόκος ἐαρινὸς εἰς ἐκτρώσεις γίνεσθαι διὰ τὴν θερμασίαν, καὶ τὸν σφακελισμὸν τὸν γινόμενον ὑπὸ τοῦ ξηροῦ ψύχους, ἅτε οὐκ ἐκκενουμένης τῆς ὑγρότητος· τὰ δὲ κυήματα παιδία ἀσθενῆ γίνεται καὶ πηρά, διὰ τὴν ὑπερβολὴν τοῦ ψύχους· συμβαίνει γὰρ τότε φυῆναι καὶ συστῆναι, καὶ τραφῆναι ἐν τῇ τεκούσῃ. quæ sic ipse verto: Quare parturientibus verno tempore abortus contingunt propter caliditatem, & mortificationem factam à sicca frigiditate, sic nō expulsa humiditate. Fœtus verò imbecilli fiunt, & imperfecti ob frigidi excessum: Accidit enim, vt qui tunc nascuntur, & constiterint, & nutriti fuerint intra pa-

rentem. Quibus verbis primò docet, cur fiant abortus, & inquit id fieri, quia primùm fœtus in ventre caliditate hyemis fouentur, mox superueniente frigiditate veris, & ficcitate, poris corporis inuentis apertis, facilè quod quasi concoctum est, siue maturatum potiùs, & à calore naturali fotum, mortificatur. Sphacelismus enim nihil aliud est, quàm ex defectu caloris mortificatio animati corporis, & in putredinem conuersio. Cùm verò ob apertos poros frigiditas excellens permeat, calorem extinguit, & mortificationem inducit, maximè cùm impediat expulsionem excrementorum, quæ retenta putredinem concitant. Pòst docet, si nascantur, neque moriantur, quare imbecilli remaneant, & morbosi: cùm enim intra parietes maternos, calore naturali matris fouente, constitetint, & nutriti sint, non ferentes, vt optimè ab Aristotele mutuatus Galenus docuit, tantam, tamque subitam ad contraria mutationem, aut statim moriuntur, aut certè debiles, imperfecti, & morbosi remanent, constipatis membris, & à frigiditate induratis, ita vt difficilè nutritionem admittant, alimento non satis commodè distributo per vniuersum.

V.

Τοῖς δὲ λοιποῖσι δυσεντερίας, καὶ ὀφθαλμίας ξηρὰς, καὶ ἐνίοισι κατάῤῥους ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἐπὶ τὸν πνεύμονα. τοῖσι μὲν οὖν φλεγματίῃσι τὰς δυσεντερίας εἰκὸς γίγνεσθαι, καὶ τοῖσι γυναιξὶν, φλέγματος ἐπικαταῤῥυέντος ἀπὸ τοῦ ἐγκεφάλου διὰ τὴν ὑγρότητα τῆς φύσιος. τοῖσι δὲ χολώδεσιν, ὀφθαλμίαι ξηραὶ διὰ τὴν θερμότητα καὶ ξηρότητα τῆς σαρκός. τοῖσι δ' ἄγαν πρεσβυτέροισι, κατάῤῥους διὰ τὴν ἀραιότητα, καὶ τὴν ἔκλασιν τῶν φλεβῶν, ὥστε ἐξαίφνης τοὺς μὲν ὑπὸ φρενίτιδος ἀπόλλυσθαι, τοὺς δὲ παραπλήκτους γίνεσθαι τὰ δεξιὰ, ἢ τὰ ἀριστερά. ὁκόταν γὰρ τοῦ χειμῶνος ἐόντος νοτίου καὶ ἐπόμβρου, καὶ θερμοῦ τοῦ σώματος μὴ ξυνίστασθαι, μὴ δὲ φλέβας, τοῦ ἦρος ἐπιγινομένου βορείου καὶ αὐχμηροῦ, καὶ ψυχροῦ, ὁ ἐγκέφαλος, ὁπηνίκα αὐτὸν ἔδει ἅμα τῷ ἦρι διαλύεσθαι, καὶ καθαίρεσθαι ὑπό τε κορύζης, καὶ βράγχων, τηνικαῦτα πήγνυταί τε καὶ συνίσταται.

Reliquis verò dysenterias, & lippitudines siccas, & aliquibus fluxiones à capite in pulmonem. Pituitosis quidem dysenterias fieri verisimile est, & mulieribus pituita à cerebro defluente ob naturæ humiditatem. Biliosis verò lippitudines siccas, propter carnis caliditatem, & siccitatem. Valde autem senibus defluxiones ob raritatem, & distentionem venarum, ita vt repentè aliqui phrenitide pereant, alij verò resoluti fiunt dextra, aut sinistra parte. Hyeme enim Australi, pluuiosa, & calida existente, cùm corpora non adstringantur, neque venæ vere superueniente boreali, sicco, & frigido, cerebrum, quod vnà cum vere dissolui, & purgari oportebat à grauedine, & raucedine, tunc concrescit, & consistit.

Eadem frigoris vis, quæ & partus reddebat difficiles, & abortus excitabat, natosque insantes debiles, & morbosos reddebat, si in pituitosum corpus incidat, potissimumque si caput superflua humiditate ob præcedentis hyemis superfluum teporem, & humiditatem inuenerit, dysenterias causabit. Quemadmodum enim ex paulò maiori frigiditate didicimus acidam, ex minori, aut etiam mediocri dulcem, qualitatisve nihil manifestæ habentem pituitam gigni solere, ita salsuginosam ex calore, qui in hac constitutione præcessit iam, pituitæque huiusmodi procreandæ idoneos vapores multos, calidosque capite contentos, collectosq; ingredienti extrinsecus frigori exhibeat. Quæ postmodum in intestina delapsa, compulsaque frigore superuenientis veris veluti compressu quodam (sicuti ex spumosis, albescentibusque deiectionibus fluxionem de capite pituitosæ materiæ arguimus) nec liberè citoq; foras progressa, sed intestinorum parietibus, & ionolucris adhærens, & implicita, cùm salsa sit, partes illas vellicare, dolores pârere, exulcerationesque etiam in intestinis inducere valeat: atque ita fit intestinorum difficultas, δυσεντερία Græcis dicta. Cùm autem mulieres natura sua magis pituita sint refertæ, potissimùm verò in capite, maxime omniũ hoc morbo in tali constitutione tentabuntur. Solent verò eæ intestinorum difficultates, & molestiores esse, & magis diuturnæ, quàm quæ ex bile intestina corrodente fiunt, quòd hæ, quamuis causam habeant acriorem & calidiorem, quoniam tamen velociter treusit, nec diutiùs intestinorum tunicis adhæret, minorem dolorem producit, faciliusque remediis cedit.

Biliosis autem lippitudines siccæ propter carnis caliditatem, & siccitatem) Biliosis in huiusmodi temporum constitutione, non quidem omnibus, sed quibus pars ea imbecillior natura fuerit, (vt aliis alia esse plerunq; in corpore debilior consueuit) inflammatio meritò eiusmodi oculorum accidet, quæ humorem non remittat: hâc siccam ophthalmiam appellat: prohibet enim extrinsecum frigus repellens intrò. Ac quamuis aperti esse meatus antegressi caloris vi possent, per quos exitus humori pateret; eas nihilominus circunstans deinde frigus, densata extima superficie, occluserit. Biliosum enim in constitutione huiusmodi temperamentum, resilientibus in caput calidis, siccisque exhalationibus, non quemádmodum in pituitosis, ac mulieribus, in quibus facilè calidus, humidúsque vapor tantummodò refrigeratione, vt in pituitam densetur, indiget, materiam hanc pituitosam,

tuitosam, sed biliosam potiùe quandã, & commixtæ naturæ fecerit.

Τοῖσι δὲ ἄγαν πρεσβυτέροισι κατάῤῥοι διὰ τὴν ἀραιότητα, καὶ ἔκτηξιν τῶν φλεβῶν, ὥστε ἐξαίφνης τοὺς μὲν ὑπὸ φρενίτιδος ἀπόλλυσθαι. quod est: *Valdè autem senibus defluxiones ob raritatem, & distentionem venarum: ita vt repentè aliqui phrenitide pereant.*] In hac particula obseruandum ast, in Aldino, & Basiliensi codice in principio legi *τοῖσι δὲ πρεσβύτῃσι*: quod est; senibus autem: At nos priorem secuti sumue lectionem: quòd eam Galenus in tertia sectione Aphoris. 12. tanquam Hippocratie hoc loco sit amplexatns. Quinimò cùm Hippocrates in illo Aphorismo vsue sit comparatiua dictionę *πρεσβυτέροισι*, ea non contentus Galen. non omnibue senioribus, sed *ἄγαν πρεσβυτέροισι* ea scribit accidere, & hoc loco in suæ sentantiæ confirmationem vtitur pro testimonio. Aldinue prętetea libat, vbi Basiliensie & Galenus habent *ἀραιότητα* malè legit *ἀϊμότητα*, vbi etiam Basiliensie, & Aldinus habẽt *ἔκτασιν*, Galenue & manuscriptus habent *ἔκτηξιν*, quod tamen pauci momenti est. Maioris momenti est varietes lectionis in sequentibue verbis, *ὥστε ἐξαίφνης τοὺς μὲν ὑπὸ φρενίτιδος ἀπόλλυσθαι*. quod est: ita vt repentè aliqui phrenitide pereant. Galenus enim libro tertio Aphoris. cùm hanc sententiam ad verbum referat, nullam phrenitidis facit mentionam, sed legit, *ὥστε ἐξαίφνης ἀπόλλυσθαι*: quod est; ita vt repentè intereant: sicque mortem subitam nõ ex phrenitide, sed ex defluxionibus à capite velit prouenire: sia etiam habet liber Zuingeri, qui habet *ὥστε ἐξαίφνης τοὺς μὲν ἀπόλλυσθαι*: id est, ita vt aliqui quidem repentà intereant. Et reuera si diligentiùs phrenitidie naturã considerauerimus, & eiusdem causas, videtur omnino ita legandum, cùm non fetis intelligi possit, quomodo in hac constitutione valdè senibue, in quibus maximè abundat pituita, phrenitie facilè superuenire possit, quę alioqui iuuenum morbue est peculiaris, & à materia biliosa prouenit: nisi forrasse per phrenitidem morbum alium intelligamue, de quo postea. Valdè igitur senibue *κατάῤῥοι*, defluxiones vertimue nos, à capite contingunt. Cùm verò ex catarrhis, defluxionibúsva à capite tam subitas, & repentinas mortas prouenire scripserit Hippocrates, nautiquã illas intelligete oporter, quæ in senili ætate longæ semper habitæ sunt, concoctu difficilee, minimeque ideò tam repentè exitiosæ, grauedines dico, ac raucedines, diuturnaeq; ætate ea, ex distillationibus in pulmonee, tussee, apertis, menifestisque de cerebro canalibus, veluti emissariis quibusdam, emisso diuersas in partes humore sectae: sed intrò potiùs, expulsa materia, perque interiores venae acta, ortas, aut arterias etiam, cursumque ira sanguinie, & spirituum naturelem impediẽte: vt, intercapto viarum progressu, improuisæ mortie occursue sequatur. atque ita quòd Hippocr. repentè mortem sequi scribit, non de phrenitide asserer, sed ad defluxum materiæ à capita referet, vt manifestè visue est fecisse Hippocrates 12. Aphoris. 3. sect. quod itidem docuit ibidẽ Galenue & Philothene, qui per *κατάῤῥουν* quid intelligat ibidem Hippocrates edocene, dicit: Caterrhum dicit, non destillationem, quæ ad pulmonem fertur, vel ad asperam arteriam, sed ad venas, & arteriae. Quamobrem breui interficiunt ipsos, plenitudinem facientes, & neruorum dissolutionem, inuocalitatesque, & alia plena difficultatis. Quòd si quie mordicùs asserat ex impressie omnibue codicibus, & etiã menuscriptis, addendam esse illam dictionem *ὑπὸ φρενίτιδος*, nõ eam, quam veram phrenitim appellant, intelligere poterimue, quæ scilicet est inflammatio cerabri, aut membranarum eius à biliosa materia putrescente in iis partibus facta. Cùm enim *φρένες* præcordia, aut septũ transuersum, imò potiùs mẽe, quã intra septum transuersum in corde contineri crediderunt antiqui Philosophi, dicantur, vt optimè noe docuit Galenue 5. de Locis affectie, & 5. de Decret. Hippocratie & Platonie, phrenitidee, etiã delitia cũ febre appellârunt: aliquando tamen morboe etiam sine febre, in quibus offenditur *φρὴν* ex defluxu ad cor materię, phrenitim appellârunt. Hippocrates (si modò liber ille illi attribuẽdus est, quod nõ ita fecilè affirmauerim) libro de Morbis virginum, de hac phrenitide agit, cùm dicit: Sanguie non habens refluxũ præ multitudine resilit ad cor, & ad septum transuersum: & cũ hæc repleta sint, cor fit fatuum, deinde ex fatuitate torpedo, postea ex torpedine delirium apprehendit. An modò delirium fiat ex sola hac affectione, an potiùe communicata noxa cerebro, non explicat. De hac phrenitide locutus est etiam 7. Aphoris. 11. & 12. à pleuritide in peripneumoniam, malum: & à peripneumonia in phrenitidem, id est, in morbum septi transuersi, malum. Quemadmodum enim facilie est transitus à pleura in pulmonem, ita ab hoc in phrenes facilè defluit materia. Sed in huius rei confirmationem maiorem audiendus est Hippocratea, siue quisquis is fuerit ex antiquissimis Medicie, qui librum de Affectionibus conscripsit. Scribuntur igitur in eo libro de hac phrenitide hæc verba: Quæcunque alię febres fiunt hyeme, siue ex vino, siue ex lassitudine, siue ex aliqua alia re, transeunt in morbos acutos hoc modo: cùm commotis duobus humoribus, pituita & bile, nõ conducentia corpori exhibentur, ipsi inter seipsos coacti, pituita scilicet; & bilis, corpori vbicunque tandem contigerit, allabũtur, & fit pleuritis, aut phrenitis, aut peripneumonia. Ecce velle phrenitim esse ex morbis thoracie ex materia biliosa, & pituitosa. In hac constitutione in senibue reperitur vterque humor, pituitosus quidem ratione ætatie, bilis ratione præteritæ constitutionis hyemalis. Quinimò libro de Affectionibus, phrenitidis signa recensens, inquit ille auctor, dolorem ad-

esse circa præcordia, potissimùm ad hepar. Et libro tertio de Morbis scriptum est; phrenitici hæc patiuntur: phrenes dolent, vt ne contingere quidem permittãt. Certum igitur fit propriè apud antiquos phrenitidis nomine delirium significari, quod originẽ habet ab inflammatione, vel humore putrescente bilioso, & pituitoso in regione hypochondriorum. Impropriè tamen sumitur etiam pro aliis morbis, in quibus mens statim concidit, vt fit in apoplexia: quomodo phrenitim hoc loco (si modò ea dictio addenda fuerit) Hippoc. sumpsisse censendum est. Quod ex sequentibus verbis etiam quiuis facilè intelligere potest, vbi habet, [τοῖς δὲ παραπλήκτους γίνεσθαι τὰ δεξιὰ, ἢ τὰ ἀριστερά. quod est; *Alij verò resoluti fiunt dextra, vel sinistra parte.*] vbi obseruandum est, Galenũ in Commen. 12. Aphor. tertiæ sectionis, dum hanc ad verbum retulit sententiam, aliter legisse: habet enim, τοῖς δὲ παραπληγίας γίνεσθαι τὰ δεξιὰ ἢ τὰ ἀριστερά, vt habet & Basiliensis, & Aldinus. Sicque quod nos de viris paraplegia laborantibus cum Hippocrate hoc loco dicimus, ipse ad ipsam affectionem παραπληγίαν retulisse videtur, nisi dixerimus depravatũ esse codicem, & loco illius dictionis substituendam esse παραπλήκτους, vel παραπληκτικοὺς, quam lectionem antiquũ suum manuscriptum librum habere scribit Brasauolus in Comment. ad tertium librum Aphorismorum, Comment. 12. Est præterea obseruandum, impressos codices, Aldinum scilicet, & Basiliensem defectuosos esse: omittunt enim ἢ τὰ ἀριστερά, id est, vel sinistra; qđ sine dubio addendum esse tum Galenus citato loco docet, tum manuscripti, quos nobis videre contigit, & liber Zuingeri. Tum postremò, quòd nulla subest ratio, quare potiùs resoluantur dextræ partes, quàm sinistræ. Asserit igitur, quòd si non repentè intereant, paraplectici alterutra ex parte fiunt: quasi sibi vellet, vbi minor sit materia, non absolutam resolutionem, & amissionem sensus, & mentis fieri, sed solùm partialem resolutionem, & amissionem sensus, & motus: vnde Aristoteles, qui omnia ferè ab Hippocrate hoc loco mutuatus est prima problem. 9. vt reddat rationem eorum affectuum, qui in hac constitutione accidunt, inquit, senioribus apoplexias accidere ex defluxu humoris pituitosi iam collecti, & mox concreti in aliqua parte. Moxq; vbi per venas vel arterias simul cum sanguine defluunt, eius cursum, & spirituũ impediunt, quibus interceptis, ex improuiso mors sequitur; aut si ad alteram partem solùm defluant, resolutiones illius partia fiunt, quas παραπληγίας vocant, & qui ea affectione laborant, παραπλήκτους siue in dextra, siue in sinistra parte. Tanti verò momenti est, si per loca à natura ad expurgandum cerebrum instituta, nares, & os materia feratur liberè, an potiùs per venas, arteriasque interiores; vt quemadmodum in lippitudine sicca dictum est, nihil humoris expurgari, ambiente frigido impediente, ita aliquatam calore, humoreque hyemis pituitam, fluxionique paratam verisimile est, superueniente veris insigni frigiditate, impediri, & intrò repulsam ad maiores venas tantũ discriminis inuehere posse. Παραπληκτικοὺς vocat hic, & παραπληγίας Hippocrates, quas nos paralyticos, siue resolutos, & paralyses vocamus. Sunt, qui moti auctoritate Galeni Comment. 26. tertij in primum Prorrheticorum, crediderũt differre παραπληγίαν à παραπληξία, quemadmodum paralysis ab apoplexia. Sed decepti sunt: siquidẽ vbi Galenus dicit, propterea quòd paraplegia affectio vnius partis corporis talis est, qualis est paraplexia totius; legendum est, meo iudicio, qualis est ἀποπληξία totius: seipsum enĩ in Commentario 68. eiusdem declarat, cùm dicit; paraplegias quibusdam corporis partibus accidere ab effectu didicisti, qualis est totius corporis affectus apoplexia: quam sententiam etiam confirmat lib. 4. de Ratione victus in morbis acutis, Comment. 27. vbi Hippocrates docuit & efficientem causam, & materialem paraplexiæ: docet verò fieri ex defluente materia pituitosa liquefacta ad aliquam partem, quæ ob frigiditatem congelatur, ita vt spirituũ transitum impediat. A qua si omnes meatus capitis obstruantur, fit apoplexia, si verò aliquarum tantummodò partium, paraplexia. Docet verò quasi experientia in huiusmodi constitutionibus paraplexias senibus accidere, secunda sectione primi libri Epidemiorum, text. 58. vbi dicit Hippocr. natu maioribus, quibus iam calor deficit, paraplexiæ, &c. Galenus in Commentario dicit; paraplexias vocat resolutiones ex apoplexia in partem aliquam decumbentes. Subdit particula 69. hac tempestate in hyeme paraplegiæ cœperunt, multòsque corripuerũt, ex quibus nonnulli subitò moriebantur. Galenus in Comment. reddit rationem, inquiens, paraplegias dicit hyeme fuisse capite læso ventorum afflatu, qui ea tempestate spirauerunt frigidi: maximè verò, quòd totus autumnus præcedens austrinus calefecerat, atque irrigauerat ipsum, atque simul repleuerat. Et subdit; paraplegia, quæ frequens est, in membri resolutionem decumbit, sed hominem non perimit: at verò, quæ in præsenti statu viget, lethalis esse potest, vtpote multùm refrigerato capite. Et hoc est, quod insinuasse visus est Hippocrates, cùm dicit; ὁκότε γὰρ τοῦ χειμῶνος νοτίου ἐόντος, καὶ ἐπόμβρου, καὶ θερμοῦ τὸ σῶμα μὴ ξυνίστασθαι, μὴ δὲ φλέβας, τοῦ ἦρος ἐπιγενομένου βορείου καὶ αὐχμηροῦ καὶ ψυχροῦ, ὁ ἐγκέφαλος, ὁπηνίκα αὐτὸν ἔδει ἅμα τῷ ἦρι διαλύεσθαι, καὶ καθαίρεσθαι ὑπό τε κορύζης καὶ βράγχου, τηνικαῦτα πήγνυταί τε καὶ ξυνίσταται. quod est: *Hyeme enim australi, pluuiosa, & calida existente, cùm corpora non adstringantur, neque venæ: vere superueniente boreali, sicco, & frigido, cerebrum, quod vnà cum vere dissolui, & purgari oportebat à grauedine, & raucedine, tunc concrescit, & consistit.* in quibus verbis etiam Græci libri, impressi, & manuscripti, aliquantisper variant. Aldinus

dinus enim & Basiliensis post dictionem νότιον non habent ἔπομβρον, id est, pluuiosa, quam nos adiuti exemplari doctissimi Octauiani Ferrarij præceptoris nostri, & in Peripatetica philosophia facilè post Aristotelem & Theophrastum coryphæi addendam esse credimus. Zuingerus etiam doctissimus loco illius dictionis alteram posuit hoc modo: ἢν μὲν γὰρ τοῦ χειμῶνος ἐόντος νοτίου καὶ διαβρόχου, καὶ θερμοῦ, τὸ σῶμα μὴ ξυνίστηται, &c. quod idem est. διάβροχος enim pluuiosum, siue humidum potiùs significat. Impressi præterea omnes meo iudicio in ea parte sunt deprauati, vbi habet; ὁ ἐγκέφαλος, ὅπλωίος αὐτὸν ὅλη ἅμα τῷ ἦρι. Legēdum enim est, vt doctissimus Gadaldinus animaduertit, ὁ ἐγκέφαλος, ὃν πλαδαρὸν ἦν τὸν ὅλη ἅμα τῷ ἦρι. idque ex antiquo suo manuscripto ita corrigit, & optimè, cùm hoc pacto optimum sensum habeat hæc particula, quæ alioqui, si primo modo legatur, vix intelligi potest. His igitur verbis Hippocrates reddit rationē, quare huiusmodi morbi valdè senibus in hac constitutione accidant: quòd scilicet collecto humore pituitoso in iis, tum ob ætatem, tum ob temporis constitutionem laxatis meatibus corporis, & potissimū capitis in hyeme austrina; cùm vere soleant huiusmodi collecta in capite excremeota expurgari, eo in hac constitutione frigido existente, & sicco, nō modò non permittuntur expurgari, sed retinētur potiùs, & concrescunt: vnde impedito transitu spirituum, aut apoplectici subitò concidunt, aut ex parte resoluuntur. Et hoc est, quod scriptum est prima Problematum, problem. 9. vbi quæreos causam horum morborū, qui in proposita constitutione accidunt, postquā de aliis egit, subdit: Cæteris verò, cùm pituita vitio suæ multitudinis in vere expurgata non est (quod fit, vbi tepidum se exhibuerit) sed coacta à frigore cōsistit, cùm tepor occupauit, id est, in postrema veris parte, quæ æstati proxima est, æstatis vi colliquescit, &c. Pòst subdit: Seniores stupor attonitos reddit, vbi vniuersus resolutus humor incubuit, & ex imbecillitate caloris natiui concreuit. In præsentia vti mihi liceat Gazę traductione, quamuis hac in parte, vt aliàs docui, non satis probem.

VI.

Ὥστε ἐξαίφνης τοῦ θέρεος ἐπιγενομένου, καὶ τοῦ καύματος, καὶ τῆς μεταβολῆς ἐπιγενομένης, ταῦτα τὰ νοσήματα ἐπιπίπτειν. καὶ ὁκόσαι μὲν τῶν πόλεων κέονταί γε καλῶς τοῦ ἡλίου καὶ τῶν πνευμάτων, ὕδασί τε χρῶνται ἀγαθοῖσιν, αὗται μὲν ἧσσον αἰσθάνονται τῶν τοιούτων μεταβολέων. ὁκόσαι δὲ ὕδασί τε ἑλείοισι χρέονται, καὶ λιμνώδεσι, κέονται τε μὴ καλῶς τῶν πνευμάτων, καὶ τοῦ ἡλίου, αὗται δὲ μᾶλλον. κἢν μὲν τὸ θέρος αὐχμηρὸν γένηται, θᾶσσον παύονται αἱ νοῦσοι, ἢν δὲ ἔπομβρον, πολυχρόνιοι γίνονται· καὶ φαγεδαίνας κινδ. ἐγγίνεσθαι ἀπὸ πάσης προφάσιος, ἢν ἕλκος ἐγγένηται. καὶ λειεντερίαι, καὶ ὕδρωπες τελευτῶσι τοῖσι νοσήμασιν ἐπιγίγνονται. οὐ γὰρ ἀποξηραίνονται αἱ κοιλίαι ῥηιδίως.

Quare derepentè æstate accedente, & ardore, & mutatione superueniente, ij morbi incidunt: quòd si quæ vrbes quidem bene sitæ sunt ad Solem, & ventos, & bonis aquis vtuntur, ea certè minùs huiusmodi mutationibus afficiuntur: quæ verò aquis palustribus, & lacustribus vtuntur, & non bene sitæ sunt ad ventos, & Solem, ea magis. Et siquidem æstas sicca fuerit, citiùs sedantur ij morbi: si verò pluuiosa, diuturni fiunt, & phagedenas ex omni occasione oberiri verisimile est, si vlcus aliquod fiat: & intestinorum læuitates, & hydropes ferè reliquis morbis desinentibus superueniunt, non enim ventres facile exsiccantur.

Hæc est ea particula, quæ omnium interpretum animos in diuersas traxit sentētias, quòd in se contineat & finem seriei transpositæ in librum de Vulneribus capitis, & principium eius partis, quæ reliqua erat libro de Aëribus, aquis, locis; quod effecit, vt Cornarius in sua traductione primam partem, quæ sic se habet: Quare derepentè æstate accedente, & ardore, & mutatione contingente ij morbi incidunt, &c. posuerit cap. 6. versus medium post ea verba constitutionis in superiori particula propositæ, quemadmodum etiā nos in præsentia fecimus. Quæ verò sequuntur vsque ad illa verba: Et lienteriæ, siue, & intestinorum læuitates, &c. posuit capite secundo post primam particulam in explicatione positionis locorum positorum ad Austrum. Quam sentētiam sequentes Alemanus, & Baccius Baldinius, qui proximè, cùm hæc commmentaria iam confecissem, sua in eundem edidit, non potuerunt intelligere, quem sensum haberent hæ duæ sententiæ, & quomodo connecterentur hæ sentētiæ, tum inter se, tum etiam cum superioribus, & sequentibus: Sequutus est etiam hunc errorem doctissimus alioqui Zuingerus. Postremam autem partem, quæ est prima pars eius, quæ post transpositam relicta est libro de Aëribus, aquis, locis, quæ incipit: Et intestinorum læuitates, & hydropes, &c. connectunt cum prima parte cap. 6. Verùm hæc sententia nullo modo concedi debet; cùm duæ illæ sententiæ capite secundo positæ nullam, aut connexionem habere eo loco possint, vt diximus, aut sensum: ad quid enim dum de situ locorū ad Austrum positorum loquimur, interserenda erat sententia, quæ aut de bene, aut malè sitis vrbibus agit, aut alia, quæ de tempestatibus, æstate nempe sicca, aut humida? Quod in iis explicandis proximè faciliùs fiet manifestum. Gadaldinus autem aliquantò meliùs hanc partē disposuit: nam eandem dispositionem, quam & nos in præsentia posuimus, sequitur, vna re excepta; siquidem

secunda parte, quæ sic habet: [*Et quæ quidem vrbium bene ad Solem, & ventos sitæ sunt, & bonis aquis vtuntur, eæ certè minus huiusmodi mutationibus afficiuntur; quæ verò aquis palustribus, & lacustribus vtuntur, & non bene sitæ sunt ad ventos, & Solem, eæ magis.*] Iponi debere credidit post tractationem omnium positionum locorum in fine capitis secundi; quod videatur rationi consonum post omnea positoa situs, tanquam per epilogum, quæ bene sitæ sunt ciuitates, & quæ malè, colligere: neque enim credebat, si ita disponantur, vt noa fecimus, eam sententiam esse eo loco ad propositum. Verùm credimus nos, sequendam esse lectionem omnium librorū Græcorum, qui, postquam facta est magna illa transpositio, de qua in particula secunda libri secundi egimus, post illa verba τὸ δὲ χειμῶνι ψυχρὸν io Basileę impressis, pagina 75. linea 34. quod est; hyeme autem frigidæ. quæ verba in Iuntarum Galeni editionibus sunt capite secundo, versu quarto incipiunt, vt loco citato docuimus, τὰς τε αἰσθήσιας τὰς κεφαλὰς ὑγρὰς ἔχειν καὶ φλεγματώδεας. quod est libro περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων, pagina 452. linea 33. quæ vertit Cornarius; homines capita humida, & pituitosa habere par est, capite secundo, versu octauo eiusdem capitis: atque ita io codicibus Græcis perseuerat seriatim, vsque ad finem totius libri, qui est pagina 456. linea decimaquinta: deinde iterū ea sequuntur, quæ posita sunt in eodem libro, pagina 451. linea trigesimaseptima; ὅτι τὰ παχύτατα καὶ χολωδέστατα. q[uo]d D Cornarius vertit; quod crassissimum est, ac biliosissimum. capite quinto, versus finem: & ita io codice Græco perseuerat, quousque peruenerimus ad prima illa verba, τὰς δὲ αἰσθήσιας, pagina 452. linea trigesimatertia, à quibus docuimus incipere id, quod à lib. de Aëribus, aquis, locis in librū de Vulneribus capitis irrepsit, & nunc transeundum est ad id, quod asterisco notatur libro de Aëribus, aquis, locis, quodq́; immediatè relictum est pagina 75. linea trigesima quarta, καὶ λιεντερίαι, q[uo]d in Latinis est circa medium caput sextum, hoc modo; Et intestinorum læuitates. Sola verò supersunt verba illa postrema, τὸ δὲ χειμῶνι ψυχρόν, pagina 452. linea trigesimasecunda, quæ difficultatem faciant, quòd nullo modo cohæreant. Verùm si considerauerimus, posita esse in fine totius transpositæ seriei, facilè dicere poterimus superflua esse, & subingressa loco duarum dictionum, quæ positæ sunt libro de Aëribus, aquis, locis, io fine primæ partis, pagina 75. linea trigesimaquarta, vbi habet, τὸ δὲ χειμῶνι ψυχρόν: facilis enim erat mutatio ν in α, quod & hæc verba, & illa immediatè posita sint ante principiū seriei transpositæ. Hoc modo si legamus, & seruabimus Græcorum omnium librorum lectionem, quæ non nisi cogente necessitate est immutanda, & sententiæ optimum habebunt sensum. Quod vt fiat manifestum, explicandæ nunc erunt singulæ particulæ. Enumerauerat iam quàm plura morborum genera sequi solita, si hyems austrina pluuiosa, & calida fuerit in vere frigido sicco & boreali. Docuerat præterea alios etiam ex eadem constitutione natos, quos in primis verbis huius particulæ ad æstatem vsque produci docuit, & in calorem maximum, oppositamq́ue veri subitam mutationem causam reducit: hyeme enim humida, & calida existente, capita repleta sunt multa humiditate superflua, vere frigido sicco, & boreali sequente in eadem parte obseruantur inclusa, quæ tandem æstate calida sequente colliquescunt, & morbos generant quàm plures, de quibus iam suprà. Qui quidem si fuerimos in ciuitate, quæ bene sita sit ad ventos, & Solem, minùs solent esse infensi. Si verò in opposito sita, huiusmodi passionibus corripientur maximè. Quibus verbis Hippocrates docet modum, quo quis contemplatia constitutionibus possit futuros morbos præcognoscere: neq; enim solùm constitutiones præteritas oportet considerare, sed & loca, in quibus illæ contingunt, quæ augere, aut minuere eas possunt. Vbi obseruanda est illa dictio [*huiusmodi*] quæ præcedentes aliquos morbos enumeratos ostendit, quos inuenire facile est, si hæc pars ita relinquatur, vt nos docuimus, & vt Græci omnes libri habent. Quòd si relinquatur, vt in omnibus impressis Latinis Cornarij, Zuingeri, Alemani, & Baccij reperitur, in principio primæ positionis locorum ad Austrum spectantium, præterquàm quòd, vt docuimus, nullus est eo loco illius sensus, nec vlla connexio, nulla etiam erit ratio, vt Intelligamus, quid per huiusmodi mutationes intelligat, cùm nullam hactenus mutationum fecerit mentionem. Qui autem sit optimus situs ciuitatis, & qui pessimus, fatis abundè docuimus libro secundo. Postquam autem docuit ex huiusmodi constitutione non modò vere morbos illos generari, de quibus mentionem fecerat, sed etiam æstate, etiamsi propriam in actiuis qualitatibus, calore scilicet naturam seruauerit, quin etiam alios aliquando superuenire posse, in præsentia eos recenset, docetque simul, quales futuri sint, si æstas, aut pluuia, aut sicca extiterit; dicit enim morbos in æstate contingentes post huiusmodi constitutionem, si æstas sicca fuerit, breues reddi, quicunque tandem sint, si pluuiosa, diuturni. Et iure quidem merito, quòd humores excrementosi ambientis calore per vniuersum corpus fusi meatibus corporis patefactis promptè discutiuntur: siccitate verò accedente humiditates superfluæ consumuntur: vnde vniuersum corpus in consensum trahitur, sicque citò morbi huiusmodi desinunt: vnde siccitates humiditatibus salubriores dicebat Hippocrates tertia sectione Aphor. 15. & secunda sectione Aphor. 25. æstiuas quartanas dicebat, & omnes etiam alios morbos intelligit Galenus similes citò terminari. Vbi verò æstas pluuiosa fuerit, intra corpus collectæ

lectæ humiditates æstiuo calore coadiuuante, promptè putrescunt. Vnde etiam iure meritò subdit Hippocrates ad constitutionem iam dictam æstate superueniente. [*Phagedænas ex omni occasione oriri verisimile est, si vlcus fiat.*] Phagedænę nomen, vt in præsentia omittam, quæ à Columella libro nono de Re rustica, capite decimotertio traduntur de lue apum, quæ phagedæna dicitur, & quæ à Veterinariæ scriptoribus de morbo crurum equorum, qui etiam phagedæna dicitur, à nostris vermis, apud nostros Medicos plures morbos significat. Quocirca optimum esse duxi ea tradere significata, vt colligere nobis liceat, quid hoc loco per phagedænas intellexerit Hippocrates. Sumitur igitur φαγέδαινα quandoque pro ventriculi affectione quadam, qua stomachus vehementer appetens cibum, immodicè sumit, nec satiari vorando potest. Quomodo sumpsisse videmus auctoré definitionum medicinalium, cùm dicit: φαγέδαινα κὶ κατάστασις, καθ' ἣν ὀρεγόμενοι πολλῆς τροφῆς καὶ λαμβάνοντες ἄμετρον, οὐ κρατοῦσιν αὐτῆς, ἀλλ' ἐξεμοῦντες πάλιν ὀρέγονται. quibus verbis voluit phagedænam esse constitutionem, in qua multum appetimus cibum, sumentesque immodicum, non omnes retinent, sed vbi eiecerint, rursus appetũt. Cælius etiam Aurelianus Chronicon libro tertio, capite tertio, de hoc morbo ita scribebat: Est etiam phagedæna ex stomachi passionibus, qua affecto sequetur vehemẽs cibi appetẽtia, quam Græci ὄρεξιν appellant, & coaceruata accipiendi cupiditas, & immasticata deuoratio: hoc ipsum etiam docuit Galenus tertio in sextum Epidemiorum 37. & Plinius libro 27. capite 11. Sumitur verò à Galeno & cæteris pro vlcere exedente, & serpente, nomine à symptomate sumpto, vt optimè docuit Galenus libro secundo Methodi med. capite 2. differt verò ab herpete, quòd in phagedæna semper sit vlcus, in herpete verò non: quotiesque cum exulceratione est, non vtique seruata veteri sede, vicinas partes depascit, si sicuti nomen ipsum indicat, ritu serpentis bestiæ relicto priori loco transit ad alterum. Sumitur verò phagedæna ꝓ vlcere duobus modis, aliquando communiori modo, vt omne vlcus exedens, & depascens continet: Sic genus est ad Chironium, Telephiumq́ue vlcus, tum & ad cancrum, & ad particulariter appellatas phagedænas speciatim sumptas. Hincq́; facilè apparens in Galeno contradictio tollitur, qui aliquando phagedænam à Chironio & Telephio vlcere tanquam commune genus à suis speciebus distinguit, vt 14. Meth. med. cap. 17. lib. de Tumor. præt. natur. cap. 14. alibi autem, vt 2. Meth. meden. cap. 2. & 5. Aphoris. 22. & 6. Aphoris. 45. quin & Paulus cùm libro 4. cap. 44. de phagedænis, cap. 46. de Chironiis & Telephiis vlceribus seorsum tractauit, hoc ipsum demonstrat, non tanquam genus à speciebus, verùm non secus ac tertiam ab illis maligni, contumacisve (Grecè κακοήθους) vlceris speciem secerni ostendens: nam docebat Galenus 6. Aphor. 45. & 3. Comment. in lib. de Humor. 26. antiquos vlcera omnia, quę semper maiora, & deteriora fiunt, phagedænas appellasse, quomodo sumptum nomen hoc, & Telephia, & Chironia vlcera, & alia huiusmodi continet. Posteriores autẽ, dicit Gal. ea distinguere cogitàrũt, propriã singulis dantea significationem, & appellationẽ, & quædã eorũ Chironia, quædam Telephia, quædam phagedænas appellàrunt, & alias adhuc magis curiosas afferentes appellationes; secundo hoc modo, prę terquàm duobus primo loco propositis locis Galen. tum & recentiores Gręci, & Latini Medici phagedænas sumpserunt. Priori verò vniuersaliori illo modo semper Hippocrates, vt videre licet 6. Epid. sect. 3. part. 37. & lib. de Humoribus, loco citato, quomodo etiam hoc loco sumpsisse credendum est. Est autẽ vlcus tumidum, profundum, vicinas partes corrodens: in phagedæna enim vlceri tumor coniunctus est, vlceris ipsius labra circumstans: eoque differt inter cætera ἀπὸ τῆς νομῆς, quæ sine tumore exedit. Profundum autẽ est, hoc est, cũ cute subiectam etiam carnẽ attingit. Eoque ab herpete distinguitur, qui solius cutis exulceratio est. Id quia pergere pascendo solet ab ægris particulis ad eas, quæ integræ sunt, atque harum semper aliquid ægris adiicere, φαγεδαίνης nomen sortitum est. Asserit igitur Hippocrates, si vlcus fiat in aliqua parte in huiusmodi constitutione, malignum, serpens, & corrodens fieri. Nec certè præter rationem: nam si materia, vnde generantur, est atra bilis, vitiosusque, & corruptus sanguis, qualis in cacochymia reperitur, vt docet Galenus 2. Meth. med. & 14. tum & libro de Tum. præter nat. tum & salsa, nitrosáve pituita, præcipuè atræ bili, aut melancholico succo admixta, ab aliquo calore acrior reddita hyeme calida, & humida, & austrina præcedente, in qua & sanguis multus, & pituita generari potuerunt. Superueniente mox vere frigido, & sicco, humores ij superflui, & excrementitij, si in aliquam partem debilem incidant, diutiua retenti, & ab ambiente frigido quasi carceribus conclusi, si tandem erumpãt, vlcus malignum, & phagedænas excitant, quòd sanguis ille diutiua firmatus alicubi extra locum proprium in atrum humorem degenerauerit: potissimùm verò callosa vlcera etiam fient ob frigiditatem ambiẽtis, & siccitatem, quæ in vlceribus etiam solet duritiem facere.

Et intestinorum læuitates, & hydropes ferè desinentibus reliquis morbis superueniunt: non enim ventres facilè exiccantur.] Et ij morbi sunt ex iis, qui post huiusmodi constitutiones accidere solent tempore sequenti, nempe æstate, imò & autumno. Inquit enim desinentibus aliis morbis fieri intestinorum læuitates & hydropes. Cùm enim morbi, qui vere accidunt, omnes ferè à defluente materia à capite ad partes infernas pendeãt,

facilè, si ventriculus diutiùs materiam eam excipiat, tandem imbecillior redditus lienteriam excitabit, non enim veram lienteriam crediderim ipse intelligi hoc loco ab Hippocrate, sed etiam cœliacam passionem. Est verò lienteria sic communiter dicta, cùm cibus, vel vt comeditur, deiicitur, vel parum immutatus. Docet autem Hippocrates libro de Affectionibus, lienteriam esse, cùm cibaria non putrefacta, liquidaque demittuntur. Dolor autem non adest, & corpus emaciatur. Et quidem meritò: B quia cibus non transit in sanguinem, sed exit inconcoctus. Docetque eodem loco Hippocrates tunc fieri, quoties de capite superiorique ventriculo in inferiorem pituita magnoperè defluit. quod cùm fit, cibi ab ea refrigerantur, humescuntque, non putrefactique statim demittuntur, corpusque tabescit, partim cibariis non concoctis, cùm non multum in ventriculo steterint, partim nimio ventriculi calore. Tertio etiam de Diæta dicebat Hippocrates, C lienteriam fieri ex frigiditate, & humiditate: ex frigiditate namque non concoquunt, ex humiditate egerunt. Quòd si per lienteriam, eam, quæ ex sola imbecillitate retentricis facultatis intestinorum fit, in qua cibus crudus, aut semicoctus deiicitur, velimus intelligere, vtique nostræ huic constitutioni optimè accommodabitur. Cùm enim dixerit in vere hoc boreali sicco, & frigido, dysenterias maximè inualescere, facile est æstate sequenti lienterias ma- D ximè vigere, si quæ à Græcis Medicis diligenter ad pensum ducantur: nam libro Definitionum medicarum Galeno adscripto scriptum est, lienteriam malum esse, quod intestinorum tormina plerunque sequitur, cum multis cicatricibus ab exulceratione factis: iisque inductο læuore non retinent cibos intestina; sed antequam à ventriculo coquantur, celerrimè excreta delabuntur, simplicia, non cocta, & qualia paulò antè sumpta fuerunt. Sed hoc est mor E tis indicium. Paulus etiam libro tertio, capite quadragesimo duplicem intestinorum læuitatem ponit, alteram iam dictam, & descriptam ex Galeno, quæ ex intestinorum exulcerationibus, & cicatricibus inducitur: & alteram ex imbecillitate, & languore virium, quę alimenta in stomacho retinent, & concoquunt, & hâc cum Cœliaca confundi credidit: in qua vtique languente, & imbecilla stomachi virtute cibi neque coquuntur, neque in corpus distra- F huntur, sed molles, crudi, perliquidi, imperfectique euadunt, continuo fluxu tentata aluo. Sed in intestinorum læuore celeriùs, quàm in Cœliacis, quę assumpta sunt alimenta, deiiciuntur, tamque graui cruditate, vt assumpti quoque nutrimenti genus liquidò inde cognoscatur, & iis quidem Cœliaci distinguuntur. Manifestiùs etiam Aëtius libro primo Tetrabibli tertiæ hanc rem iis verbis ostendit: Lienteria, quemadmodum ipsum nomen ostendit, læuor

A quispiam intestinorum est, qualis etiam forinsecus in corporis cuticula, ex cicatrice contingere solet. Oboritur autem frequenter dysenteria magna præcedente, & ex profunda exulceratione cicatrice densa, & leui succedente, quæ deinde ob densitatem quidem suam ciborum per corpus digestionem fieri non permittit, cùm sane venarum ora sint veluti obturata: venarum, inquam, quæ alimentum ex intestinis ad se auellunt. Ob læuorem verò statim cibum, priusquam permutationem, & perfectam coctionem admittat, delabi sinit. Cæterùm (ponit secundam speciem) lienteria ipsa propriè ex permutantis cibos, ac digerentis facultatis debilitate contingit: cuius signum est, quòd cibi crudi, & nihil immutati excernuntur. Quę rario etiam ex hoc corroboratur, quòd non solùm à dysenteria hæc affectio oboritur, sed & post frequentia voluulosa tormina, & post longum profluuium ventris. Ex quacunque igitur causa lienteris orta sit, ægri cibum nō sentiunt, & malum corporis habitum acquirunt, quod vtrunque malum incorrigibile existit. Et propterea hoc loco postquam dixit, & lienteriæ, quas nos læuitates intestinorum traduximus cum Celso, qui capite decimosexto libri quarti ex torminibus, inquit, id est, dysenteria intestinorum læuitas oritur, quæ continere nihil possunt, & quicquid assumptum est, imperfectum protinùs reddunt. Subdit & hydropes: quæ quamuis hos morbos sequi soleant, læuitates tamen intestinorum vt plurimū sequi solent, vt ex Aëtio optimè docuimus: Hoc tamē etiam manifestè admodum Hippocrates (si modò liber ille Hippocrati attribui potest) libro primo de Morbis versus principiū docuit, cùm inquit; Sæpius enim aluo fluente læditur operatio concoctricis facultatis ventriculi, vnde cruditates sequūtur, quæ postea auxilio secundæ concoctionis in hepate factæ nō emendantur: vnde etiā imperfecta in hepate concoctione facta, serosi, & crudi humores ad generādam hydropem facilè aggregantur. Quinimò libro de Affectionibus docebat Hippocrates in lienteria, nec in ieiuno intestino, nec in cæteris tenuibus contineri alimentum: nec venas meseraicas, quòd debiliores factæ sint, per quas iecur ad se trahit alimentum, subseruire visceri ad deductionem, vnde sequitur hydrops: maximè cùm tanta copia materiæ à capite ad ventres inferiores transmissa non possit aut ab interno calore, aut ab ambiente consumi.

VII.

Ἢν δὲ τὸ θέρος ἔπομβρον γένηται, καὶ νότιον, καὶ τὸ μετόπωρον ὡσαύτως, χειμῶνα ἀνάγκη νοσερὸν εἶναι, καὶ τοῖς φλεγματίῃσιν, καὶ τοῖς γεραιτέροισι τεσσαράκοντα ἐτέων καύσους γίνεσθαι εἰκός. τοῖσι δὲ χολώδεσιν, πλευρίτιδας, καὶ περιπλευμονίας.

Si autem æstas pluuiosa sit, & austrina, similiterq;

literq; autumnus, necesse est hyemem esse morbosam, & pituitosis, & ijs, qui quadragesimum annum excesserunt, febres ardentes fieri verisimile est: biliosis verò pleuritides & peripneumonias.

Post duorum priorum temporum constitutiones diligenter coosideratas, morbosque in ipsis, aut post ipsas vagentes propositos, nuoc duorum aliorum temporum constirutiones varias prosequitur; & in præsentia æstatem, & autumnum deta secundùm propria temperamenta paritate cōstituit eiusdem intemperiei austrinæ scilicet, & pluuiosæ multum excedentis. Non contentus autem fuit dixisse æstatem pluuiam, nisi dixisset etiam esse austrinā, vt in caliditate simul, & humiditate peccare osteoderet vtraque tempora. Obseruandum autem est cootextum Galeni tertio Aphoris. commentario 13. Græcum tam Basileę impressum, quàm qui ab Aldo impressus est, deprauatū esse: adducens enim ea, quæ ab Hippocrate in tertia hac constitutione proponuntur, ad verbum, habet hæc verba: ἢν δὲ τὸ θέρος αὐχμηρὸν καὶ βόρειον γένηται, καὶ τὸ μετόπωρον ὁμοίως, χειμῶνα ἀνάγκη νοσερὸν εἶναι. cùm alioqui Hippocrates omnino opposito modo legat, ἢν δὲ τὸ θέρος ἔπομβρον γένηται καὶ νότιον, καὶ τὸ μετόπωρον. quod animaduertens Leoniceous vertit optimè: Si verò æstas pluuiosa fuerit, & australis, & autumnus similiter, necesse est hyemem fore insalubrem, &c. vbi etiam notandum est, Basiliensem librum, & Aldinum in libro de Aërib9, aquis, locis, esse defectuosum; nam legitur καὶ τὸ μετόπωρον, neque addit ὁμοίως, quod addendum esse manifestè patet ex loco citato Galeni, tum etiam ex Alemani libro. imò & Cornarius, qui hunc librum vertit, videtur in suo libro eam habuisse, cùm vertit; similisque sequatur autumnus. Morbi verò, qui ex huiusmodi constitutione procreati sunt, non euenerunt in ipsis intemperatis temporibus, quòd noxa, quæ ex æstate pendebat, non multum excedebat: siquidem vbi pluuiæ sint assiduæ, non ita vehemens potest esse caliditas, vnde semina solùm tunc iaciebat morborum in hyeme suam seruante naturam venturorū: An in autumno igitur hac ratione non euenēre? Accedit, quòd putredo non materiam modò, in quam calor agat, & calorem, quo in materiam fiat actio, requirit, sed etiam prohibitam transpirationem, qua eleuati vapores ex actione caloris in materiam impediantur, quò minùs transeant. Autumnus autem cùm calidus sit, & humidus, mollia potiùs, laxa, & rara corpora relinquit. Hyeme verò suam seruante naturam, frigida, clausis corporis occultis poris, materia, q̃ alioqui putrescebat actione caloris inclusi, & quæ quantitate excedebat potissimū in pituitosis, & senioribus vltra quadragesimū annum febres ardētes causabit. Cùm verò causi duæ potissimùm statuantur species ab Hippocrate libro quarto de Ratione victus in acutis, certum est Hippocratem non de prima specie causi iotelligendum esse. Fit enim hæc à biliosa materia: hęc autem potiùs calidam, & siccam temporum constitutionem sequitur, in qua potissimùm bilis produci solet. At hîc humidem, & pluuiosam, calidam tamē habemus vtrorumque temporum constitutionem, & in pituitosis naturis, senioribusque, has ardentes febres fieri dixit, & in hyeme. Quibus fit verisimile Hippocratem loqui de alia specie, quæ fit à pituita salsa, de qua loquitur idem libro quarto de Ratione victus in morbis acutis, decimotertio, cùm dicit; Causi genus aliud, aluus soluta, sitis magna, lingua aspera, salsuginosa. Cùm enim ob temporum humidam naturam multa pituita sit genita, & ex earū quidem specie, quæ calidior esse inter omnes solet, potissimùm autem in pituitosis naturis, quæ huiusmodi humores excrementitios aggregare soleot, & in senioribus, febrim hanc ardeotē spuriam ex materia pituitosa salsa intra venas putrescente generari verisimile est.

Biliosis autem pleuritides & peripneumonias.] Dubitare facilè quispiam poterit, quare sicut pituitosis ex huiusmodi constitutione spuriæ febres ardeotes euenerunt ex pituita salsa ortæ, biliosis veri causones biliosi non aduenerunt? An quoniam æstate suam seruante naturam, biliosis aucta siccitate potiùs bilem edaugere deberet, & consequenter magis bilem accendere, & putridam reddere. Cùm verò io hac constitutione supponatur humida potiùs, iisdē causis bilem generantibus contraoperabitur, naturæq; eorum squallidæ succurret. Verùm hyeme subsequeote, cùm ob calorem, & humiditatem præcedentium temporum sanguis multus genitus sit, qui ob eorum naturalem temperiem biliosus est, superuenienteque frigore hyemis detruditur, & quasi exprimitur à supernis partibus ad infernas potissimū, aut ad eas, quæ in thorace cootineotur, puta ad pleuram, & pulmones, qui extra locum suum commoratus aliquantulum computrescit, inflammatur, & solutionē maiorē cootinui facit io parte: vnde pleuritis & peripneumonia generatur.

VIII.

Ἢν δὲ τὸ θέρος αὐχμηρὸν γένηται, καὶ βόρειον, τὸ δὲ μετόπωρον ἔπομβρον καὶ νότιον, κεφαλαλγίας ἐς τὸν χειμῶνα, καὶ σφακέλους τοῦ ἐγκεφάλου εἰκὸς γίγνεσθαι, καὶ προσέτι βράγχους καὶ κορύζας, καὶ βῆχας, ἐνίοισι δὲ καὶ φθίσιας.

Si verò æstas sicca extiterit, & borealis, sequens verò autumnus pluuiosus, & australis, capitis dolores in hyeme, & cerebri corruptiones expectare conuenit, ampliusq; raucedines, grauedines, & tusses, aliquibus etiam tabes.

Maxime est io omnibus, quos mihi videre contigerit, Græcis codicibus, in prima parte

huius parriculæ varietas, & in iis quidem, quæ ad essentiam constirutionis pertinent. Basiliensis enim legit, ἢν δὲ τὸ θέρος αὐχμηρὸν γένηται καὶ νότιον, τὸ δὲ μετόπωρον ἔπομβρον καὶ βόρειον. quod est: Si verò æstas sicca fuerit, & australis; aurumnus autem pluuiosus, & borealis, &c. quam eriam lectionem antiquus Aristotelis interpres prima problem. 10. vbi Hippocraris hanc eandem omniuo proponir remporum duorum constitutionem, & morbos in illa vagantes, & eorundem causas, sequi visus est, & alij. Gadaldinus verò ex suo libro aliter legit, & aliqui eum secuti sunt hoc modo: ἢν δὲ τὸ θέρος αὐχμηρὸν, καὶ βόρειον· τὸ δὲ μετόπωρον ἔπομβρον καὶ βόρειον, &c. Alij tumdemũ eo modo, quo eriam uos legimus. Priores autem lectiones omnino sunt reiiciendæ: tum quòd non inueniam constitutionem verè borealem, quæ sit pluuia; tarò etiam australem valdè siccam, hîc autem ess proponit, quæ frequenriùs solenr persentiri. Tum pręterea quòd Hippocrates hanc eandem repetens constitutionem tertia Aphoris. 13. habet eadem omnino verba, quæ hoc loco à nobis posita sunt. Neque dicendũ est, eam ab hac diuersam esse: præter enim quòd Aristoteles hanc in Problematibus sectione prima, problemate decimo ad verbum transcribẽs vtitur iisdem verbis, vt in tertia Aphoris. addir ramen dictionem vnam, quæ tertio Aphorismo ab Hippocrate non fuir posira, sed hoc loco, καὶ σφακελισμὸς τοῦ ἐγκεφάλου. Quod nobis ostendit, eandem omnino credidisse Aristorelem hanc constitutionem, & eam, quæ posita est decimotertio tertiæ sectionis Aphoris. ratio etiam alia omnino conuincit. Certum enim est à diuersis, imò contrariis temporum horum duorum constitutionibus non posse eosdem omnino morbos produci in hyeme: contrariarum enim causarum contrarij, aut diuersi solenr per se esse effectus. Libro autem Aphorismorum ad æstarem siccam, & aquiloniam, autumnum autem humidum, & australem in hyeme voluit sequi dolores capitis, tusses, raucitates, arque grauedines, tum & aliquibus phthises. At hos eosdem morbos iisdem propemodum verbis ad eam coustirutionem sequi hoc loco docet Hippocrates: at, inquiũt, addit hoc loco Aristoteles, & Hippocrates cerebri sphacelismum, id est, mortificationem, quæ posita non fuit libro Aphoris. quasi non etiam in superioribus constitutionibus, quas tamen easdem esse cum illis, quas primo loco posuit Hippocrares tertia Aphor. aliqui morbi positi sint, qui omissi sunt libro 3. Aphoris. cùm hoc loco longiori oratione, & diligentiùs eas prosequatur: libro vero Aphoris. ab hoc libro quasi excerpens summatiè ea proponit. Cornelius eriam Celsus libro 2. capite 1. hanc eandem mutuarus est, & inrerpretatus eleganter, vr sui moris est. Ar si sicca æstas aquilones habuerir, aurumno autem imbres, austriq; fuerinr, rora hyeme, quę proxima est, tussis, distillatio, raucitas, quibusdam etiã rabes oriuntur. Quemadmodum igitur dicebat Galenus Commẽt. 13. duorũ eorum temporũ æstatis, & autumni constitutionem, illi, quæ proposita est Aphoris. 11. hyemis, & veris, similem esse, ita nos hanc, quam præ manibus exponendã habemus, similem esse illi, quæ proposita est in hoc libro, parric. 3. Sicut enim illa hyemem aquiloniam, & siccam habebat, ver aurem austrinum, & pluuium, ita æstas hîc aquilonia est, & sicca: autumnus autem austrinus, & valdè pluuius. Hę constitutiones quamuis hac in re similes sint, illud tamẽ diuersum, nec sanè parui momenri habent, quòd frigida, & sicca ibi hyems, hic æstas; calidũ humidúmque ibi ver, hîc autumnus. Non autem idem retulerit, diuersa anni tempora in diuersum, aut idem temperamenrum aliquando abiisse: minùs enim noxiè contigerit hyemi frigiditatis paulò maioris temperamẽtum, quàm æstati, si salubritatem corporum spectemus, non aurem frugum vbertatem: vni enim naturale id, alteri præternaturale existir. Manifestum autem est vnicuique, prætemaruralia cùm alicui accidunr, maiora inferri pericula. Ar ver, & autumnum exuere proprium remperamẽtum, & calidam, & humidam intemperiem sumere, diuersa, & ab aliis, & inter se ratio existit. Extra enim de proprio temperamẽto ver quamcunque in partem facilè porest. Deterius tamen se habet, cùm ad calidiratem, & humiditatem tenderit, quàm cùm ad frigidirarem, & siccitatem. Cùm enim in æquali caloris, & humoris tempgramenro vita animantium, potissimùm hominis, consistar, si plus iusto caloris humorisque exrranei accersat, putredinis non parum, & perniciosæ quidem accersit. At si plus iusto ad frigidum, & siccum versum fuerit, id solùm nocumenti inferer, quòd ab æquali remperamento suo deturbatum in diuersum abierit. Autumnus econtrà: cum enim natura sua frigidus sir, & siccus, & præterea etiam inæqualis, & hac ratione natura sua exitiosus, si in frigiditate, & siccitate prærerea vlrra propriam recesserit, periculum maius inferet corporibus, q̃ si ad calidum, & humidum vergar: hac enim ratione caloris, humorisque moderatione corrigirur, minusque noxium efficitur. Cùm igitur in præsenri constirurione frigida, & sicca sit æstas, calidus, & humidus autũnus, acto in prærernaruralem statum vtroque rempore sequi morbi & maiores, & deteriores, quàm qui hîc ab Hippocrate adducuntur, debuissent. Verùm cùm caliditate, & humiditate potiùs autumni maliria sit repressa, & intemperies ex intemperata æstate in corporibus ad quoddam remperamentum reducta, & pauciores, & mitiores morbos induci solere docer, & eos in sequens tempus, non secus, quàm in prima constitutione diximus, distrahi solitos, longè tñ, q̃ in illa mitiores, minusq; periculosos: vnde dicit,

[*Capitis dolores in hyeme, & cerebri corruptiones euenire*

nire conuenit, ampliúsque raucedines, grauedines, & tusses, aliquibus etiam tabes.] Hi omnes morbi repleri capitis pituita soboles suot. docet hoc Aristoteles loco citato, vbi hôc Aphorismum proponit, & illius rêddit ratiooem: dicit enim; An quia hýems multum materiæ excepit, itaqoe humorem cogere, atque pituitam inde coosiacere magnum ei negotium est. Quòd si in capite humor constiterit, grauedinem committit, & si nimius, frigidosque est, sphacelismum. Nec oon si ob nimiam sui copiam concrescere minùs potoit, in locum defluit proximum, atque ita tussim, raucedinem, & aliquibus etiam phthisim excitat. Ecce Aristotelem reddere causas primùm grauedinis, & doloris capitis, cùm scilicet pituita concreta sit, & in capite constiterit: si verò non ita crassa sit, sed defluat, & frigida sit, facit sphacelismom. Difficile sanè est hoc loco quid σφακέλου nomine, & σφακελισμοῦ apud Hippocratem intelligendum sit: non enim inter omnes conuenit, quid hęc vox significet, vt optimè docuit Galenus libro secundo de Locis affectis, capite secundo: Sunt enim, qui dicant ipsam vehementem dolorem significare, alij tantùm inflammationis excessum, vt partem ad corruptionis periculum inducat, quæ dispositio à oonnullis Gangræna appellatur. Alij partis affectæ corruptionem ipsam sphacelom dici volũt: alij conuulsionem, alij oon simpliciter coouolsionem, sed quæ ex inflammationis magnitudine expectator. alij simpliciter fortem tentionem. alij putredinem. Hæc Galenus loco citato: at libro secundo de Fracturis, comment. 20. σφάκελον ad ossiũ solùm corruptionem Hippocratem traducere scribit: cùm inquit; Veteres cùm pars ex toto corrumpitur, σφάκελον dixêre: quod vbi carnosis partibus accidit, aliis nominibus appellant: vocat autem Hippocrates carnem, quæ putrescit, σαπρὰν, μυδῶσαν, σηπομένην. atque aliis etiam vocabulis. Et vbi os ex toto corrumpitur, σφάκελον vsurpat: quod vitium ossibus accidit, vbi à subiecta carne perniciosa sanies profluit, atque hæc ipsa irrigando corrumpit. At verò septimo Aphorism. quinquagesimo docet antiquos scriptores σφάκελον partis carnosæ etiam mortificationem ex magnitudine inflammatioois, quam propriè Medici gangrænam vocant, appellasse. Sic Herodotus coxam Cambysis sphacelari scribit: cerebrumq́; ita quispiam diceret sphacelari tantummodò. Quinimò ibidem docet Hippocratẽ vocasse cerebrum sphacelatum, quod tamen os non est. Quioimò etiam asserit sphacelum eo loco impropriè sumi pro gangræna, quæ ad sphacelismum via est: quòd dicat Hippocrates, quibus cerebrũ sphacelatum est, tribos diebus interire; qoos si euaserint, sanos euadere. Quod de vera corruptione capitis intelligi non potest: nam vbi corruptum est, spes nulla salutis esse potest. Quinimò in explanatione vocum Hippocratis σφάκελον corruprionem omnem, quocunqoe fiat modo, significare scribit. Quomodo sæpius vsurpasse Hippocratem constat nomẽ σφάκελος vt in Coacis prędictionibus sæpiùs. Repræhendit Gazam Brasauolus, quòd σφακελίζειν interpretetur Latinè syderatum esse. Et idem putauerit σφάκελον & Latinis syderationem. Probat hoc, quod Hippocrates libro secundo de Morbis, de cerebri syderatione dicat: Si cerebrum syderetur, dolor de vertice in occipitiũ, spinamq́ue tendit, cor algitat, &c. Et libro tertio de Morbis, vbi dicit: Si cerebrum syderetur, caput dolet, ceruix, spinaque, nec audit, friget, totus tumet, repentè mutescit, sanguis de oaribus fluit, liuescit. Sed meo iudicio deridendus est Brasauolus, qui suiipsius armis seipsum confodit. Siquidem duobus iis locis tantum abest vt Hippocrates sphacelismum à syderatione distinguat, vt potiùs eadem ex hac auctoritate esse certum fiat. Vtrobique enim cùm describit hunc affectum, quem syderationem ioterpretes appellârunt, in Græcis contextibus vtitur semper dictione σφακελισμοῦ. Repræhendi fortasse potiùs posset Gaza, qui cùm optimam dictionem Latinam haberet, sphacelismum repræseotantem, nempe syderationem in Problematibus, sectione prima, problemate nono & decimo circumlocutione vsus sit; nam vbi in nono habet Aristoteles ὅτι ταῖς μὲν κυούσαις ὁ τόκος ἐκείνοις εἰς ἐκτρώσεις γίνεσθαι διὰ τὴν θερμασίαν καὶ τὸν σφακελισμὸν τὸν γινόμενον ὑπὸ τῆς ξηρᾶς ψυχρότητος, ἅτε ἐκ ἐκκενουμένης τῆς ὑγρότητος, &c. Gaza vertit: Itaque grauidæ, quibus tunc adest partus, abortu periclitantur, videlicet incalescendi, crudescendique ratione, quæ res syderatio appellata est, quam sicca illa committit frigiditas impatiens omnioo excernendi humoris; cùm verti posset: Itaque grauidis, quibus tunc instat partus, fiunt abortus ob caliditatem, & syderatiooem factam à sicca frigiditate impediente, quominùs excernantur homores: & in sequenti, vbi habet ἐὰν δὲ ᾖ πολλὰ καὶ ψυχρή, σφακελισμοίς. Gaza vertit; Et si nimius, frigidusque est, crudorem vtique mouet, cui syderatio oomen est. Ego sic: Si verò multus, & frigidus, syderatio, siue mortificatio: nescio enĩ qd dictio hęc crudor sit, quídve significare possit. Hoc vnum scio, sphacelismũ nonsignificare. Quid igitur sphacelismi nomine intellexit hoc loco Hippocr. cũ eius tot sint significationes etiá apud eundẽ Hippoc. Ego non aliá certè habere crediderim, q̃ quæ ab ipsomet scripta est libro 2. de Morbis; quamuis eoim dubitatum sit, sit'ne liber ille Hippoc. magni, oécne, saltem in omnium opioionem venit, si nón sit magni Hippoc. ob nonnulla, qoę nó ita genuinam omnino Hippoc. doctriná, & dictionem sapiunt, saltem eius filij Thessali fuisse, quem saltem in nomenclatura morborum non est verisimile à patre fuisse discordem. In eo igitor libro capite inscripto σφακελισμὸς ἐγκεφάλου morbũ

cerebri sphacelismum dictum his verbis descri bit: Si cerebrum sphacelatum fuerit, dolor ex capite spinam occupat, & ad cor animi deliquium procedit, & sudor adest, & somni expers est, & ex naribus sanguis fluit: sæpe etiam sanguinem vomit. Corrumpitur autem cerebrum tali modo, cùm aut nimium calefactus, aut perfrigeratus, biliosus, aut pituitosus plus solito factus fuerit. Vbi verò hotū aliquid parpessus fuerit, etiam spinalem medullam supercalefacit. Et cùm etiam hic percalescit, dolorem spinæ inducit. Animo verò linquitur homo, cùm pituita aut bilis ad cor confluit. Consistere autem necesse est commotis, ac humectatis. Sudor autem fit præ dolore. Sanguinem verò vomit, cùm venæ, quæ sunt in capite, à cerebro fuerint calefactę, & sanguis in ipsis afferbuerit; quæ quidem in capite sunt venæ, distribuunt ipsum ad nates, & os. Quæ verò circa spinam sanguifluæ, in corpus. Hic tertia, aut quinta die perit. Mox alium eiusdem nominis morbū ponit his verbis: Derepentè dolor occupat caput, statim vox intercipitur, & sui impotens fit. Hic in septē dieb⁹ moritur, si nō febris inuaserit. Si enim hæc inuaserit, sanus euadit. Patitur autem hæc, cùm atra bilis ipsi in capite commota fluxerit, maximè in partem, in qua plurimæ sunt venæ, in collum inquam, & pectus. Deinde postridie syderatus fit, & impotens, sanguine nimirum refrigerato. Et si superior euaserit, ita vt sanguis calescat, siue ab his, quæ exhibentur, siue à seipso attollitur, & diffunditur, ac mouetur, & spirationem inducit, & spumescit, & à bile separatur, & sanus euadit. Si verò superior non euaserit, adhuc magis perfrigeratur, & vbi penitùs perfrigeratus fuerit, & calor ex ipso defecerit, congelatur, & moueri non potest, sed moritur. At si ex ebrietatibus hoc contingat, idem moritur. Qua descriptione mea sententia morbum, qui à Græcis ἀποπληξία dicitur, à nostris morbus attonitus, describere videtur. Si eñ sphacelismus est corruptio, impedito motu, & transitu spirituum, actio omnis tollitur, & subinde mortificatio succedit: quod in apoplexia accidere docent Medici. Libro etiam tertio de Morbis (cuiuscunque tandem sit liber ille; certum tamen est antiquioris, & docti Medici esse) versus principium, postquam morbum, cuius titulum fecit ΒΛΗΤΟΙ, qđ caput interpres Carmanus ita interpretatur, Syderati, incipit sic: Qui icti, & syderati dicūtur, cùm cerebrū multa immunditia vitiosorum humorum replatum fuerit, anterior capitis pars primùm dolorem ipsis exhibet, & suspicere nō possunt, aliqui ambobus oculis, aliqui altero, & sopor ipsos tenet, & desipiunt, & tempora saliunt, & febris tenuis habet, & corporis impotētia. Hic tertia, aut quinta die moritur, & ad septem non deuenit. Si verò deuenerit, à morbo euadit, &c. Hic morbus licèt ab interprete syderatio dicatur, nō tamen ab Hippocrate dicitur sphacelismus. Sed is, qui sphacelismi nomine insignitur, est sequens, vbi habet Hippocrates pro inscriptione σφακελισμὸς ἐγκεφάλου, id est, capitis sphacelismus, siue syderatio, mortificatio syderatióve. Si sphacelo caput corripiatur (inquit describens morbum) dolor caput tenet, & p collum procedit ad spinam, & æger non audit: & frigus ad caput deuenit, & totus intumescit, & derepentè priuatur voce, & ex naribus sanguis fluit, & liuidus fit. Quòd si morbus leuiter corripiat, vbi sanguis discesserit, meliùs habet. Si verò vehementer correptus fuerit, citò perit. Vel igitur putredinem cerebri, vel certè vehemētes obstructiones, ex quibus subita mors proueniat, vt apoplexias, producit. Sed quomodo in Comment. 13. tertij Aphoris. in hac constitutione nullum morbum magni momenti excitari dixit præter phthisim, si etiam accidit sphacelismus, qui perniciosissimus est? Anne dicendū est subdititiam hanc esse sententiam: quòd Galenus cùm in Aphoris. 13. adduxisset huiusmodi seriem, omnino qualis est, hæc dixerit, nullam prorsus similem in libro de Aëribus, aquis, locis, Hippocratem adduxisse sentētiam, sed aliam, quæ in Aphorismis non est posita, in qua dicit: Si verò æstas austrina fuerit, & pluuia, & similiter autumnus, necesse est hyemē fore insalubrem, deinde quasdam alias, quarum nulla eodem modo se habet, quo hæc, quæ scilicet in tertio Aphoris. 13. posita est. An potiùs dicendum est, Hippocratis codices etiā tempore Galeni fuisse deprauatos, & nō habuisse hanc sententiamę aut si habuerint, eam non secus mendosam, q̃ etiam multi ex iis, qui extant potissimùm impressi, habuisse, quemadmodum ab initio docuimus. Video enim Aristotelem Galeno multò antiquiorem hanc integram sententiam ex hoc loco transcripsisse. Neque dicendum est, sumptam esse ex tertio Aphoris. siquidem nullam eo loco sphacelismi facit mentionem Hippocrates: de qua tamen luculenter Aristoteles, cuius etiam eam sam eo loco tradidit. Quod verò me magis mouet, vt hoc credā, est Galenus, qui dicit, post illam, in qua & æstas, & autumnus australes fuerint, & pluuiales, Hippocratem alias posuisse, non autē hanc. At si hæc tollatur ab hoc loco, vna sola superest, in sequenti commento exponenda. Vt igitur non vna sit, sed plures, dicendum est fortasse, Galenum etiam ipsum habuisse deprauatum codicem, vt & nos habere multos docuimus: legisseq; fortasse, si æstas sicca fuerit, & austrina, autumnus verò econtrà humidus, & borealis, vt antiquus Aristotel. interpres videtur habuisse prima Problematum. Aut: Si verò æstas sicca fuerit, & australis, autumnus autem pluuius, & australis, vt Basiliensis Græcus liber habet. Vel sic: Si verò æstas sicca sit, & borealis, autumnus autem pluuius, & Borealis, vt Gadaldinus in antiquo suo Græco manuscripto habet: Sicque hac ratio-

ne

ne fortasse censuit, nullam in hoc libro similem posuisse Hippocratem constitutionem ei, quæ posita est in 13. tertiæ sect. Aphorism. Quo sic stante dixit nullum morbum perniciosum fieri in ea constitutione præter phthisim: Nos verò etiam mitiores diximus, quoniam ex multis perniciosus solus est sphacelismus, qui alioqui rarus etiam est: Et propterea in 3. Aphor. loco citato omissus: & tabes: quæ quamuis lethales sint, causam tamen vehementẽ, quales morbi habent, qui in priori illa constitutione enumerantur, non habent: sunt enim putredinosi, febres acutæ, & graues dysenteriæ; sæpe enim illam distillatio solùm quædam pulmoni (modò expositus iniuriæ sit) incumbens, creare solet. Atque eadem illa plurimas partiũ aliarum si infestarit distillationis causa, parum illis noxæ allatura sit: eadem etiam phthisis sæpe ambientia aëris frigiditate sola, alteriúsve alicuius leuioris causæ occursu, vt casu, percussione, vociferatione, talibúsve disrupta venula, nulla autem altius insidente in corporibus ex constitutione malo facta sequetur.

IX.

Ἢν δὲ βόρειον ᾖ καὶ ἄνυδρον, καὶ μήτε ὑπὸ κύνα ἔπομβρον, μήτε ἐπὶ τῷ ἀρκτούρῳ, τοῖσι μὲν φλεγματίῃσι φύσει ξυμφέρει μάλιστα, καὶ τοῖς ὑγροῖς τὰς φύσιας, καὶ τῇσι γυναιξίν. τοῖσι δὲ χολώδεσι τοῦτο πολεμιώτατον γίνεται. λίην γὰρ ἀναξηραίνονται, καὶ ὀφθαλμίαι αὐτέοισιν ἐπιγίγνονται ξηραὶ, καὶ πυρετοὶ ὀξέες καὶ πολυχρόνιοι, ἐνίοισι καὶ μελαγχολίαι. τῆς γὰρ χολῆς τὸ μὲν ὑγρότατον καὶ ὑδαρέστατον ἀποξηραίνεται, καὶ ἀναλίσκεται. τὸ δὲ παχύτατον καὶ δριμύτατον λείπεται. καὶ τοῦ αἵματος κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον. ἀφ᾽ ὧν ταῦτα νοσεύματα αὐτέοις γίγνεται. τοῖσι δὲ φλεγματίῃσι, ταῦτα πάντα ἀρωγά ἐστιν. ἀποξηραίνονται γὰρ, καὶ ἐς χειμῶνα ἀφικνέονται, ὑπ᾽ ἄλλων τ᾽ ἐς ἄλλα ἀναξηραινόμενοι.

Si verò borealis fuerit, & siccus, neq; sub Cane pluuiosum sit tempus, neque sub arcturo, pituitosis natura conferet maximè, & qui natura sunt humida, & mulieribus: Biliosis autem infestissimus existit: valdè enim exsiccantur, lippitudinesq; siccæ superueniunt, & febres acutæ, & diuturnæ, & aliquibus melancholiæ: siquidem quod liquidissimum est, & aquosissimum in bile, resiccatur, & consumitur: densissimum verò & acerrimũ relinquitur: quod idem secundum eandem rationẽ accidit etiam circa sanguinem. Vnde etiam y morbi ijs accidunt. Pituitosis verò hæc omnia auxilio sunt: exsiccantur enim, atque in hyemem producuntur minimè humecti, sed resiccati.

Nisi quis diligentiùs hanc particulam considerauerit, non ita facilè poterit intelligere primam illius partem. Cùm enim nõ doceat Hippocrates, de quo tempore loquatur, quamuis Cornarius autumnum addiderit in interpretatione, non satis intelligi potest, de quo tempore sit intelligendum. Cùm potissimùm dicat borealis fuerit, & siccus, neq; sub canicula pluuiosus. Canicula autem sola æstate nascitur: vn de videtur intelligere de æstate. Si verò aliud consideremus, quod subdit [*neq; sub arcturo*] cùm eo exoriente autumnum inchoare statuãt, procul dubiò videtur intelligendum de autumno. Accedit, quòd Hippocrates cùm hunc eundem Aphorismum in 3. sect. aphoris. reperit, hoc de autumno intelligit. Et Aristoteles 1. sect. probl. 11. & 12. cùm totam ferè hãc Hippocratis seriem transcribit, quærit, cur autumnus siccus pituitosis salubris, biliosis verò noxius sit, sententiã hanc Hippocratis de autumno intelligendam esse ostẽdit. Et Celsus, cùm lib. 2. cap. 1. eandem transtulit elegãtissimè in Latinum sermonem. Galenus tamen tertia Aphor. 14. manifestè docuit, quid hac in re dicendum sit pro hac difficultate tollenda. Quòd Aphor. 14. vnam faciat cum superiori constitutionem, quantum ad æstatem attinet: quamuis in autumno omnino contrariam tradat. Cùm enim dixisset, si æstas borealis sit, & sicca, autumnus autẽ austrinus, & pluuius, &c. subdit in alio Aphorismo, & in hac particula: Si verò sit borealis, & siccus, id est, autumnus, eandem tamen seruante temperaturam æstate, frigidam nimirum, & siccam: neq; in æstate sub cane tempus sit pluuiosum, neque sub arcturo, id est, in primis diebus autumni, in quibus exoritur arcturus, quibus temporibus solent sæpe pluuiæ euenire, pituitosis natura conferet. Biliosis autem econtrà maximam noxam inferet. Brasauolus tamen in expositione citati Aphorismi, nescio quo cõsilio, hic se non tantùm Galeno, sed & Aristoteli, & Celso, imò Hippocrati ipsis opponere audet; dum Hippocratẽ hoc loco de æstate autumno opposita, nempe humida, & austrina, posse intelligi contendit: non animaduertens ea, quæ in contextu Aphorismi, & magis huius particulæ sequuntur, huic falsæ opinioni refragari. Qui enim fieret, vt æstas humida, & austrina pituitosis & mulieribus conferet? Accedit, quod manifestè docet Galenus, ambo tempora æstatẽ, & autumnum, esse sicca.

Καὶ μήτε ὑπὸ κύνα ἔπομβρον, μήτε ἐπὶ τῷ ἀρκτούρῳ. q*d* est; *Neq; sub cane pluuiosum, id est, sit tempus, neq; sub arcturo.*] Obseruandum est, Aldinum codicem Græcum non habere prima verba, μήτε ὑπὸ κύνα ἔπομβρον: sed legere, καὶ μήτε ἐπὶ τῷ ἀρκτούρῳ ἔπομβρον. quomodo si legamus, nulla erit difficultas in principio proposita, quin intelligamus de autumno, cùm arcturi solùm fiat mentio, à cuius exortu Medici autumnum inchoare solent. Satisque hæc lectio mihi arridet. Liber autem vnus ex iis, quos videre nobis contigit, ex antiquis manuscriptis emendatus, cuius copiam nobis fecit præstantissimus omniũ nostri tem-

poris Philosophorũ Octauianus Ferrarins præceptor meus habet sic; κ̀ μήτε ἐπὶ τῷ κυνὶ, μήτε ἐπὶ τῷ ἀρκτούρῳ ἔπομβρον. quomodo si legamus, sic posset interpretari; & neq; post caniculam, id est, post dies caniculares; namque ἐπὶ præpositio, vbi cum datiuo ponatur, quandoq; post significat: sicque semper sermo esset de autumno. Maluimus tamen communem Basiliensis libri sequi lectionem: quoniam, quemadmodom ab initio docuimus, supponit Hippocrates in hac constitutione æstatem frigidam, & siccam, & **B** autumnum eiusdem temperamenti. Mox, inquit, quòd si hęc duo tempora talia fuerint, nec sub canicula pluat; & hoc respicit æstiuum tempus: neq; sub arcturo assiduè, vt solet, fiant pluuiæ: & hoc autumnũ respicit. Quocirca repræhendendus est Germanus interpres, q in priori sua traductione ita vertit: Quòd si borealis sit autumnus, & siccus, neque sub caniculam, neque sub arcturi occasum pluuiosus. Vbi manifestè per illa verba, ἐπὶ τῷ ἀρκτούρῳ, intellexisse oc- **C** casum eius signi constat: cùm arcturi occasus non in autumnum incidat: nam si pro tota imagine Bootis intelligatur, quod aliquando fit, solet obseruari eius occasus circa 8. Calend. Iunij. Si verò pro lucida illius imaginis, id fit circa 8. Idus Iunij. Hi verò dies in autumnum non incidunt. Hac igitur hoc modo se habente constitutione inquit Hippocrates, [*Pituitosis natura confert, & qui natura sunt humida, & mulieribus.*] seipsum mox explicat Hippocrates, & huius rei **D** reddit rationẽ, cùm in fine particulæ dicit, [*exsiccantur enim, & in hyemem perueniunt, nõ humecti, sed resiccati.*] duæ hic ponuntur rationes, quę etiam ab Aristotele loco citato vberius sunt propositæ, & explicatæ, cùm inquit; cur si æstas sicca, siccusque autumnus, & aquilones habuerit, mulieribus, & pituita laborantibus secunda valetudo contingat. An quia natura vtrorumque in alteram exuberet partem. Itaque tempus in partem trahendo contrariam, ad medium ha- **E** bitum, bonumque perducit. Eo igitur tempore optimè valent, nisi quid vltrò ipsi perperam agant, aut etiam quòd non humidi in hyemem deueniunt, vnde adustioni in frigore fomes solet excitari. Ecce Aristotel. ab Hippocrate hoc loco omnia mutuantem: cùm enim contraria contrariis sint remedio; ac supponatur in naturis iis humidis pituitam, & humiditatẽ nimis exuberare, sicco remedio opus erat, vt bene se habere posset. Vnde frigida, & sicca æstate, & **F** autumno etiam similis temperamenti existente, bene se habebunt. Maximè (& hæc est secunda causa) cùm soleãt huiusmodi naturę in hyeme malè se habere ob temporis illius peculiarem frigidam, & humidam naturam: quæ cùm omnia in consensum trahat, necessariò etiam pituitosas, & humidas naturas in intemperie augeret, & humiditatem superfluam etiam illis adderet. Vbi igitur exsiccatæ fuerint huiusmodi naturæ mediante frigida, & sicca horum

A temporum intemperie, sperandum & humiditate hyemis nõ multum præualere valente, huiusmodi corpora bene se habitura. Neque facilè ex constipatis ab hyeme corporis poris putredines excitari poterunt.

Biliosis autẽ infestissimus existit: valdè enim exsiccantur.] Oppositis naturis, biliosis scilicet, constitutionem hanc infestissimam esse scribit; reddit rationem, quia, cùm siccæ sunt, exsiccantur nimis. Sed præstat hic ea apponere, quæ ab A- **B** ristotele prima Problematum, problem. 12. de hac repropositа sunt. Quærit enim, cur si sicca æstas, & aquilonia, & autumnus siccus iisdem aquilonibus perflatus morbis biliosos infestet. Respondet. An quoniam ad idem, corpus eorum, ac temporis habitus vergunt. Itaque veluti ignis igni adiicitur. Cùm enĩ corpora exsiccentur, quantumque in iis dulcedinis erat, euaporatum sit, vehementerq; incalescant, necesse est, vt dum humor consumitur, aridæ lip- **C** pitudines oriantur. Et hoc est, qood subdit Hippocrates, [*lippitudinesq; siccæ superueniunt, & febres acutæ, & diuturnæ, & aliquibus etiã melancholiæ.*] Tradit morbos peculiares biliosorum in hac constitutione, dicitq; esse lippitudines siccas, acutas febres, & diuturnas, tum & melancholias. Qui verò sint ij morbi, & quales, iam à nobis explicatum est; sed qua ratione eueniant, explicat Hippocrates, & ita explicat, vt nulla ferè explicatione maiori indigeat: cùm inquit, [*siqui-* **D** *dem quod liquidissimum est, & aquosissimum, in bile resiccatur, & consumitur, densissimum verò, & acerrimum relinquitur.*] vbi obseruandum est, in codicibus Græcis aliquam esse varietatem. Basiliensis enim, & Aldinus habent; τοῦ γὰρ χολῆς τὸ μὲν ὑγρότατον καὶ ὑδαρέστατον ἀναλοῦται. quod est; siquidem quod est bilis, liquidissimum, & aquosissimum insumitur. Nos verò loco ἀναλοῦται posuimus duas dictiones, ὑπεξηραίνεται καὶ ἀναλίσκεται: quod est; resiccatur, & consumitur, adiuti dictis exempla- **E** ribus, tum etiam Galeni lectione in Commentario 14. tertij Aphoris. vbi hanc referẽs sententiam, illis duabus dictionibus vtitur. Lippitudines igitur siccæ fiunt, crasso humore non valentè extrà pelli: maximè cùm externæ membranæ ambientis nimis siccitate, & frigiditate crassiores redditæ exitum impediant. Febres etiam acutæ, & diuturnæ; quoniam biliosi humores nimis exsiccãtur, & subtilissima & aquosissima pars resoluitur: crassa autem permanet. **F** Sed hæc ratio de diuturna febre solùm valere videtur, non autem de acuta. Propterea dicamus, quòd in actu resoluendi biliosa materia non resoluitur, sed aquosissima: & propterea vsus est iis dictionibus, ὑγρότατον καὶ ὑδαρέστατον, biliosa autem magis ignitur, ideò febres acutas facit: Et hoc est, quod dicit Aristoteles, residuóque, quod biliosum remanserit, eodemque recalescente febres acutæ, vtpotè ex bili sincera, inuadunt. Accedit præterea etiam ex externa causa occasio, vnde frigido existente, & sicco ambiente,

ambiente, constipantur pori, & externa corporis superficies solidior fit, vnde fuligines eleuatæ minimè possunt à natura expelli. Diuturnæ etiam fiunt, tum ratione materiæ adustæ, & in crassum, melancholicumque succum versæ, quæ huiusmodi diuturnas febres solet producere; maximè cùm ob crassitiē suam obstructis internis canalibus facilè putredini occasionem præbent. Obseruandum autem est, Hippocratē in tertia Aphorism. decimoquarto, vbi omnino eandem constitutionē, & morbos in ea vagātes refert, omnino depravatum esse. Legit enim τοῖσι δὲ λοιποῖσιν ὀφθαλμίαι ἔσονται ξηραὶ καὶ πυρετοὶ ὀξέες καὶ κορύζαι. ἐνίοισι δὲ καὶ μελαγχολίαι. vbi dictionem κορύζαι puto depravatam esse, legendumque esse καὶ χρόνιοι. Neque enim video, quomodo duobus existentibus temporibus siccis grauedines, quæ à superflua humiditate solent fieri, possint excitari. Quin & Galenus in Comment. dum rationem reddit eorum, quæ posita sunt in aphorismo, nullam grauedinis facit mentionem: nisi quòd dum refert sententiam Hippocratis hoc loco, vbi Hippocrates habet, πυρετοὶ ὀξέες καὶ πολυχρόνιοι, in aliquibus codicibus Græcis in Comment. Galeni est καὶ κορύζαι, quod omnino depravatè legitur. Nam in Comment. Galen. nullam illius affectionis reddit rationem, sed febrium acutarum; & diuturnarum. Neque in libro de Aëre, locis, & aquis, illius passionis facit vllam mentionem, sicut nec Aristoteles ab eo transcribēs, nec Celsus locis adductis. Quinimò in impressis Basileæ optimè legitur, vt nos ab initio docuimus.

Aliquibus verò etiam melancholia.] Non sine causa dixit, nonnullis: quia id ipsum nō omnibus, vt Aristoteles loco citato ait, sed iis tantùm, qui natura biliosi sunt, tum quoniam flaua bilis superassetur, tum quoniam sanguis crassescat. Et hoc est, quod dicit Hippocrates, & sanguinis pariter eadem ratione tenuissima pars exsiccatur, crassiorq; remanet. Celsus hanc partem ita commodissimè reddidisse videt: Sed & ij morbi; qui ex atra bile nascūtur, nempe febris quartana, & melancholia. Quippe melancholia est desipientia, quæ fit ex melancholico humore mentem occupante, & temperaturā suam mutante. Maniam verò, seu furorem Aristoteles iis euenire tradit, quibus natura bilis inest. Nam, vt etiā Galenus testatur libro secundo de Symptomatum causis, mania fit à mordacibus, & calidis humoribus, qualis est flaua bilis. Neq; verò, quòd pituitosis, humidisque naturis, & mulieribus potissimùm, huiusmodi constitutio salubris fit, ea ratione censendum in vniuersum minùs noxiam esse hanc constitutionem, in qua & æstas, & autumnus frigidam & siccam naturam habent, quàm quæ in alia enarrata est constitutio, in qua æstas quidem frigida, & sicca erat, frequentesque habebat aquilones: autumnus autem econtrà calidus, & humidus, atque austrinus. Etenim quę ex frigiditate, & siccitate autumni noxa solet persentiri, quæ in alia constitutione proxima per calorem, & humiditatē contemperabatur, in hac veluti conduplicata additione mali, pessima quoque censeri debet. quòd enim aliquos iuuet, id illi cum reliquis intemperatis commune est, quarum nulla sic intemperata reperiri potest, vt nō contrariæ illi intemperaturæ aliquos aliquid indè reportare vsus videas; maximè autem cùm in idem conuenerint, iisdemque qualitatibus viguerint anni tempora.

X.

Κατὰ ταῦτα τις ὁ νοεύμενος καὶ σκοπεύμενος, προειδείη ἂν τὰ πλεῖστα τῶν μελλόντων ἔσεσθαι ἀπὸ τῶν μεταβολέων.

Hæc igitur si quis mente concipiat, & accuratè contempletur, præcognoscat tanquam præsentia, plurima, quæ ex huiusmodi constitutionibus sunt futura.

Si quis ea, quæ ab Hippocrate de temporum variis constitutionibus dicta sunt, diligenter, & accuratè contempletur, quod ab initio huius operis in Præfatione pollicitus est Hippocrates, statim Medicum assequi videbit, nimirum vt & vtplurimùm proprio fine nō frustretur, & recta ratione in arte pcedat, vnde etiam non parum gloriæ adipiscetur. Neque verò ea ratione Medicus vituperandus est, quasi gloriolæ cupidus; cùm ea quasi sit ad virtutem stimulus. At verò etiam Medico maximè est necessaria, vt ei maior fides habeatur: nam si in honore, & admiratione sit, magis prodesse ægris poterit; qui & imitari ea, quæ agit Medicus, & parēre iis, quæ iubet, perinde ac Dei alicuius mandatis parati sint, inquit Galenus Commentario 2. de Offic. med. C. 9. Verùm antequàm suscepto de constitutionibus temporum sermoni finem imponam, aliquid in vniuersum dicendum est, quod ad ea, quæ dicta sunt, intelligenda maximè confert. Primum autem illud esto: Cùm naturalem suum statum tempora seruare dicimus, aut immutari, non similiter intelligi posse in temperata regione, & in intemperata. temperamentum enī suum seruare dicuntur in temperata regione, cùm ver suum temperamentum quasi æquabile seruauerit, æstas caliditatem & siccitatem habuerit, sic & alia suum quæq; habuerint naturale temperamentum. Intemperatorum autem locorum regio sua quoque habet tempora naturalia, quæ, vt talia sint, suam quoq; habere oportet naturam, at non huiusmodi, vt in temperata: semper enim intemperata fuerint ad hanc comparata, etiamsi suam seruauerint naturā. Verno enim tempori, quod æqualissimum in temperata regione esse solet, vernum tempus intemperatæ regionis intemperatum si comparetur, frigidæ frigidum satis, calidæ calidum futurum est. Il-

lud præterea adiungendum est; ea, quę ab Hippocrate de temporum anni constitutionibus, & morbis inde subseqnētibus dicuntur, quæq; assumpto ab eo exemplo de aliis constitutionibus variis vnius, duorum, trium, vel etiā quatuor anni temporum dici possunt, semper intelligenda esse de temperata regione, aut illi q̄ proxima: tantum enim abest, vt apud Æthiopas æstas frigida, & autumnus similis noxas inferant, vt potiùs maximam illorū intemperiem contemperando salubres sint: Sic apud Scythas æstas calida, & sicca, similisq; autumnus, non modò non detrimento erunt, sed potiùs maximā afferent vtilitatem. Illud præterea obseruandum est, vt talis, vel talis sit constitutio, non esse necessariam perpetuam dierum omnium intemperiem: nullusque vt dies eximatur, qui talem non faciat constitutionem: sed satis futurū est, si maior dierum pars, qualitatibus iis, de quarum nomine dicenda est tota constitutio, insigniatur. Illud postremò annotandum est, has Hippocratis constitutiones temporum hoc loco propositas sufficere posse pro regula ad alias inueniēdas, cognoscendásque, tum præterea etiam ad morbos peculiares illarum prænoscendos, quæ neque sola obseruatione, vt Quintus volebat, neque fortasse sola ratione sunt perpendenda, sed vtrisque iunctis, & eas constituemus, illarumq; faciliùs red dere rationem poterimus: eo modiusq; quid cuique etiam intemperatæ regioni proprium, peculiareque in huiusmodi constitutionibus aduenire soleat, considerabimus. Nobis verò cùm instituti nostri sit, solùm ea, quæ ab Hippocrate hoc loco dicuntur, commētariis illustrare, non erit in præsentia necessarium exemplo ab iis sumpto, etiam alias, quæ propemodum sunt innumerabiles, constitutiones, & morbos in illis vagantes, recensere, cùm multorum annorum obseruatione simul cum ratione opus sit. Alij (quod aliquādo pollicitus est Galenus, sed non consecutus) id fecerint. Ad alia igitur transeamus, oportet, si tamen priùs admonuerimus, à nobis omissam esse seriem hāc verborum, quæ in Græcis exemplaribus posita est, inter particulam iam enarratam, & superiorem constitutionem, quæ sic habet: ἢν δὲ ὁ χειμὼν βόρειος γένηται καὶ ξηρὸς. τὸ δὲ ἔαρ νότιον καὶ ἔπομβρον, κατὰ τὸ θέρος ὀφθαλμίαι γίνονται ἰσχυραί. τοῖσι δὲ παισὶ καὶ γυναιξὶν πυρετοί. omissa verò sunt, quòd superfluitatis arguendus esset Hippocrates, si adderentur, qui eam constitutionem superiùs multò diligentiùs, & accuratiùs posuerit, & illorum etiam dederit rationem; vnde Germanus interpres in posteriori sua editione & ipse ea omisit, sicut etiam Gadaldinus.

X I.

φυλάσσεσθαι δὲ χρὴ μάλιστα τὰς μεταβολὰς τῶν ὡρέων τὰς μεγίστας, καὶ μήτε φάρμακον διδόναι ἑκόντα, μήτε καίειν ὅ,τι ἐς κοιλίην, μήτε τάμνειν, πρὶν παρέλθωσιν αἱ ἡμέραι δέκα, ἢ καὶ πλείονες, μάλιστα δὲ εἰσὶν αἱ δέκα.

Obseruare autem oportet maximè magnas temporum mutationes, vt neque medicinas libenter exhibeamus, neque qua circa ventrem vramus, neq; secemus; priusquàm prætereāt dies decem, aut plures. Potissimum autem sint decem.

Magnas temporum mutationes euitandas esse in magnis remediis, & nobilibus vtendis scribit Hippocrates, in medicamentis nempe purgantibus exhibēdis, & in sectione, & vstione facienda circa ventrem, docetq; debere nos saltem decem dies ab huiusmodi magnis mutationibus expectare. At quomodo hoc loco cùm de morbis præcognoscēdis, & præsagiendis ex varia temporum constitutione ageret, interseruit hanc particulam, quę potiùs ad medicinæ curatricem partem pertinere videtur? An fortasse dicendū est, non curandi rationem per hæc tria instrumenta hic docere, neq; proponere quid fugiendum, quidq; amplexādum sit: sed potiùs econtrà, antequam quippiam horum moliamur, debere præcognoscere futuras proximè magnas mutationes: per magnas autem mutationes hoc loco intelligere debemus magnas temporū mutationes in qualitatibus primis; magnum frigus, aut ingentē calorem; vtendorum enim auxiliorum ex iis magnam sumi occasionem scribebat Aristoteles 1. sect. Problematum, problem. 3. dum incendendi, tollendi, iudicandi, aut contrahendi morbos vim habere scribit: Et hoc modo Galenus 5. Aphor. 4. sect. sub cana, & ante canē molestas esse purgationes, sententiam eam explicabat: ad æstus enim vehemētiam, & facultatum naturalium, & aliarum etiam imbecillitatem sequi scribebat, quibus debilibus existentibus, non est aut medicamentum purgās exhibendum, aut quippiam vehemens remedium administrandum. Ambientis enim nos aëris immodicus calor, spiritus ab internis corporis partibus ad superficiem euocat, humoresque simul digerit, aut certè omnia desiccat; vnde omnino imbecillior facultas redditur. adhibitis autem medicamentis, aut sectione, vstioneve imbecillior adhuc redditur. Accedit, quòd cùm æstus sit magnus, si addatur medicamentum purgans, cùm calidum natura sua esse soleat, vt docet Galen. 1. Aphoris. 24. calorem magnum in corpore excitabit, vnde febres generantur, aut genitæ augescent. Accedit, quòd medicamentum ad interna humores trahit, vt à corpore expellere possit, caloris verò excedentis est ad ambitum corporis humores euocare; quò fit, vt repugnantibus inter se iis actionibus, & fiat molesta, & difficilis purgatio, naturaque nimis infestetur: aliæque etiam mutationes magnæ sunt euitandæ, putà cùm nimis ad frigiditatem, & siccitatem tendunt. Tunc em̄ & medicamen-

tum purgans erit euitandum, & neq; sectio, neque vstio administranda. Cùm enim peruium corpus esse debeat, & viæ patentes, tum & humores fluxiles, ad euacuationéq; prompti, frigore magno præsente cóstipato corpore viisq; constrictis, & concretis humoribus, difficiles hæ Medici operationes fient. Dixit autē φάρμακον, vt medicinas purgantes intelligeremus valantes, quæ verè purgantia medicaméta dicuntur, vt pepliū, elleborus vterque, colocynthis, scammonea, & quæ ex iis, similibusq; componuntur; quæ quidem in magnis iis mutationibus temporum non sunt exhibenda, nisi aut materia turgeat, aut tandē aliqua magna vrgeat necessitas: neq; enim ea omnino prohibet Hippocratas, cùm dicit, sub cane, & ante eam molestas esse purgationes, ita vt non omnino prohibeat, sed vitandas esse, quantum fieri potest. Blanda tamē medicaméta vtique concedi possunt, vt cassia, manna, tamarindi, rhabarbarum, & alia multa ex rosis, violisq; sine scammonio parata.

Neq; quæ circa ventrem vrimus.] Quid per κοιλίην ventrem hoc loco intelligendum sit, non satis constat: cùm iam docuerimus, multa habere significata apud Hippocratem. Alemanus credidit intelligere omnē cauitatem, in qua humores præter naturam confluxerint, doloresque subinde excitārint. Ego verò potiùs ventrē intelligo inferiorem, & thoracem: quas partes & vrendas esse scribit multis in locis, vt materiā in illis contentam euacuare possimus, aut consumare. Absurdum enim esset tuberculo, aut phymate aliquo maturo existēta sectionem in magnis iis mutationibus nō administrare, aut in vstione facienda in parte aliqua carnosa, eas magnas mutationes vereri. Intelligit igitur vstionem, aut sectionem, quæ fit in pura educendo, vel aqua ex pectore, aut ventre inferiori: de quibus sic loquitur Hippoc. variis in locis: vt 7. Aphor. 47. quicunque suppurati vruntur, aut secantur, si pus purum fluxerit, & album, euadunt: si verò subcruentum, & fæculentum, & fœtidum, pereunt. Item cùm dicit 45. eiusdem sectionis: quorum hepar suppuratum aduritur, si pus fluxerit purum, & album, euadunt: in tunica enim iis pus continetur, si verò qualis amurca fluit, pereunt. Item Aphor. 27. eiusdem: quicunque suppurati, aut aquā intercutem patientes, vruntur, aut secantur, si pus, aut aqua effluxerit, vniuersim omnes moriuntur: tum alibi sæpiùs. Neque enim tantùm ratione caloris per vstionem introducti in magnis mutationibus verendum censet vstiones; sed ob euacuationē multam à partibus cordi vicinis factam: cùm enim sub iis magnis mutationibus etiam magnum frigus comprehendat, si ratione caloris introducti, & inflammationis impediret, vtiq; potiùs hyeme concederet. Sed cùm eodem modo, & vstionis, & sectionis mentionem faciat, & addat in iis, quæ ad ventrem pertinent, merito de iis intelligendum esse censemus, in quibus fit multa euacuatio, tum puris, tum aquæ in thorace, aut ventre contentę. Quomodo autem hoc loco decem dies, aut etiā plures à magnis iis mutationibus expactandos esse ad magna hæc auxilia molienda scribit: Si libro περὶ φαρμάκων, qui (quod sciam) impressus Græcè nō est, quamuis in sermonem Latinum extet conuersus, in fine habet hæc verba: κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον καὶ ἐν τῇ θερινῇ ὥρᾳ ἀπὸ κυνὸς ἀνατολῆς ἡμέρας πεντήκοντα φυλάσσεσθαι χρὴ μὴ διδόναι φάρμακον, ἀλλὰ κλυσμοῖσι χρῆσθαι. αὐτὸς γὰρ κίνδυνος. quod est: iuxta eandē rationem, tempore etiam æstatis à canis ortu per dies 50. vitare oportet, & nō dare medicamentum, sed infusis per clysterem vti. Idem enim periculum imminet. Quinimò nos docuimus, canicularea dies, in quibus, quantum fieri potest, fugianda sunt medicaméta, 40. dies perdurare. Quomodo igitur hìc per dies decē solùm pòst, periculosas huiusmodi operationes medicas esse dicit? Verùm si diligēter ea, quæ hoc loco ab Hippocrate dicuntur, consideremus, tantum abest, vt à se ipso dissentiens sit, vt potiùs maximè secum consentiat: diebus enim puta canicularibus, qui 40. dies sunt, vt diximus, cum magna ad sit mutatio temporum, euitanda sunt medimenta, vstiones, & sectiones. Hoc autem loco docet, etiam post magnas illas temporum mutationes, puta post illos quadraginta dies, vbi morbus dat inducias, debere nos decem dies etiam expectare: qui si cum prioribus 40. copulentur, 50. redduntur, quos expactandos esse post magnam illam mutationē temporum in calido, & sicco, docuit loco citato. Exactis autē diebus, in quibus tanta adest mutatio in qualitatibus, adhuc dies alij decem sunt expectādi, in quibus corpus à prætarito labore refici, & restaurari possit. Quod verò de magna ad calorē mutatione dictum est, etiam de aliis intelligi debet.

XII.

Καὶ ἐπικινδυνόταται ἡλίου τροπαὶ ἀμφότεραι, καὶ μᾶλλον θεριναί· καὶ ἰσημεριναὶ νομιζόμεναι εἶναι ἀμφότεραι, μᾶλλον δὲ αἱ μετοπωριναί.

Et periculosissimæ sunt Solis conuersiones vtraque, maximè verò æstiua. Periculosum etiam est æquinoctium vtrumq; sed magis autumnale.

Τροπὰς appellat conuersiones, quas nos Solstitia appellamus; quòd Sol cōuertat se, & incipiat ascendere, vel descendere. Solebāt solstitia fieri alio tempore ab eo, quo proximis annis prætaritis fiebant, ob eas, quas superiùs diximus rationes: nostro etiā tempore post correctionem anni Lilianam S. N. Gregorij XIII. Pont. Max. iussu factam immutata sunt, & ita reducta, vt vix ampliùs sedē possint immutare. Solstitium enim æstiuum tempore Iulij Cæsaris erat circa diem 7. ante Cal. Iulij. Mox tempore Plinij recurrerat in 8. Cal. Iulij. Nostro autem tempore

ante correctionem erat 3. Idus Iunij. Quod post correctionem in 11. Cal. Iulij incidit. Bruma, siue solstitium hyemale tempore Iulianæ correctionis 8. Cal. Ianuarij: quod tempore nostio retrocesserat in diem tertium ante Idus Decembris. Post correctionem autem rediit ad 12. Cal. Ianuarij: quemadmodum & æqninoctia tam vernale, quàm autumnale. Nam illud tempore Cæsaris in diem 7. aut 8. ante Cal. Aprilis, hoc autem in 10. ante Cal. Octobris: quæ tempore nostro iam recurrerant: illud quidem in 6. diem ante Idus Martij, alterum autē in Idus Septembris. Quę per correctionem Gregorianam, vernum quidem in 14. aut 13. Cal. Aprilis: Autumnale autē in 9. ante Cal. Octobris reducta sunt. Vtrunque igitur solstitium asserit Hippoctates esse periculosum, & vtrunque æquinoctium, magis tamen periculosa sunt solstitia, quàm æquinoctia: & iuter illa magis æstinum, quàm hybernum. Inter æquinoctia autē magis autumnale: nec certè præterrationem, ob eas, quas in snperiori Commentario adduximus, tationes. Docuimus enim magnas mutationes vetēdaa esse, quòd imparata quasi corpora vehemanter contrariis adoriātur. Cùm igitur æstiuum solstitium, & hybernum magnas secum inuehant mutationes, illud in calore, hoc in frigore, quis dubitauerit multa secū pericula inuehere posse? Hinc Aristoteles prima Problem. ptoblem. 26. quærens, cur vtræque conuersiones par centum dies soleant esse periculosæ: Soluebat esse, quia ob excessum frigoris, aut caloris, naturalis calor quasi dissoluaiur. Dicit autem [*maximè autem æstiuum*] quod intelligendum est, non de periculo, quoad mortem; sed de periculo lapsus in motbos. certum est enim faciliùs corpora circa solstitium æstiuum in morbos incidere, quàm circa hyemale: quòd vniuersum hominia corpus calore magis dissoluaiur, atqua incendatut, vnde etiam febres magis accenduntui: tum calore natiuo foras euocato, atq; dissipato, tum etiam ob eam causam præternaturali introducto. Frigiditas verò cùm intrò repellat calorem innatum, promptiores reddit naturales facultates ad propriū opus edendum. Quòd si de peticulo, quantum ad mortem peitinet, loquamur, manifestum nobis fecit Aiistoteles 25. problem. primæ sectionis, multò ſęcus esse iudicandum, cùm dicit: Cur per æstatem magis aduersa valetudine laboramus, per hyemē verò, qui laborāt, emoriuntur? An qnia calor, qui per hyemem intus propter corporum densitatem coëtcetur, parum adiuuar, nec labor operum, qui amplius per id tempus suscipitur, excrementa humorum potest concoquere, ideò validam esse mali originem necesse est: quod cùm ita sit, perniciosum morbū vigere necesse est. Contrà in æstate, quoniam corpus vniuersum rsium, refrigeratum, resolutum, atq; laborum impatiens est, idcircò morbos plures quidem otiri necessarium videtur, videlicet ob lassitudinem, cruditatemque ciborum: noui etenim fructua tunc adsunt, nō tamen ita validos esse naturæ ratio patitur, quamobrem facultas hisce succurrendi datur faciliùs. Docet hoc idem problem. 28. eiusdem sectionis, quærens ferè idem, cur per hyemē minùs quidem, quàm per æstatem, sed perniciosiùs ægrotetur. Respondet: an qnoniam in æstate morbi vsl parua de causa existunt; quod in hyeme minimè accidit ita: Sumus enim tunc & ad concoquendum, & ab bene valendum apriores. Itaque ex ratione maiora, perniciosioraque mala snnt, quæ maiori de causa prouenerint. Quod idem in athletis, & omnino in iis, qui secunda valetudine esse solent, licet perspicere; aut ēm nullo modo premuntur, aut pressi celetiter è vita decedunt: quippe qui non nisi magna de causa ægrotare possint.

Periculosum est etiam æquinoctium vtrunque.] Non ram ob magnas mutationes in qualitatibus intensas, sed ob subitas quasi in contrarium mutaiiones. Vere enim ineunte frigidum & condensatum corpus incalescit, liquatut quasi, & mollescit. Econtrà in Autumni initio calefactum iam, atque laxum corpus refrigeratur, atque subitò condensatur. Dixit autem [*magis autem autumnale*] quòd calidi in frigidum mutatio subita multò sit deteriot. Quod luculenter admodum exposuit Aristoteles 27. problem. primæ sectionis, cùm quætit: Cur ver, & autumnus morbis infestent: an quia mutationes graues omnes occurtunt? Sed autumnus vere grauiot est; quia corpore calido refrigescēte, quàm frigido incalescente, potiùs ægrotamus. Vt igitur vete frigidum recalescit, sic autumno calidum refrigescit. Accedit ad hoc, quòd autumnus æstiuos illos calores ingentes sequitur, in quo & humores sæpenumerò superassantur, & vires imbecilliores reddi solent: & qui mouebantur ad cutim humores, atque distabantur, cōstipatis poris ad internas partes tetrudūtur.

XIII.

Δεῖ δὲ καὶ τῶν ἄστρων τὰς ἐπιτολὰς φυλάσσεσθαι, καὶ μάλιστα τοῦ κυνός, ἔπειτα ἀρκτούρου, καὶ ἔτι πλειάδων δύσιν.

Oportet autem & astrorum exortus considerare, præcipuè Canis: deinde Arcturi, & Pleiadum occasus.

Mirari hoc loco non parum mihi subit quorundam virorū magni nominis inscitiam, qui vt suam in rebus astronomicis ignorantiam regerent, contra pręceptoris sui manifestam alioqui sententiam censuerunt non esse Medico Astrologiam vtilem, aut necessatiam, vt ex syderibus vllas aëris fututas mntationes colligere possit: satis enim nobis futurum esse dicunt, si quo primū tempore ingruere in nos eaa videmus, raiione tunc omni resistamus, corporibusq; nostris opportunè consulamus. Supra ambientem

ambientem enim nos aërem non esse quærendas Medico causas, quas etiam si quis inueniat, neq; etiam si velit obuiá ire, vllo modo possit. Syderum enim aut simplex exortus, aut compositus eorundem in vnum conuetus, quicunque tandem is fuerit, quo ambiens nos aër immutetur, nunquam quidem, aut calorem intulerit aëri, aut frigus, aut siccitatem, aut humiditatem, nisi intercurrentibus exhalationibus, eadem syderum vi eductis, sursumq; latis, quæ deinde aut incalescant, si calidum facient ia sydera fuerint, aut refrigescant, aut rarefiant, aut densentur: ipsa autem per se sydera sine iis, & nisi materiam hanc nacta, in quam agant, nihil fecerint. Quasi verò non etiam deceat, imò necessarium sit Medico futuras temporum mutationes, quæ alioqui ferè semper ex ortu, aut occasu syderum, aut ex eorũ conuentu fiunt, præcognoscere, tum vt præcauere possit corpora, tum etiam curare. Immutandum enim ab iis in præternaturalem statum, quem inspiratu attrahimus, quiq; nos assiduè ambit, aërem, tum & corpora, quæ facilè ad morbos ex imminenti constitutione inclinaturã cognoscet, ad temperamentum oppositum, quantum per sanitatem licebit, aut aëris, quod tamẽ difficilius est, correctione, aut certè victus ratione. Accedit, quòd ab initio huius libri ab Hippocrate propositum est, Medico præcognitionem hãc non modò vtilem esse, sed necessariam, vt famam aucupetur, qua faciliùs in curatione, aut præcauendis corporibus à morbis ægros magis sibi faciat obedientes. Docuit enim hoc Hippocrates, vt dixi, in Procemio, cùm dicit: Cùm enim temporum mutationes, & astrorum ortus & occasus obseruauerit, quemadmodũ singula eorum oriantur, præcognoscet vtique, qualis annus futurus sit. Hoc namq; modo si quis perscrutatus fuerit, atque præcognouerit occasiones, si plurima de singulis cognoscet, & vt plurimùm sanitatem assequetur, & secundùm rationem in arte rectè procedet. Si autẽ hæc sublimiora alicui videantur, si sententiam mutauerit, discet non minimam partem conferre in arte Medica Astronomiam; sed omnino plurimũ: simul enim cum temporibus morbi, & ventres mutantur. Quod postmodum longiori sermone in tractatione passim, & hoc loco docuit, & nos etiam demonstrauimus. Non est verò, cur in præsentia multùm nos laboremus in docendo varietatem exortus, & occasus syderum nostro tempore, ab ea, quæ tum Ptolomæi, tum Alphonsi regis Castellæ tempore, q tabulas astronomicas fecit, reperta est, eiusq; causam, cùm superiùs hoc à nobis abundè satis sit pertractatum, quantũ ad præsens negotium attinet: cùm ea pro dignitate recensere, neq; instituti nostri sit, q ea, quæ ab Hippoc. dicuntur, solùm explicare assumpsimus, neq; ita facile negotium sit, vt vna, aut altera pagina comprehendi possit, cùm potiùs integrum librum requirat: maximè cùm recentiores diligentissimè hãc prouinciam & susceperint, & absoluerint: obseruationes enim tradiderunt particulares ortus, & occasus cuiuscunque stellæ. Quibus cùm hanc sibi ex professo assumpserint prouinciam, integrũ relinquimus negotium: supponemusq; Medicũ, antequã ad Medicinã accesserit, ea omnia, quæ ad Astrologiam pertinent, saltem quantum ad Medicinã necessarium est, percepisse. Quapropter ne præter officium commentatoris quippiam, neve quod factum, & optimè quidem est, fecisse videar, ea omnia consultò prætereo. Et quamuis de eorum syderum, quorum hoc loco mentionem facit Hippoc. & exortu, & occasu, nonnihil à nobis esset agendum, vt commodè quæ ab Hippoc. obscura dicuntur, possint intelligi: Cùm tamẽ de ortu canis, & Arcturi, tum & de occasu Vergiliarum satis superq; à nobis tractatum sit in primo huius libri, dum de principiis temporum anni, quæ iis solent tanquã terminis definiri, ne sæpiùs rem vnam inculcare videar, etiã de iis in præsentia pertractare prætermitto. Quare verò Medico necessaria sit in specie ortus, & occasus horũ signorum cognitio, explicat iis verbis.

XIV.

Τά τε γὰρ νοσήματα μάλιστα ἐν ταύτῃσιν τῇσιν ἡμέρῃσιν κρίνεται· καὶ τὰ μὲν ἀποφθίνει, τὰ δὲ λήγει. τὰ δὲ ἄλλα πάντα μεθίσταται εἰς ἕτερον εἶδος, καὶ ἑτέρην κατάστασιν. περὶ μὲν τουτέων οὕτως ἔχει.

Morbi enim in iis maximè indicantur, aliiq; perimunt, alij verò desinunt, aut in aliam speciẽ, aliumq; statũ transmutantur. Et circa hæc quidem, vt dixi, sic se habet.

Ita luculenter Aristoteles particulam hanc in Problematibus suis explanauit, vt audaciæ maximè essem insimulandus, si aliam aut apertiorem, aut firmiorem explicationem vellem inquirere. Scribit enim problemate tertio primæ sectionis, quærens cur anni temporum, flatuumque mutationes morbos intendant, tollántve, iudicent, vel committant. An quod aut frigidæ, aut calidæ, aut humidæ, aut siccæ sunt, morbosque qualitatum huiusmodi excessus committit. Secunda enim valetudo mediocritas quædam est. Quòd si per humidam, frigidámve materiam morbus constiterit, tempus accedens contrarium tollere illum poterit. Quòd si minùs contrarium subsecutus sit, qui similis status temporis superuenerit, intendet sanè, atque interimet. Quò etiam fit, vt qui bene valent, ægrotare tempore murato incipiant: corporis enim proinde temperamentum soluatur necesse est: quippe quod non nisi temporum, ætatum, locorumque statu idoneo aptum sit augeri, seruarique. Quamobrem cùm tempora euariant, ratio tunc valetudinis habenda diligentiùs est. Idem autem pro causa

particulatim adest etiam, quod in vniuersum propofui de temporibus. Mutationes enim flatuum, ætatum, atque locorum pro temporis cuiusdam mutatione accipi debent. Quapropter hæc etiam intendendi, vel tollendi, vel iudicandi, vel contrahendi morbum vim habēt: quemadmodum & tempora, & syderū ortus, Orionis, Arcturi, Vergiliarum, Caniculę, qui flatus imbresque excitant, qui serenitates, frigora, teporésve solent adferre. Hippocrates igitur hoc loco vtilem huiusmodi mutationum temporum, & exortua syderum cognitionem esse dixit, quòd soleant morbi in iisdem iudicari. Verùm cùm crisis sit subita, vel ad sanitatem, vel ad mortē conuersio, subdit, postquam dixit, iudicantur [*alijq; perimunt*] & hæc est pessima crisis [*alij definunt*] sicque adest crisis bona. Verùm quoniam etiam hęc aut est perfecta, aut imperfecta: perfecta est, cùm per eam omnino liberatur æger, facta tali euacuatione, & tanta materiæ, qualis, & quanta erat pro natura illius morbi necessaria, puta per aluum, hæmorrhoidas, sanguinem è naribus, menses, sudores, vrinas, & huiusmodi: imperfecta, cùm euacuata à natura parte materiæ, meliorem statum assequitur morbus: aut cùm ad ignobiliorem partem materia ex parte detruditur: quæ ab Auicenna permutatio crisis nuncupatur. de qua loquutus est Hippocrates secunda sectione Aphorismor. vigesimoprimo, cùm dicit: quæ relinquuntur in morbis, recidiuas facere consueuerunt. Propterea cùm dixisset Hippocrates, alij desinunt, subdit, [*aut in aliam speciem, aliúmve statum transmutantur.*] aut certè hæc verba intelligenda sunt, quòd ij morbi ex temporum mutatione aut omnino desinūt, aut occidunt: aut si nō occidūt, certè in aliud genus morbi transmutantur: quemadmodū superiùs docuit Hippocrates, aliquos morbos ex mutatione temporum in morbos alterius generis transmutari, vt acutas febres in quartanas, & quartanas in hydropes: & sic de similibus.

LVDOVICI SEPTALII MEDIOLANENSIS MEDICI IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE AERIBVS, AQVIS, LOCIS

Commentarius Quintus.

I.

Βούλομαι δὲ περὶ τῆς Ἀσίης καὶ περὶ τῆς Εὐρώπης δεῖξαι, ὁκόσον διαφέρουσιν ἀλλήλων ἐς τὰ πάντα, καὶ περὶ τῶν ἐθνῶν τῆς μορφῆς, τί διαλλάσσει, καὶ μηδὲν ἔοικεν ἀλλήλοισι. περὶ μὲν οὖν ἁπάντων, πολὺς ἂν εἴη λόγος. περὶ δὲ τῶν μεγίστων, καὶ πλεῖστον διαφερόντων, ἐρέω ὥς μοι δοκεῖ ἔχειν.

Volo autem de Asia, & Europa demonstrare, quantum differant inter se per omnia, & de gentium formis, quid distent, & nihil habeant inter se simile. Et quidem de omnibus dicere si quis instituat, in immensum excresceret sermo. Quapropter de maximis, & plurimùm differentibus, vt se habere mihi videntur, dicam.

QVOD vniuersali quodam modo tum in inscriptione, tum potissimū in Procemio proposuerat Hipp. hac postrema parte, proposito quasi altero Procemio longiori oratione, & magis apertè explicādum proponit, cùm de Asia, & Europa, quantū inter se per omnia differant, tum & de gentium formis se tractaturum pollicetur; quibus verbis multa comprehēdit: propositis enim duabus iis mundi partibus, atq; inter se comparatis, l scorum, & aquarum naturam, & situm vniuersalem, puta si sint in Asia, aut Europa, tum & specificum, vt si ad Boream, aut versus Austrum sint posita loca, & regiones, tum demum etiam magis propriam naturam, vt sit'ne arida, palustris, nemorosa regio, & terra, tum præterea ventos peculiares in regionibus, & tempora, qualia sint, & anni vicissitudines, & huiusmodi, sub iis comprehendi facilè quis intelliget, qui diligenter totam hanc postremam partem contemplabitur. Ex iis præterea, qui, qualésve sint animi mores in earum qualibet cognoscimus, an fortes, timidi, magnanimi, pusillanimes, iracundi, sæui, quieti, sapientes, stulti, rudes, ingeniosi, mutabiles, stabiles, atque huiusmodi: tum postremò ex iis, qui calidi, quiq; frigidi temperamento sint, cognosci poterunt: ex quibus morum illæ tam magnę mutationes ex parte dependent: qui enim natura calidi sunt temperamento, modò nō excedant, magnorum sunt corporum, & robusti, pulchra facie, & liberali, magnanimi, liberales, magnifici, fortes, alacres, hilares, attamen iracundi. Contrà frigidi, debiles, paruis corporibus, exangues, propterea timidi, suspicionum pleni, dolosi, fallaces, auari, mutabiles. Vt igitur tot vtilitates Medico suo impartiatur Hippocrates, de Asis, & Europa se tractaturū pollicetur, regiones, & gentes in iis propagatas adinuicē comparando. Verùm quoniam hæc ob multiplicitatem

plicitatem suam lectorem poterant deterrere, statim se solùm de maximis, maximeque notatu dignis differentiis dicturum pollicetur, & quantum aut peregrinatione, aut aliorum fide dignorũ relatione assequi potuerat. Audiamus igitur ipsum Hippocratem. (*Volo autem de Asia, & Europa demonstrare.*) quod non paruam fecit omnibus huius libri expositoribus difficultatem, (sunt aũt, quos viderim, ij tres; primus, de quo dixi superiùs, Adrianus Alemanus: secundus, Hieronymus Cardanus, quem, anteq̃ hác partem commentandam susciperẽ, videre nunq̃ licuerat: tertius, Baccius Baldinius, qui hoc eodem tempore in lucem edidit Commẽtaria: intermissum eñ opus post quatuor annos iterum in manus suscepi) illud est, quomodo Hippocrates Aphrica omissa, duas has solas mundi partes ad examen, & comparationem reuocanerit, & quod augebat difficultatem, erat, quòd paulò pòst se de Libya, & Ægypto hactenus dixisse scribat, cùm alioqui nihil eousque de Libybus, aut Ægyptiis dixerit, nisi aut deprauatum, & mutilum dicamus hunc locum, aut sub alterutra earũ Aphricam comprehenderit. Neque enim eorum sententia satis mihi probatur, qui Aphricam ea ratione omissam censent, q̃ minùs illi cognita fuerit: quomodo eñ de Libybus se egisse scribit, & Ægyptiis, qui proculdubiò sub Aphrica tertia mundi parte sunt positi: siquidem per Libyam, aut totam Aphricam intelligimus, quo nomine Græci solent eam appellare, vt videre licet apud Strabonem libro primo, & apud Ptolomæum in descriptione, & diuisione Aphricæ; aut certè per Libyam potissimam, vno excepto Ægypto, partium Aphricæ intelligit: hæc eñ prouincia à Septentrione coëxtensam habet Tingitanam Aphricam, & Mauritaniam Cæsariensem, & quam vocant Aphricam minorem, & Numidiam, & Libyam cultam, ab Occidẽte mare Oceanum, & fretum Herculeum: à Meridie ad æquinoctij circulum extenditur, & deserta multa habet, & magna. Ægyptus ad Boream versus est, & mare Mediterraneum respicit. Hæ igitur insignes prouinciæ omnibus notæ, quę sub Aphricæ diuisione continentur, quomodo Hippocrati incognitæ fuère, cùm etiã de iis se egisse dicat? Quocirca crediderim ipse ea ratione Hippocr. hoc loco nullam Aphricæ mentionem fecisse, sed solùm duas has orbis partes & recensuisse, & ad pensum reuocasse: q̃ suo tempore orbis fieret diuisio solùm bimembris in Asiam, & Europã; fortasse q̃ quæ ad Aphricam pertinebant partes, adeò parum innotuissent, vt vno excepto Ægypto, & Libya, vicinisq; mari Mediterraneo, & adiacentibus locis, reliqua penitùs illis ignota fuerint. Herodotus Hippoc. coętaneus in Melpomene partes orbis terræ cognitas describẽs, hoc nobis fecit manifestum. Quocica eas partes, vtpotè quas ob exilitatẽ respectu aliarum orbis partium non esse dignas iudicarent, vt vnam per se orbis partem constituerent, sub alterutra duarum illarum partium collocàrunt, aliis Europæ, aliis Asiæ easdem adiudicãtibus. Quod ita esse quàm plurimis grauissimorũ virorum testimoniis comprobare posse me facilè confido. Primùm autem nobis sese offert locus Isocratis in Panegyr. vbi sic habet: *τῆς γὰρ γῆς ἁπάσης τῆς ὑπὸ τῷ κόσμῳ κειμένης δίχα τετμημένης, τῆς χέρσου νεμόμενος, ἀλλ' ἡ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους τὰς ζωθύνας ποιούμενος*, &c. quod est; nam cùm terra vniuersa, quæ cœli circunflexu tegitur, in duas sit diuisa partes, quarũ hęc Europa, illa Asia dicitur, &c. Hãc orbis in duas partes diuisionem M. Terentius Varro 1. lib. de Re rust. cap. 2. ad Eratosthenẽ malè refert, cùm illo fuerit hæc bimembris terræ diuisio antiquior. Hanc etiã eleganter admodum Lucanus lib. 9. versibus expressit, Aphricam ab antiquioribus tertiam orbis partem minimè creditam demonstrans iis verbis:

Tertia pars rerum Libye, si credere fama
Cuncta velis: at si ventos cœlumq; sequaris,
Pars erit Europæ. nec enim plus littora Nili,
Quàm Scythicus Tanais primis à Gadibus absunt.

Salustius etiam id insinuauit, cùm inquit: In diuisione orbis terræ plerique in parte tertia Aphricam posuère: pauci tantummodò Aphricam in Europa. Plinius etiam libro tertio, capite primo post Prooemium eandem agnouit, cùm dicit: Primùm ergo de Europa altrice victoris gentium omnium populi, longeque terrarum omnium pulcherrima, quam plerique non tertiam portionem fecère, verùm æquam in duas partes ab amne Tanai ad Gaditanum fretum orbe diuiso vniuerso. Quin & Æthicus in sua Cosmographia hanc eandem rem manifestissimè nobis ob oculos posuit, cùm dicit: Totum quod ab Oceano cingitur, tres esse partes dixerunt, Asiam, Aphricam, & Europam reputantes. Sed hinc magnũ inter doctos certamen fuit. Nam plurimi, qui res diuinas euidentiùs agnouerunt, duas tantùm partes accipiendas suadẽt, id est, Asiam, & Europã tantummodò: Aphricam verò censent finibus Europæ deputandam. Et reuera hoc ità esse euidenti testimonio demonstratur: quia nõ solùm venenorum malè altrix terra partẽ habet spatij, verùm etiam est & cœli aduerso sydere plus destituta. Nam qui illam partem tertiam vocauerũt, non vt æqualem inclytia, præcellentibusq; posuerunt: sed situ pessimo, languidã ardoribus suis, in extremo positã ab optimis secuerunt: nõ diuisionis merito; sed sic, vt incisa suis fluctibus inuenitur. At vnum est, qđ maximã difficultatẽ facit, quòmodo diuiso orbe in duas partes, & Aphrica Europæ adiuncta, vt passim ex iis, quas ꝓposuimus, auctoritatibus cõstat, in hac prima parte cùm de Asia primũ egerit, post aliquot sententias statim se de Ægypto, & Libya egisse dicat, quasi non sub Europã, sed sub Asia maximas duas illas partes cõprehenderet: quẽadmodũ ex opposito Scythiã vniuersam, q̃ alio-

qui magna ex parte sub Asia solet compræhendi, Hippocratem Europæ adiunxisse videmus. Nisi dixerimus, Medicos multò secus diuisisse, & distinxisse orbem vniuersum, atque fecerint Geographi. ij enim, vt videre licet etiam apud recentiores, longitudinem respicientes, id totum, quod à palude Mæotide, aut Tanai ad Nilum vsque continetur, nulla distinctionis per fretum Herculeum factæ habita ratione, Europæ tribuerunt, siue esset australe, siue boreale, reliquum Asiæ concedentes. Medici autē Hippocrate duce, quod fortasse diuisionis terræ in partes non alia de causa rationem haberent, quàm vt cognitionem morborum ex iis perfectam haberent, præseruationemq́; morborum, aut curationē rectè perficere possent, quod potissimùm ex differentiis per primas qualitates, calorem potissimùm, & frigus desumptis obtinere solent: à diuisione autem terræ per longitudinem immutationum aëris ad caliditatem, aut frigiditatē, nullam effatu dignam causam desumi posse viderent, sed maximè id ex latitudine prouenire, multò secus terrarū orbem, quem habitari posse crederent, diuiserunt. Id enim spatium, quod à linea Tropici Cancri ad lineam circuli Arctici, quod solùm habitari commodè posse crediderunt, in duas partes secuerunt, in duas æquales partes spatium illud diuidentes, ita vt pars, quæ versus polum arcticum posita est, vniuersa Europæ dicaretur, reliquam ad lineā Tropici Cancri pertinentem, Asiæ concedentes. Qua ratione effectum est, vt Scythia tota apud Hippocratē esset Europæa: Ægyptus autem, & Aphricæ reliqua pars cognita sub Asia compræhensa est. Hac igitur ratione dixit, [*Volo autem de Asia & Europa demonstrare.*] nulla omnino Aphricæ facta mentione.

Quantum differant inter se per omnia.] Sunt hæc omnia, ea, de quibus iam fecerat ab initio mentionem, situs, aquæ, venti, locorum naturæ, & anni tempora, vnde etiam morbi communes.

Et de gentium formis, quid distent, &c.] id est, quantum differant in formis: non intelligit autem solùm varietatem formarum corporum, sed etiam animorum, sub qua leges, mores, consuetudines, maiorum instituta, & ratio Reipublicæ continetur, quæ etsi violenta sit, nec subiiciatur moribus, mores tamen ab illa immutantur, vt si sub tyrānis viuamus, necesse est in perpetuo metu viuere, aut negligere quæcunque etiam chariora, & ob id tristes viuere: qua ratione fit, vt & vita reddatur breuior, & infirma admodum reddatur valetudo.

Et quidem de omnibus dicere si quis instituat.] Cùm de Asia, & Europa se dicturum esse pollicitus esset, quantum inter se differant per omnia, & quomodo formis inter se distinguantur, ne quis crederet se singula quæque etiam minima esse prosecuturum, cùm ea infinita propemodum sint, tum ratione multarum, & maximarum prouinciarum, quæ in illis continentur, tum ratione eorum, quæ in illis omnibus reperiuntur, quæ varietatem habent quàm maximam, ne quis huius partis lectionem ea ratione auersaretur, aut Hippocratē diminutum crederet, ea ratione dicit, se solùm de maximis, & quàm plurimùm inter se differentibus esse tractaturum.

II.

Τὴν Ἀσίην πλεῖστον διαφέρειν φημὶ τῆς Εὐρώπης ἐς τὰς φύσιας τῶν ξυμπάντων, τῶν τε ἐκ τῆς γῆς φυομένων, καὶ τῶν ἀνθρώπων. πολὺ γὰρ καλλίονα καὶ μέζονα πάντα γίγνεται ἐν τῇ Ἀσίῃ. ἥ τε χώρη τῆς χώρης ἡμερωτέρη. καὶ τὰ ἤθεα τῶν ἀνθρώπων ἠπιώτερα, καὶ εὐεργότερα.

Asiam plurimùm differre assero ab Europa, secundùm omnium naturas, tum eorum, quæ ex terra nascuntur, tum & hominum. Multò enim pulchriora, & maiora omnia nascuntur in Asia. Estq́; regio regione hac mitior, & hominum genera mansuetiora, & beneficentiora.

Per contentionem aggreditur de Asia, & Europa agere, quemadmodum pollicitus erat, Asiam Europæ comparans: multumq́ue illam ab hac differre scribit, secundùm omnium naturas. Longè enim pulchriora, & maiora omnia nascuntur in Asia, maximè si Asiam ita intelligamus, quemadmodum docuimus, vt totam eam comprehendat mundi partem, in quo calor aëris prædominatur; sic enim & Ægyptum compræhendet. Certum enim est etiam Asiam, vt est tertia orbis pars ab Aphrica seiuncta, in cunctis nascentibus beatiorem esse, & vberiorem, cœli potissimùm clementia; & hoc siua in hominibus, siua in animantibus, siue in plantis, & frugibus, aut aquis considerare voluerimus: homines namque multò aliis & industria, & æquitate, & probitate præstabant: quamuis hoc tempore ob sæuam, immanemque Turcarum tyrannidem omnia sint immutata, mores asperi, & homines omnino inculti redditi sint. Animalia in ea regione & proceritate, & pulchritudine cæteris antecellunt. Plantæ celsitudine, pulchritudineque exteras superare dicuntur, quæ largos præ illis fructus parturiant. Seges tritico, reliquisque leguminibus prodiga mirum in modum est, quæ optimas, atque saluberrimas incolis, & pecoribus herbas vltrò germinat. Aquæ insuper tum calidæ, tum frigidæ, morbos aliæ varios expellunt, aliæ sinceritate, & amœnitate cuncta corpora benignè fouent. Denique quicquid ibi prouenit, vnà cum loci laudatissima qualitate commendatur. Propositio tamen hæc, qua pulchriora omnia, & maiora Asiam producere, quàm Europam asserit, indefinita est, quæ particulari affirmatiuæ correspōdet, quòd hoc

hoc non in quacunque Asiæ regione eueniat, ita tamen in aliqua illius parte contingat, vt nullibi in Europa illud eueniat. Demonstrat igitur Asiam Europæ anteponẽdam, quòd omnia, quæ in illa nascuntur, sunt maiora, & pulchriora. Pulchritudo enĩ demonstrat optimam corporis constitutionem, quę in magnitudine, figura, numero, & situ partium consistit. Hinc Aristoteles 4. de Morib. ad Nicomachum, magnos vocabat pulchros: magnitudo namque præter materiam multã virtutis etiam formatricis robur, & calidi innati magnitudinẽ ostendit, vt optimè docebat Aristotel. lib. de Longit. & breuit. vitæ. Per hæc igitur verba, (*secundum omnium naturas, tum eorum, quæ ex terra nascuntur, tum & hominum*] multa compræhendit. Vt enĩ præstans regio dici possit, non ratione situs solùm, sed hominum potissimùm, magnorũ animantium, tum & plantarum, talis erit dicenda. Siquidem homines statura satis proceri sint oportet, forma pulchri, boni coloris, robusti, tardè senescentes, atque senecta robusta: partus etiam sint vberes, incolumes, & non monstrosi: mores in hominibus boni, & reliqua ad societatem instituta rectè sint disposita. Animalia sint magna, carnosa, & visceribus sanis. Sata etiam abundent oportet, magna, saporis optimi, odoris præstantis, tum & fructus magni, sapore præstantes, minusque putredini obnoxij. Conatur hoc loco Alemanus Europam mirum in modum laudare, atque Aphricæ anteponere, sed fortasse extra proprium locum. Cùm enim Hippocrates hoc loco Aphricę nullam faciat mentionem, nõ erat, cur eam Europæ comparando inferiorem ostenderet. Maximè cùm sub Asia hoc loco, quemadmodũ diximus, Ægyptum collocet, cui etiam bona eorum pars, quę in Asia commendanda proposuit, est attribuenda: quò fit, vt in tres partes orbe diuiso, in Asiam, Aphricam, & Europam, potiùs hoc loco Hippocrates Aphricam præponat Europæ, q̃ è contrà, quamuis verissimum illud sit, cæteris partibus Aphricæ considratis, & Europæ comparatis, in vniuersum Europã fertilitate, & cultu illam longo interuallo superare. Non enim in Europa tam vastę solitudines, tam steriles arenæ, ac ingens calor omnia exurens reperitur, vt in Aphricæ multis partibus. At in Europa varietas est aëris, alicubi viget calor, alicubi frigus, multum in ea pluuiæ, multum nebulæ, multum niuis, grandinisq; profunditur, quod & fortiores homines efficit, & mentes variæ in illa producuntur, secus quàm in Asia, in qua ob teporem illum ferè æqualem molles, & effœminatiores redduntur.

Estq; regio hac regione mitior.] Ratione ambientis nos aëris, & terræ situs: neque enim ita Asia intellecta, quemadmodum ex Hippocrate diximus, aut magni algores in ea persentiuntur, neque etiam vehementissimis caloribus alicubi affligitur. Quapropter etiam salubertimè viuunt. Verùm est, quod non paruam facit difficultatem in iis Hippocratis verbis: videtur enim se Europæum facere, cùm dicit Asiam esse hac, id est, Europa, mitiorem; cùm alioqui ex Coo insula esset, quæ vna est ex Cycladibus, estque vicina Phrygiæ, & Cariæ, quæ sub Asia compræhenduntur. Respondet (& optimè) Alemanus, insulas illas fuisse Græcis subiectas, qua ratione etiam ipsæ sub Græcia compræhendebantur: quamuis impropriè, quemadmodum Northmani se Francos appellãt, quòd legibus, & ritu Francorum viuant. Vel certè dicendum, dum hunc librum scriberet, in aliqua parte Græciæ fuisse, quã totam peregrinatum esse vel historiæ in Epidemic. libris scriptæ facilè possunt ostendere. Vel dicamus, si Asiam intelligamus vt Aphricam sub se continet, etsi Asianus sit Hippocrates, in confinio tamen erit Europę, & in limine. Verùm cùm Gręco more viueret, & loqueretur sub Græcia, quæ Europæa est, etiam Hippocratis patriam contineri dicere poterimus.

Et hominum genera mansuetiora, & beneficentiora.] Legebatur in vulgatis impressis codicibus, καὶ τὰ ἔθνεα τῶν ἀνθρώπων ἠπιώτερα καὶ ἐνεργότερα. quod verbum verbo reddentes interpretari debebat, & hominum genera mansueriora, & strenuiora, vel magis actiua: quę verba repugnabant iis, quæ inferiùs dicit, cùm Asianos molles, Europæos autem strenuos, & fortes dicebat. Quapropter potiùs sequẽdam esse duxi lectionem libri Gadaldini, quæ etiam in nostris, quas diximus, variis in Hippocratem lectionibus scripta reperitur; & εὐεργητικώτερα, vt Gadaldinus, aut εὐεργότερα, vt in aliis, legemus, quod beneficentiora significat. Duæ autem istæ dictiones mansueriora, & beneficẽtiora in eo distinguuntur, quòd mansuetudo consistit in passione, beneficentia autem in actione. Cur autẽ hac tempestate in Asia hominùm ingenia inculta sunt, moresque asperi, hominesque ipsi minùs benefici? An quòd hoc tempore miseram seruiant sub maximo tyranno seruitutem, qua & leges immutatæ, & agrestes homines, & morib⁹ omnino barbaris redditi sunt. De qua re fortasse inferiùs.

III.

Τὸ δὲ αἴτιον τουτέων, ἡ κρῆσις τῶν ὡρέων· ὅτι τοῦ ἡλίου ἐν μέσῳ τῶν ἀνατολέων κεῖται πρὸς τὴν ἠῶ, τοῦ ψυχροῦ πορρωτέρω. τὴν δὲ αὔξησιν καὶ ἡμερότητα παρέχει πλεῖστον ἁπάντων, ὁκόταν μηδὲν ᾖ ἐπικρατοῦν βιαίως, ἀλλὰ παντὸς ἰσομοιρίη δυναστεύῃ.

Causa verò horum est temporum anni temperata mixtura: quoniam in medio Solis exortu sita est ad auroram, à frigiditate remotior. Incrementum autem & benignitatem omnibus maximè præbet, cùm nihil in ea violenter excedat, sed per omnia æqualitas vigeat.

Dixerat in proxima particula Asiã hac in re Europam superare, quòd in ea nascantur omnia maiora, & pulchriora; tum etiam quòd homines sint & mitiores, & beneficẽtiores: Nunc huius rei rationem affert, & inquit; [*causa verò bonum est temporum anni temperata mixtura.*] Id autem demonstratione probat, & ponit solùm maiorem propositionem, hoc modo: Vbicunque nihil violenter superat, sed per omnia æqualitas viget, ibi omnibus rebus conceduntur incrementum, & benignitas: minor subintelligitur, vt in more positum est apud omnes, qui breuitati student. Talis autem erat: In Asia nihil violenter superat, sed per omnia æqualitas viget: sed eius loco ponit probationem minoris propositionis, & iterum eiusdem probationis confirmationem: probat enim minorem, quòd in Asia sit hæc temporum anni temperata mixtura, ad quam sequitur, quòd nihil sit excellens in qualitatibus, aut violenter cogens. In Asia autem temporum anni temperatam adesse mixturam ex eo probat, quòd Asia maiori, & potiori sui parte sita sit in medio Solis exortu, & ad auroram, à frigiditate remotior. Vt autem intelligi meliùs hoc possit, primò illud repetere iuuabit, Asiam hîc nos intelligere diuisam Hippocratis modo, qui, quicquid calidum est, compræhendit sub Asia, Europę quicquid frigidum est concedens. Secundò in Asia, cùm sit magis ad Orientem posita, & sub æquinoctij circulo quadam parte, certum erit homines minorem recipere varietatem, quàm in Europa. Quinimò in eadẽ multæ partes sunt temperatæ, quales sunt, quæ mediæ sunt naturæ in calore, & frigiditate, & nõ variãtur, nisi p ortũ Solis. Sed illud est, quod explicatione indiget, quòmodo Asia in medio Solis exortu posita sit ad auroram. Quod vt intelligi possit, obseruari debet, terrá, quæ cognita erat tempore Hippocratis, qoin & pòst tempore Ptolomæi, quamque habitabilem censebant, longitudinem habuisse ab Oriente ad Occidentẽ per gradus 180. quam longitudinem dicebant, quòd maior esset hæc longitudo, quàm quę est à Septentrione ad Meridiem, quam etiam ea ratione appellabant latitudinem, quòd minori spatio contineri crederent, 60. nempe gradibus: quanquam tempore nostro sine dubio oppositum defendi potest. Verùm nos in præsentia hac erimus contẽti diuisione, quòd antiquum scriptorem interpretemur. Si igitur pars aliqua erit in medio longitudinis, neque orientalis, neque occidentalis dicitur. Quæ verò magis tendit versus partem Orientis, dicitur orientalis; qualem etiam esse Asiam diuiso orbe in tres partes docebat Ptolomæus secundo de Iudiciis astrorum. Asia igitur cùm inter orientem Solem æstiuum, & hybernum medium locũ ferè obtineat, nihilq; sit præterea inter orientem Solem & Asiam, qđ impedire possit, quin statim ac Sol exoritur, Asiam non illustret, meritò ab Hippocrate hoc loco dictum est, Asiam in medio Solis exortu sitam esse ad Auroram, & à frigiditate remotiorem esse. Sed quomodò, si primò excipit orientis Solis radios, cumque Soli dici possit magis proxima, temperata esse poterit? Animaduertit Hippocrates, à parte Orientis Asiam habere mare, & propterea ab ea parte non multum incalescere posse, nisi calore temperato; quia calor magnus ex ventis calidis à terra eleuatis prouenit. Propter propinquitatem igitur Solis Asia non potest esse frigida, at nec multum calida, quòd mare habeat ab Oriente, vnde exoriens Sol quasi secum vehit subfrigidos, vel temperatos ventos, quibus pars ea terræ repurgatur, & contemperatur: vt enim multum incalescat, pars aliqua potiùs debet esse occidẽtalis; quia, dum Sol exoritur, longiori tempore eas partes excalefacit, excitans vapores, & ventos calidos. In orientali autem parte secus contingit, quòd in ea radij Solares nõ adeò refranguntur, sed quasi fugiunt, & delabuntur. Et hoc est, qđ dicebat; quòd in ea nihil est, quod violenter dominetur, & agat, sed p omnia æqualitas viget. Dixit autem [*à frigiditate remotior*] quoniã quamuis temperata bona pars Asię sit, tamen calor in ea magis viget, quàm frigus, licèt ne illius quidem multus sit excessus: maximè si verum est, quod ex Hippocrate, potissimùm autẽ ex hoc loco statuebamus, Asiæ id totum tribui, quod ab Occidẽte ad Orientem tendẽs ad meridiem vergit: maximè cùm illi non innotuerint partes meridiem versos ingẽti squallore præditæ, sub quibus maior pars Africæ continetur, quæ posteris, & potissimòm nostra tempestate fuit cognita. Quapropter non parum repræhendi debet Germanus interpres, q hoc loco sensum Hippocratis inuertens, ita transfert: A' frigiditate & caliditate omni remotior. cùm alioqui in suis impressis codicibus haberet, *τοῦ τε ψυχροῦ ἀπωτέρω*. neque enim ex calore, & frigore omnino æquè permixta regio esse, aut humoris, & siccitatis medium, vt temperata dici possit eo modo, quo hoc loco sumit Hippocrates, habere debet, quòd omnino, qui corporibus nostris saluberrimus futurus sit status, in calorem aliquo modo inclinare oporteat; quoniã etiam vita nostra calore potiùs, quàm frigore continetur; imò calore fortasse tantummodò, vt interim frigoris quoq; beneficio in plerisque formandis particulis vti naturam etiam concedamus. Cùm igitur temperies quodam modo in Asia vigeat; nõ mirum, si etiam in ea, & maiora ferè omnia, & pulchriora producuntur: quando à temperie, maximè autẽ vbi calor aliquantulum prædominetur, incremẽtũ, & pulchritudo rerum maximè desumatur. Temperatæ enim regiones temperata habent corpora, quæ etiam operationes habent inculpatas; quapropter & augeri, & pulchriora reddi facilè poterunt. Quę etiam causa est, vt & cultiores, & beneficentiores homines reddantur; si vera sunt,

quæ

quæ longa oratione docuit Galenus lib. quòd animi mores corporis temperaturam sequantur. Sed de hac re postea.

IV.

Ἔχει δὲ κατὰ τὴν Ἀσίην οὐ πανταχῆ ὁμοίως. ἀλλ' ὅση μὲν τῆς χώρης ἐν μέσῳ κεῖται τοῦ θερμοῦ καὶ τοῦ ψυχροῦ, αὕτη μὲν εὐκαρποτάτη ἐστὶν, καὶ εὐδενδροτάτη, καὶ εὐδιεστάτη, καὶ ὕδασι μάλιστα κέχρηται, τοῖσί τε οὐρανίοισι, καὶ τοῖσιν ἐκ τῆς γῆς. οὔτε γὰρ ὑπὸ τοῦ θερμοῦ ἐκκέκαυται λίην, οὔτε ὑπὸ αὐχμῶν καὶ ἀνυδρίης ἀναξηραίνεται, οὔτε ὑπὸ ψύχεος βεβιασμένη. νοτία τε καὶ διάβροχός ἐστιν, ὑπό τε ὄμβρων πολλῶν καὶ χιόνος.

Cæterùm non habent vbiq; per totam Asiam omnia secundum eundem modum: sed pars quæcunque huius regionis in medio calidi, & frigidi sita est, ea quidem fertilissima existit, & arboribus refertissima, & maximè tepens, & aquis optimè vtitur, & cœlestibus, & ex terra promanantibus: neque enim à calore exuritur valdè, neq; à squalloribus, & aquarum inopia exiccatur, neque à frigore obladitur: australisq; est, & irrigua, tum propter imbres multos, tum propter niuem.

Ne quis fortasse sibi ex iis, quæ proximè dixerat, persuaderet, Asiam vniuersam temperatam esse, & insignibus iis dotibus donatam, de quibus nuper dixerat, in hac particula seipsum explicans docet secus rem se habere. In vniuersum enim Asia Europam aëris temperie, & cæteris naturæ dotibus superat, quòd maior in illa terræ portio reperiatur illis qualitatibus insignita, quàm in Europa, quodque in iisdem aliquæ Asiæ prouinciæ quascunque Europæas superent: at verò non omnes Asiæ partes sunt huiusmodi, sed multæ etiam in Europa reperiuntur, quę quamplurimas Asiaticas in iisdem bonis qualitatibus superant. Et hoc est, quod nos docuit in prima huius particulę parte, cùm dicit; [*Cæterùm nō habent vbique per totam Asiam omnia secundum eundem modum.*] sic enim potiùs mihi placet interpretari, quàm vt Germanus interpres, qui sic vertit; [*quanquam non habeāt vbique per omnem Asiam omnia secundùm eundem modum.*] superiori seriei omnino coniungens, ab inferiori autē separans. Sequitur vtens aduersatiua ἀλλὰ, secus quàm fecerit Germanus interpres, qui dictionem reddentem causam apposuit, cùm vertit; [*quæcunque enim in ea regio sita est in medio.*] Postquam igitur docuit, non per vniuersam Asiam esse omnia temperata, & tam insignibus dotibus naturæ insignita; nunc statim subdit, id solùm reperiri saltem per se in ea parte, quæ in tres partes æquales diuisa Asia medium locum tenet, nullam omnino certā præscribēs regionem; hocque modo comprehendit etiam Ægyptum, & partem Aphricæ; sicque cùm inquit, quæ pars media est inter calidum, & frigidum; non frigidum absolutè intelligit, sed frigidiorem partem Asiæ, magis nempe proximā Europæ, & Boreali parti, quam infrà etiam sub Asia comprehēdet. Hanc igitur partem omnium fertilissimam dicit, & arboribus refertissimam, in qua aër sit clarus, cœlumque & serenum, & tepens, tum & aquæ, quæ in vsum humanum veniunt, tum pro potu, tum pro parandis eduliis, tum pro irrigādis campis optimæ sunt tam pluuiæ, quàm ex terra promanantes. Hic varietas est, sed tamen parui momenti in contextu Græco; nam vbi nos transtulimus [*& aquis optimè vtitur*] in impressis omnibus est, καὶ ὕδασι μάλιστα κέχρηται. in manuscriptis aliquibus est, καὶ ὕδασι καλλίστοις κέχρηται, id est, & optimis aquis vtitur.

Neq; enim à calore exuritur valdè.] Reddit rationem, cur adeò fertilis sit, & arboribus referta: & inquit; neque enī, vt in ea parte, quæ est versus zonam torridam, à calore hæc regio exuritur valdè. Addit valdè, vt nobis ostenderet, qđ ab initio dicebamus, licèt temperatam hanc dixerit, potiùs tamen ad calorem vergere: cùm etiam ea pars, quæ frigida in Asia dicitur apud Hippocratem, non modò non simpliciter frigida sit, sed etiam calore excedat, vt ea ratione eam ab Europa seiungamus.

Neq; à squalloribus & aquarum inopia exsiccatur.] In terris enim considerandis, earumque fertilitate perpendenda potissimùm consideratur, an sint aquis irriguæ, q̄a sine iis solent sterilescere.

Neq; à frigore obleditur.] id est, nō adest ingens frigus, quo terra gelu concrescat, & obrigeat. Propterea non probo aliam lectionem, quæ in Zuingeri, Gadaldini, & nostris variis in hunc librum lectionibus reperitur, vt loco βεβιασμένη legatur πέπτεται, coquitur; cùm frigoris non sit proprium concoquere: sed hæc actio tota calori accepta semper referatur.

Australisq; est.] Mirum hoc videtur, quomodo, si orientalis sit, australis dicatur: & si temperata, quomodo australis; nisi p̄ australem hic propriè excipientem Austros intelligamus. Pars enim potiùs, quæ omnino calidior est in Asia, de qua non facit mentionem hoc loco, est, quæ Australis verè dici potest. At verò Australis est, quòd multò magis Austros, tanquam illi propinquiores excipiat; & hoc potissimùm, si secemus terram in duas partes, eo, quo dicebamus, modo: quinimò cùm Taurus mons ab Oriente ad Occidentem tractus, quasi totā Asiam, etiam diuiso in tres partes orbe, quemadmodum fit communiter, intersecet, alteram partem ad Aquilonem, alteram ad Austrum relinquens: certum est etiā eam, quæ citra Taurum est, ad Austrum positam dici, ventosque etiam eiusmodi maximè recipere. Neque verò censendum est, propterea minùs temperatam ea ratione reddi, quòd docuerit Aristoteles, si modò sunt libri illi Aristotelis, 26. sect. problem. 48. & ante eum Hippocrates 2. de Diæta, Aphricæ, & partibus ad Austrum versis, non minùs frigidum

persentiri Austrum, quàm nobis Aquilo; quòd iuxta propria principia cùm sit, materiæ naturam adhuc retineat, & loci, vnde eleuatur, frigidioris: nobis autem calidior persentitur, quia per calidiora loca delatus incalescat, vaporesq; calidos secùm vehat. Cùm verò Asiæ hæc pars in medio quodam loco sit posita, tum respectu nostri, tum respectu loci, vnde ventus is profluit, censendum est in ea regione non esse adeò calidæ naturæ, nec propterea adeò perniciosum, vt in nostra regione, sed propè temperatum.

Et irrigua tum propter imbres multos, tum propter niues.) In 1. & 2. lib. ostensum est, Austrum humidum esse; propterea cùm frequentior sit in Asię parte media, meritò dicit Hippoc. esse irriguã propter imbres multos. At quomodo etiã propter niuem? ánne vix laudanda? Hæc pars cùm à Borea Austrum versus non adeò recedat, quin in ea commodè & pluere, & ningere possit, suo etiam tempore niues habet temperatas, quorum ad agri fertilitatem sit necessarium, terræ internum calorẽ cum exhalatione euanescentem non solùm includentes, & comprimẽtes, verùm etiam liquorem sensim præbentes, vt optimè docebat Plin. cap. 2. lib. 17. Natur. hist. quod etiam Theophrast. lib. 2. de Causis plant. cap. 2. confirmauit. Niuem autẽ, & ex niue genitam aquã improbabat superiùs, si pro potu in vsum traducatur, quam hic maximè commendat pro terra irriganda, & fœcunda reddenda.

V.

Τά τε ὡραῖα αὐτόθι πολλὰ ἐοικὸς γίνεσθαι, ὅσα τε ἀπὸ σπερμάτων, καὶ ὅσα αὐτὴ ἡ γῆ ἀναδιδοῖ φυτὰ, ὧν τοῖσι καρποῖσι χρέονται ἄνθρωποι, ἡμεροῦντες ἐξ ἀγρίων, καὶ ἐς ἐπιτήδειον μεταφυτεύοντες.

Maturè autem pleraq; in ea nasci par est, & quæ ex sparsis seminibus proueniunt, & quæcunque à terra ipsa per se sponte producuntur plantæ, quarum fructibus vtuntur homines, eas ex agrestibus domesticas facientes, & pro commoditate sua transplantantes.

Quòd omnes interpretes hoc loco præter vnum Caluum ὡραῖα fructus horarios, aut suo tempore maturos, aut absolutè fructus interpretati sint, nullo modo mihi potest satisfacere: non solet enim dictio ὡραῖα absolutè posita significare aut fructus, aut maturos fructus, nisi dictio fructus significãs adiiciatur, aut certè nisi aliquid immediatè de fructibus dictum sit. Id autem cùm nõ fecerit hoc loco Hippoc. omnia potiùs herbarum, plantarum, fructuum, & eorum tandem, quæ ex terra nascuntur, genera, per eam dictionem intellexisse dicendum erit, quę tempestiuè, aut suo tempore nascantur. Vnde apud Hipp. 3. Aphor. 8. notat Galen. ὡραῖον dici τὸ κατὰ τὸν οἰκεῖον καιρὸν γινόμενον, quod suo tempore fit. Prosequitur igitur comprobare Asiam bonis omnibus gaudere, potissimùm quòd in ea suo debito tempore & nascantur, & maturescant omnia.

Et quæ ex sparsis seminibus proueniunt, & quæcunq; à terra ipsa sponte per se producuntur.) Per duo hæc genera herbarum, plantarum, & huiusmodi Hippoc. ea omnia comprehendit, quæ à terra nascuntur. Docet enim Theoph. 1. de Caus. plant. cap. 1. omnes plantas, quæ semen edunt, etiam à semine proprio posse propagari, aliter, dicit, fecisset natura illud semen frustra; easdem tamen dicit posse etiam sine semine propagari: mox dicit, quæ semen non edunt, propagari, & oriri sine semine. Ita vt colligere liceat, voluisse plantas solùm, quæ semen edunt, oriri ex semine, neq; eas semper sic, sed aliquãdo etiam sine eo. Et quamuis alis propagari soleant, & surculis radicibúsve plantatis, tum etiam insitione; tamẽ à principio quæcunq; generantur, aut semine producuntur, aut à terra vi Solis per se eliciuntur: propterea igitur iis solis fuit contentus Hippoc. tanquam primariis, & solis ad generationem necessariis.

Quarũ fructibus vtuntur homines, ex agrestibus, &c.) Cùm oriantur, & propagentur plantæ, de quibus in præsentia præcipuus est sermo, quinque modis; vel semine sparso, vel spõte vi Solis, vel insitione, vel transplãtatione radicis, aut ramorum, eas omnes hic iis verbis innuit Hippoc. Nam de iis, quę vel sponte, vel à seminibus sparsis producuntur, egit iam; de reliquis autẽ modis, quibus propagari solent, nũc intelligit: domesticæ enim plantæ vt plurimũ insitione producuntur: pro commoditate autẽ dumetis, & syluis in pomœria transplantãtur. Ex iis quinque modis mixtis videntur alij oriri, qui tñ sub iis reducuntur. Sed de iis rebus consulendus erit Theophrast. 1. de Caus. plant. & M. Varro lib. de Re rust. 39. Hac igitur tota verborum serie nihil aliud sibi vult Hippoc quàm adeò fertilem esse mediam hác Asię partẽ, vt quocunq; modo desideremus, prouentũ ex terra vberrimè capiamus.

VI.

Τά τε ἐντρεφόμενα κτήνεα εὐθηνέειν εἰκὸς καὶ μάλιστα, τίκτειν τε πυκνότατα, καὶ ἐκτρέφειν κάλλιστα.

Pecora etiam ibi enutrita bene vegeta, & maxima proueniunt, sæpiusq; parientia, & quæ optimè educantur.

Qua ratione superiùs hanc Asiæ partẽ cerealibus omnibus seminibus, & fructibus abundare dixerat, vt illius temperiẽ ostenderet, eadem quoq; iumenta ibi enutrita, & nata, bene vegeta, multa, & maxima reperiuntur, sæpiusq; pariunt, & optimè, vbi nata sint, educantur. Sunt verò hæc signa quidem, sed impropria; sunt enim potiùs effectus. Transit autẽ per gradus à simplicioribus ad magis composita: dixerat de aëre, & aquis, mox de iis, quæ ex terra promanant: nunc de nobilioribus iumẽtis humanæ naturę magis similibus; & inquit, bene vegeta reddi, i. pinguiora,

pinguiora, & magis carnosa; & maxima, q etiã sæpiùs pariant, ob aëris, aquarũ, & pabuli excellentiã, quibus etiã rationibus feliciùs educant.

VII.

Τούς τε ἀνθρώπους εὐτραφέας εἶναι, καὶ τὰ εἴδεα καλλίστους, καὶ μεγέθει μεγίστους, καὶ ἥκιστα διαφόρους ἐς τά τε εἴδεα αὐτῶν, καὶ τὰ μεγέθεα.

Quin & homines habitiores esse, & specie pulcherrimos, & magnitudinis eximiæ constat, forma interim, & corporum proceritate, non admodum dissimiles.

Commendat etiã hoc loco Asiam medio loco existentẽ à nobilioribus partibus, homine nempe: cuius causa omnia generata esse aliàs demonstratũ est: commẽdatq; homines à quatuor conditionibus corporeis, q firma sint, & vegeta corporis valetudine, q pulchri, q magni, q deniq; multum inter se sint similes, tum forma, tum corporũ proceritate. Vocat autem εὐτραφέας bene nutritos, & bona valetudine, & firma corporis præditos, qui morbis omnibus ex æquo resistunt, vt optimè docet Galen. lib. de Opt. corp. constit. & quorũ actiones ex æquo sunt inculpatę. Adiicit huic, quod solet vt plurimùm bonæ huic & vegetæ constitutioni corporis esse coniunctum; τὰ εἴδεα καλλίστους, forma optimos esse, i. pulcherrimos; necessariò enĩ ad pulchritudinem refertur, cùm de magnitudine, & partium conformatione solà statim subiungat. Cùm enĩ quispiã bona constat valetudine, & partes conformatione, numero, situ & magnitudine, bene cõstitutę sunt, adsitq; elementorum, vel potiùs humorũ recta, & proportionata commixtio, tũ venustas, tum soleus cũ rubente, & fusco aliquantulum mixtus color excitatur, ex quibus pulchritudo fit: docebat enim Gal. in Art. med. bene constituti corporis pulchritudinem indicium esse.

Καὶ μεγέθει μεγίστους, & magnitudinis eximiæ.] Magnum id dicitur corpus, quod nõ longitudine modò, sed & latitudine, & profunditate secundùm proportionem auctum est, vt docet Gal. 2. Aphor. vlt. Est tamen hac in re nonnihil, quod animum lectorum in dubium reuocate possit, q Aristoteles 14. Problem. sect. probl. 8. non in temperatis regionibus, sed potiùs in frigidis valdè, & calidis, proceros homines euadere scribar, cùm quærit iis verbis; Cur timidi fiunt, q feruida loca incolunt; fortes, qui gelida. An q, natura contrà, q loca, & tempora se habet: quoniam si se similem ageret, citò periret. Sunt autem fortes, q calidi sunt natura: qui exangues, timidi, & qui refrigerati sunt. Fit igitur, vt qui loca inhabitant calida, refrigerentur; qui frigida, incalescant. Vtrique tñ corpore magno adolescunt, eò q, qui frigida colunt, insito calore abundant: qui calida, calora loci fouẽtur: quippe cùm in calidis, & à calore incrementum sequatur: frigus autẽ vim adstringẽdi, constipandique habeat. Cùm igitur alteri principium intra se vehemẽs augendi obtineant, alteri nullo externo frigore impediantur; meritò vtriq; augeri possunt pleniùs. Homines nostrę regionis augeri ideò minùs possunt, q, & principium illud in se imbecillius contineant, & frigore aliquantisper constipãtur. Ex quibus constat, magnitudine excedere eos apud Aristotel. qui in frigidis valdè regionibus habitant, & qui in calidioribus, secus, q hoc loco videatur voluisse Hippoc. qui magnitudinis eximiæ eos esse scribit, q in temperata regione, puta in media parte Asiæ nascuntur, & educantur. Verùm Philosophus de ea proceritate loquitur, quæ mediocritatem superara videtur: comparatq; temperatam regionem ad valdè calidam, & valdè frigidam. Hippoc. verò de ea proceritate agit, quę mediocritatem nõ superat, comparatq; temperatam ad modicè excedentẽ & in caliditate, & in frigiditate: q, verò Aristotel. de calidissimia regionibus loquatur, patet, quia dicit, qui in calida regione habitant, nullo frigore percelluntur: quod solùm verum est de iis, qui in calidissima regione habitant. Quoniam autem neque excellens frigus dominatur, neq; calor, quanrũ præter ordinem naturæ officere possit, excellit, sed quasi in mediocritate posita est hæc regio; ideò facillimum est, multos tũ forma, tum magnitudine similes reperiri, magis q̃ in aliis regionibus. Nescio quid in mentem venerit Alemano, cùm in fine huius particulæ de suo præter alicuius codicis fidem addit, καὶ τοῖς σώμασι, q͂d interpretatur; & voce constat esse constantes. Neq; aliam affert rationem, nisi quia inter gentium discrimina hoc à voce desumptũ inferiùs posuerit Hippoc. quẽ etiam secutus est Cardanus noster in Commẽtariis. Atqui superfluam esse, & omnes codices impressi, & manuscripti ostendunt, & series verborum Græcorum non admittit, neque structura orationis: quod vel mediocriter in Græcis literis axercitato facillimè constabit.

VIII.

Εἰκός τε τὴν χώρην ταύτην τοῦ ἐγγύτατα εἶναι κατὰ τὴν φύσιν, καὶ τὴν μετριότητα τῶν ὡρέων.

Verisimileq; est regionem hanc q̃ proximam esse natura, & moderatione anni temporibus.

Adeò difficile videbatur interpretibus intelligare, quid sibi vellet Hippoc. cùm dicit hanc regionẽ naturã, & moderatione propiùs accedere ad anni tempora, vt quotquot ẽ Græco in Latinum sermonem huuc librũ verterunt, omnino inter se varij, & diuersi fuerint: & vt ordine progrediar, Caluus omnium antiquior ita vertit: Hanc ergo regionem par est naturã, mediocritate, tempestatibus, anni tempori b^9 temperatis, & tempestiuis proximã esse. Cornarius sic: Certumq; est hãc regionẽ proximè accedere ad naturam, ac temperaturã optimæ constitutionis. Cardanus hoc modo: Certumque est,

hanc regionẽ proximè accedere ad naturam, & mediocritatem anni temporũ. Zuingerus aliter: Certumq; est hanc regionem proximè accedere ad naturã hominis, ac temperiẽ anni temporum. Baccius Baldinius, qui profitetur se ad verbum vertere, ita transtulit: Et regionem hãc veri natura, ac moderatione proximam esse verisimile est. Quarũ omnium interpretationem, vt liberè dicã quid sentiam, nulla est, quæ fidelis dici possit, quęq; reuera verba Hippoc. in Latinum ferat. Nam Calui versio paraphrasis ferè est verborũ Hippoc. & multa de suo addit, quæ nõ sunt in Græco, vt cùm dicit, tempestatibus, & anni temporib⁹ temperatis, & tempestiuis, &c. Cornarij versio duo continet, quibus omnino admitti nõ debet. Primum, q. præpositionem κτ̃ transferat, ad: quod quamuis aliquãdo apud scriptores Græcos factũ videamus, vt κτ̃ ꝓ ad sumãt, sæpiùs tñ ꝓ in sumi videmus. Præterea sensus senteutiæ multò clarior est, si ad prępositã referatur, ita, vt hanc regionẽ dicat in natura, & mediocritate sua ꝓpiùs accedere ad anni tempora. Secundò refelli debet, q. malè trausferat τ̃ ὡρέων, optimæ constitutionis, cùm eo nomine nusquam apud Græcos inueniatur intellecta optima constitutio. Eandem difficultatem patitur Cardani interpretatio. Peccat autem Zuingerus in sua traductione, quòd & ipse prępositionẽ κτ̃ cùm transferat, ad, adiunxit, & ad naturam hominis, quod in contextu Græco non reperitur, & temperiem temporum anni. Baldinij traductio vt tolerabilior est, q. Homerus semel, aut iterum vsus sit dictione ὥρη, pro vere, cùm tñ hoc admodum infrequens sit, & ipse etiam Homerus ferè semper, cùm vernum tempus nominat, ὥρῃ εἰαρινῇ dicit, quemadmodum etiam ὥρῃ χειμερίῃ tempestate hyberna dicebat Iliad. censendum est melius esse, si transferamus anni temporibus. Laudandus tñ hac in parte Baldinius, q. verba κτ̃ τ̃ φύσιν κ̀ τ̃ μετριότητα, non ad sequentia verba retulit τ̃ ὡρέων, sed ad τ̃ χώρῃ. Quòd si transferamus hoc modo, & Græca Hippoc. verba ita intelligamus, quinam erit sensus verborum Hippoc. cùm dicit regionem hanc naturã, & moderatione proximã esse anni temporibus? Videbat Hippoc. tunc annum esse temperatũ, cùm quatuor tempora suam seruauerint naturã, vt cùm ver temperiem quandam habet, qua tñ aliquantulum ad caliditatẽ, & humiditatẽ vergat calori nostro naturali similem; æstas calore, & siccitate præualeat, autumnus frigore, & siccitate, cùm præterea hyems est frigida, & humida: in hac parte Asiæ, de qua instituitur sermo, cùm nec calor maximè pręualeat, nec frigiditas multa persentiatur, humiditas & siccitas temperiẽ quasi efficiant, propterea inquit, naturã, & moderatione proximã esse quatuor anni temporibus: q̃ si bene disposita sint, & naturã suã seruauerint, simul iis mixtis temperiem quandam moderatã in anno toto efficiunt. Dixit autẽ accedere, & proximam esse, A q. cognosceret, non omnino esse temperatam, sed aliquo modo ad calidiorem accedere.

I X.

Τὸ δὲ ἀνδρεῖον καὶ τὸ ταλαίπωρον, καὶ τὸ ἔμπονον, καὶ τὸ θυμοειδὲς, οὐκ ἂν δύναιτο ἐν τοιαύτῃ φύσει ἐγγίγνεσθαι, μήτε ὁμοφύλου, μήτε ἀλλοφύλου, ἀλλὰ τὴν ἡδονὴν ἀνάγκη κρατέειν, διότι πολύμορφα γίνεται τὰ ἐν τοῖς θηρίοις· περὶ μὲν οὖν Αἰγυπτίων, καὶ Λι- B βύων, οὕτως ἔχειν μοι δοκεῖ.

Virile autẽ & ærumnosum, laborumq; patiẽs, & animosũ nihil in huiuscemodi natura ꝓducĕ potest, neq; si patriũ, neq; si externũ fuerit, sed voluptatẽ necesse est dominari. Qua ratiõe multiplices etiã in feris generãtur part⁹. De Aegyptijs igitur et Libybus res ita se habere mihi videtur.

Et hic vnus est ex iis locis, qui minùs rectè ab interpretibus sunt in Latinum sermonẽ versi. C Quinimò cùm non satis intelligeret, quid sibi hoc loco vellet Hippoc. aliqui deprauatũ & diminutum codicẽ asseruerunt, alij multa de suo addiderunt: cùm alioqui si ita interpretetur, vt nos fecimus, & optimũ sensum habebũt verba Hippoc. & fideliter erunt traducta. Non erit tñ præter rationẽ, antequã ad explicationem verborum veniamus, aliorũ interpretationes apponere, nõ secus q̃ in superiori fecerimus. Caluus igitur vertit hoc modo: Corporis autẽ fortitudinem, audaciam, iracundiam, laborũ tole- D rantiam in iis naturis suum, vel alienũ ingenerari nunq̃ concederes, sed voluptatẽ superare. In qua illud non ita placet, q. de suo addat corporis fortitudinem: cùm ἀνδρείη nõ corporis robur solùm, sed virtutẽ animo potiùs inhærentem, fortitudinem, & generositatẽ, quã vocant, significet. Alterum est, quod non probatur, q. non video quomodo verba illa suum, vel alienum, aut correspondeant Grę̨co contextui, aut E etiam quid ita posita nobis possint significare, aut cui attribui. Cornarius autẽ ita vertit: Verùm virilitatẽ, laboris tolerantiam, ac audaciã, nõ verisimile est huic naturæ innasci, sicut neq; eiusdem, neq; diuersi generis constãtes, ac perpetui sunt amatores: vincit enim in ipsis voluptas, q̃ ratio est, multiformes generari partus, præcipuè in feris. In hac etiam multa sunt, quæ non satis placent. Primùm q. in abstracto virtutes has interpretatur, secus, q̃ voces, quibus v- F sus est Hippoc. nobis significent. Secundò, q. non sit interpretatua vocem ταλαίπωρον, nõ parum reprehendi debet. Tertiò etiam, q. sequentia verba minùs rectè interpretetur, μήτε ὁμόφυλον, μήτε ἀλλόφυλον: quę vertit; neq; eiusdem, neq; diuersi generis constãtes, ac perpetui sunt amatores: vbi multa de suo addit, quæ etiã nullum sensum habẽt. Cardanus eandem propè sequitur, nisi q. in prima parte ταλαίπωρον dictionem non omisit, ærumnarum tolerantiam vertens. Alemanus sic vertit: Verùm virilitatẽ, laborum cupidita-

cupiditatē, rerum difficiliom, & ærumnarū tolerantiam, animi confidētiam, nō verisimila est huic naturę innasci: neq; indigena, neq; alienigena erit animosus: vincit em̄ in ipsis voluptas, &c. In qua illud nō probatur, q. id, qđ in secunda parte positum est, quod referri debebat ad superiora, ipse disiungit, & addat de suo, erit animosus: & loco disiunctiuæ præpositioois, ἀλλὰ verùm, coniunctiuā, eoim, apponit. Zuingerus ita vertit: Virilitas autē, malorū item, & laborū toleraotia, ac audacia hisce naturis ingenerari nequit. Neque generis vel societas, vel diuersitas, sed libido domioatur. Vbi notandū est, voluisse hac in parte contextū esse deprauatum; & vnā senteoriam prima serie verborum absolui: at verò quæ sequūtur, neq; generis vel societas, vel diuersitas, nō ad superiora refert, sed ad ioferiora: ita vt sensus sit, ooo societatem, aor diuersitatem generis, sed libidinē dominari. Hæc verò cū superioribus ait non cohærere, sed mul ta deesse. Qua in re ab ipso dissentio, siquidē si eo modo transferatur, quemadmodum nos fecimus, proculdubiò & cohærent optimè, & oihil deesse constat. Quæ verò postremò à Baccio Baldinio tradita est, fidelior quidē est, sed tā ita reddita, vt nullum omnino sensum habeat. Habet em̄ sic: Fortitudioem verò nō defatigari, laborom patientiam, & iracuodiam, nequaq̄ tali naturæ innasci potest, neq; indigenā, oeq; alienigenam, sed voluptatē obtinere. In quib⁹ verbis illud obseruatur, q. dum nimis ad verbum Græca verba in Latinū vult transferre, ita id facit, vt nullum omnino sensum referāt. Sed hoc illi considerādum magis seria quæreoti. Quòd si nos interpretemur, vt docuimus ab initio, & manifestus erit sensus, & maximè iis consentiens, quæ in hoc eodē libro iofrà tradidit. Atq; hic erit sensus. Cùm em̄ q̄ multa in laudem huius partis adduxisset, dicit tū, carent iis virtutibus, vel semiuirtutibus, virilitatē, audacia, & malorū, & laborū tolerantia. Quinimò subdit; neq; si patrium, neq; si externū fuerit: quasi innuens, neq; has virtotes Asianis innasci, naq; si aliunde in eā Asiæ partē veniāt, animis vigere, sed delitiis, & luxu frangi. Id verò intelligi debet, q. natura hæc illis nō innascūtur, neq; multis, quamuis aliqui institutione ea assequi possint. Verùm illud dubitationē habet, quomodo Asiani ij, cùm, q. inter calidam & frigidā regionem quasi medij fiot, temperiē quasi oanciscantur, timidi, laborū impatientes, in aduersis oon adeò constātes esse hoc loco ab Hippoc. dicantur. Sed dicendum, q. ob æqualem illā regioois temperiē ipsi etiā quodammodo æqualitatem habēt, vnde in omnib⁹ aliquantò etiā mitiores sunt. At vbi varietas est temporum maior, vt in Europa, vbi corpora à magnis caloris & frigoris mutatiouibus permutantur, firmiora fiunt, incalescunt interna, & ꝓpterea viribus corporis confici, & internè concentrato calore excitati magis ad opera fortitudinis, & ad laborum tolerantiā excitantur. Qood etiam si excedat, in vitium verti videmus. At, vt infrà ostendet, vitium hoc ad virtutē traducitor ob vtilitatem Reipubl. qua ratione, vt docebat Aristoteles 7. Polit. cap. 7. Europæi liberi manēt: Asiani Regibus seruiunt. Declarat postea, nō indigenas solùm, sed etiā alienigeoas in ea parte Asiæ effœminari, cū dicit, μήτε ὁμόφυλον, μήτε ἀλλόφυλον; de indigenis satis etiā rationibus naturalib⁹ iam constat, quæ etiā externis, vbi diutiùs in ea degunt, conuaoire possunt: sed statim potiorē affert ratiooē, cùm dicit, *(sed vincit in ipsis voluptas.)* nam ob voluptatē effœminātur corpora; iis autem sunt maximè promptę voluptatum illecebræ. At vbi voluptates domioātur, docebat Plutarchus in lib. cootra voluptatē, corpora resoluuntur maximè emollita indies delitiis, quarū assiduus vsus tollit vigorem, relaxaos vites eorum, vnde morborū, & lassitudinū copia egregiè proficit, & senectæ rudimeota io iuuentute præludunt. Neq; verò est, q. quispiam obiiciat aliquos homines tū oostris, tum antiquis temporibus fuisse voluptatibus omnino deditos, q aliogoi & in bellis gerēdis, & in exercitibus ducendis fuerunt & acerrimi, & exercitatissimi; quales fuēre tū C. Iul. Cæsar, tum M. Antonius Triomuir, maximè cùm intemperantię cum timore nulla videatur esse cooiunctio. Nam aliquid in singularibus accidere potuit, quod in vniuerso populo reperiri mioimè potest. Populum gentēmve aliqoā luxui deditam esse, & fortem, impossibile omnino videtur: populi enim vix ob virtutē pugnaot, sed vel educatione, vel necessitate, quorū vtrunq; rerum copia, & affluxus tollit: hęc autē adest, vbi voluptas. Neq; em̄ voluptates expleri possunt sine rerū affluentia. Voluptas em̄ duplici ratione fortitudini in bellis gerendis obesse potest, tū sui memoria reuocando à militaribus officiis, tū & vires eneruando. Quapropter in Lycurgo dicebat Plutarch⁹, Lacedæmoniorom vitam adeò duram fuisse, vt diem pugnæ semper optarēt, mortē duriori vitæ præferentes. Cùm verò in media hac Asiæ parte temperies vigeat, corpora frigore, & æstu, durari non poterūt, luxu autē abundantes, ideò fortes esse oon poterunt, & in aduersis patientes. Ideò dicebat Plio. Italiam primo luxu Asianorum esse corruptā. *(Διὸτι πολύμορφα γίνεσθαι τὰ ἐν τοῖς θηρίοις)* Possunt duplici modo in Latinū verti; vel, quapropter multiplices, vel, multiformes fiunt partus in feris. Omnas hucusq; interpretati sunt multiformas. At cur id in feris potiùs, q̄ in hominibus? Cur proles cæterorū animaotium magis q̄ hominis suis parētibus similem gerat naturam, vt optimè etiā docebat Aristoteles sect. 10. Problem. probl. 12. cuius etiā rei rationem explicabat ibidem, cùm dicit: An q. homo vago, varióq; plurimùm animo io coitu est? prout autē pater materq; in cōceptu affecti fuerint, ita partus euariāt. Cætera autē animantia omnia, aut certè plurima, rei tantùm ipsi in-

tendunt, totaq; sese Venari dadunt. Nisi diceremus, non hoc loco comparare partus hominia cum faraium partubus, sad feraium Asię pattus cum fetarũ Europæ partubus. Quod cõfirmare vidantur varba proximè sequentia, cũ dicit: Sic quidẽ de Ægyptiis & Libybus habere videtur: quasi alluderet ad antiquũ illud prouerbium; semper aliquid noui affart Aphrica. Satius tñ est, mao iudicio, itutarptatari πολύμορφα, i. multiplices partus fieri, quod nõ facus, q̃ sæpiùs generant hic, & vbariùs mulieres, ita vt atiã sæpe gaminos patiãt, ita feras omnes in Asia fœcunditata Europæas supatare. Quod etiã nos lõuga oratione in 2. lib. docuimus, cũ Hippoc. exponetamus, dum fœminaa ciuitatũ Oriẽri expositarum fœcundas asse dicebat: Quòd si boc verum ast de ciuitata ventis orientalibua exposita, multò magis vatificabitur in vniuersa ea Asiæ parte, quæ ad Orientem iacet.

De Aegyptiis igitur & Libybus, &c.] Hæc varba expositoribus maximã fecerunt difficultatem: naq; eñ cùm hic de Asia agat, & madia Asię par te tampetarissima, nunc da Ægypto, & Libybꝰ se egissa dicare potuisse videtur, q̃ eaa partas ad Aphricam potiùs attinate constar, naq; ita tampetata illa loca vidantur, sed calora aliquantulum axcedentia. Quapropter alij subdiritia asse hęc verba iudicãrunt, alij q̃ plurima ad hãc tam præter tationẽ congasserunt. Varùm si, quemad modũ ab initio docebamꝰ, vniuatsum in duaa partes facemus, quarũ altata sit Europa, altera sit Asia, quemadmodũ antiquos facisse q̃ plurea grauissimis doctissimorũ virorum auctoritatibua comptobauimus, nulla supererit ampliùs difficultas: diuiso eñ orbe, vt in initio huiua libri ex Hippoc. sentantia docuimus, citra controuersiam constabit Ægyptũ, & Aphricæ partem esse sub Asia comprehendãdam: Ec quamuis calot in aa tegione aliquantò superac, excessus taman nõ is est, qui tamperiam hanc tollat, quam improprié temperiem sampar diximus, ad calotam tamen inclinantam.

X.

Περὶ δὲ τῶν ἐν δεξιᾷ τοῦ ἡλίου τῶν ἀνατολῶν τῶν θερινῶν μέχρι Μαιώτιδος λίμνης (οὗτος γὰρ ὅρος τῆς Εὐρώπης καὶ τῆς Ἀσίης) ὧδε ἔχει περὶ αὐτῶν.

Qui verò ad dexteram æstiui ortus Solis vsq; ad Mæotidem paludem habitant (hic enim est Europæ & Asiæ terminus) hoc modo se habet.

Asiam nobilitata soli, & vbertate Europam supetara superiùs iam docuarat: na quis tñ crederet hoc p vninersam Asiam esse, ita vt facundùm omnes pattes Europsm supetarat: docuarat etiam hoc sibi assumpsisse non ex vniuarsa Asia, sed ab vniuersaliori, media nempe inter frigidam, & calidam, id est, da aa, quæ media ast quodammodo inter eam, quæ posita est versus Septentrionẽ, & eam, quæ ad Austrum vergit, quę longè lataq; patet. Nunc de lateralibus partibua tractationã instituit. Verùm quoniã quæ pats ad Austrum posita arat, illi ferè etat incognita, quod atiã posterioribus ax parte accidit, eam prætermisit, & illius tractarionẽ prosaquitur, quę magia ad Saptentrionẽ vergit, iunctaq; est magis Europę, quę omnino tempore suo cognita erat, quãuia frigidior aliquantò sit. Difficultatam tñ nou paruã facit, q̃ iam dixarimus diuarso omnino modo Hippoc. diuisissa vniuersum terrarum orbem, atq; secarint antiquè scriptores Geographici, & naturales, cũ in duas partes solùm terram facuerit, calidiorã partam Asiæ tribuans, frigidiorẽ Europæ: cùm alioqui certum sit Hispaniam, Italiam, & multaa atiam Galliæ partes multò calidioraa asse, q̃ sint eæ partes, quæ sunt ad Mæotidem paludem. An dicendum, nos Asiæ partẽ terræ calidiorẽ tribuisse, q̃ rauara in illa continaãtur partes ex tribus duæ calidiores: tertia varò, quæ ad Mæotidem ast, licèt frigidior sit tempatata, & q̃ par sit, minùa tñ alget, q̃ quæ præter Mæotidem versus Arcticum polum sunt constitutę, & q̃ laterales, vt Germania, Sarmatiæ pars Europæa, & aliæ. Cùm igitur Asia calidę regionis magis in se cõtineat, q̃ frigidæ, econtrà Europa: & cùm, quæ pars frigida est in Asia, minùa atiam frigore infestetur, q̃ quæ frigidæ sunt in Europa, maritò calidam partẽ Asiæ tribuimus, frigidam Europę. Est secundò, quod dubitationẽ non paruam efficere potest, qđ nos diuerso modo Hippoc. orbam terrę diuidere dicẽtaa affatabamus, non diuisa latitudine ab vno polo ad alterũ, id ast, p Tanaim flumen & Mæotidam paludem, punctumq; Euxinum, Europã ab Asia sepatassa, vt plarique faciunt, sed dissecta potiùs longitudine, quasi permedium. At verò hic secus videtur voluissa Hippoc. q̃ Mæotidam paludem terminum constituit Asiæ, & Europæ. Varùm illud sciandũ est, diuarso modo diuidi Asiam, & Europam p Mæotidem paludem apud Hippoc. & alio apud Geographos. Ii enim, quicquid est à Tanai, Mæotide palude, & Ponto Euxino, sinistrum, id ast, versus occidentalem partẽ, totum id Europæ assignãrunt, siua sit versus polum Arcticum, siua versus æquinoctialem linaã: quicquid varò à dextera versus orientalem partẽ positum arat trans Tanaim, Mæotidem paludẽ, & Pontum Euxinũ, id totũ Asiæ assignabant, siue id suarit varsus polum Arcticũ, siue versus Austrum: ita vt ducta linea à parte versus Septantriones p Tanaim & Mæotidem paludẽ versus Australes partes, quicquid ea sepatabatur varsus Oriantẽ, Asiæ id totũ assignãrint: qua atiam ratione Sarmatiam, cũ alis sit cis Tanaim, alia trans idem flumen, diuisarunt in Asiaticam, & Europæsm. At verò secus fecit Hippoc. noster. Mæotidem añ paludam cartè sibi constituit & ipsa pro termino separanta Asiam ab Europa, sed ita, vt p longitudinam Mæotidem secaret. Et quæcunq; para versua Septentrionea reperitur, ea tota Europæ sit attributa, & consequenter

ter ducta linea p mediam illam paludem p circinum circa terram; quę verò inferiùs reperitur infra circinum versos pontum Euxinum, Asiæ tota est assignata. Et ne qs hæc mea esse figmenta existimet, conabor demõstratione ex verbis Hippoc. desumpta, id ipsum demonstrare. Certum est Scythas plerosque, & Nomades dictos, & alios ferè omnes, Europæ Hippoc. tribuere in ea parte, quã infrà de Scythis scribit. At verò q minimam partẽ cis Tanaim reperiri certum est. At ne quis antiquo tempore censeat fuisse Scythas potiùs in Europa, Diod. Siculus antiquitatis non ignobilis indagator lib. 2. Rerum antiq. cap. 11. oppositũ ostendit, qui postquã dixisset, olim Scythas ignobile genus hominum fuisse, & paruã regionem habitasse Indiæ conterminam, subdit: Nacti regem bellicosum, & militari virtute præcipuum, agros ampliàrunt, mõtanos quidẽ vsq; ad Caucasum, campestres verò vsq; ad Oceanũ, & Mæotidẽ paludem, aliaq; loca ad Tanaim vsq; flumẽ. Ecce Scythas etiã antiquitùs Asiaticos, id est, trans Tanaim, & Mæotidem paludem fuisse, quos tñ in Europa constituit Hippoc. ea, qua diximus, ratione: quod idem ex Herodoto colligi licet in Melpomene. Quòd si quis dixerit Moschos, & Sarmatas omnes sub Scythis esse comprehensos, id vtriq; & ipse nostro tempore concedam, cùm superioribus seculis Scythica gens trans Tanaim eas partes, quæ citra idem flumen sunt, excursionibus, & expeditionibus bellicis factis deuastari, & in iisdem sedes ex parte collocari, vt optimè nos docuit Mathias à Michou Sarmaticarum rerum diligentissimus scriptor; attamen antiquo tempore Scythæ omnes vltra Tanaim sedes habebãt. Verùm, quod citra difficultatem omnino id euincit, est, q. Scythæ Nomades, quos citra controuersiam hoc loco facit Europæos Hippoc. omnino Asiatici apud antiquos erant, & trans Tanaim flumẽ, vt licet videre apud Strabonem, qui hos describens dicit, Asiæ esse populos ad sinistram in Caspium intranti. Constat igitur, quos cõmuniter Asianos putãrunt, hoc loco Europæos constituere Hippoc. at verò vicinos illis admodum, q infra lineam ductam p longitudinẽ versus Meridiem, & Pontum Euxinum Phasianos, qui intra mediã Mæotim paludem habitant, Asianos hoc loco facit. Reliquũ est nunc, vt vnũ, quod non modò nobis, sed & eruditissimis quibusq; non paruã attulit molestiam, quod ad verborũ Hippoc. explicationem attinet, diligẽter expendamus: id verò pertinet ad verba in principio huius capitis posita, quæ sic habent; *οἱ δὲ τῆς ἐν δεξιᾷ τῶν ἀνατολῶν τῶν χειμερινῶν μέχρι μαιώτιδος λίμνης*. qđ est: Qui verò ad dextrã hyberni ortus Solis vsq; ad Mæotidem paludem habitãt. In quibus verbis illud intellectu difficillimũ videtur, quomodo Mæotis palus ad hybernũ ortũ Solis hoc loco posita dicatur, cùm nõ ad orientẽ Solem hybernum, sed ad ortum æstiuũ sit posita, cũ ortus hybernus ad Capricorni Tropicũ infra æquinoctialem versus Polum antarcticũ sit. Mæotis aũt palus ad ortum æstiuum versus potiùs Tropicũ Cancri, & versus Arcticum Polũ ab omnib⁹ sita est: qđ cuilibet vel in Geographia paululũ exercitato manifestũ esse potest. Torsit hæc difficultas non parũ & Cardanum doctiss. & Baccium Baldinium, cui vt satisfacerent, multa figmẽta in mediũ attulerunt. Nobis autẽ videtur dicendum, q. sicut in censu aquarũ fontanarum lib. 3. manifestè vulgatus contextus deprauatus est, cùm legitur, pessimæ verò sunt, quæ ad Austrũ, *καὶ τὰ μεταξὺ θερινῆς ἀνατολῆς καὶ δύσεως*. quo loco diximus nos partic. 21. vel ex iis, quę proximè dixerat, colligi, deprauatũ esse codicẽ, & loco *θερινῆς*, legendum esse *χειμερινῆς*, i. non vt communiter: [*Et quæ inter æstiuum Solis exortum, & occasum.*] idq; nõ leuibus coniecturis, sed demonstrationibus ex eiusdẽ Hippoc. verbis desumptis cõprobabamus, quas etiam manuscripto codice Gadaldini cõfirmabamus. Pari ratione hoc loco cùm manifestũ sit, non ad hybernũ Solis exortum positam esse Mæotidem paludẽ, sed ad æstiuũm, credimus, vbi habetur *χειμερινῶν*, substituendam esse aliam dictionẽ *θερινῶν*, quomodo si legamus, tollitur omnis cõtrouersia, quã alio modo dissoluere impossibile omnino esse censeo, quicquid dicat Cardanus, multa sibi fingẽs.

XI.

Τὰ δὲ ἔθνεα ταῦτα, τοιαῦτα διάφορα αὐτὰ ἑωυτῶν μᾶλλον ἐστὶ τῶν προδιηγημένων, διὰ τὰς μεταβολὰς τῶν ὡρέων, καὶ τῆς χώρης τὴν φύσιν.

Hæ quidẽ gentes ipsæ à seipsis magis differunt, q ea, quæ prænarrata sunt, cùm propter varias temporum mutationes, tum ob regionis naturã.

Facilis admodum est sensus Hippoc. in hac particula; cùm eñ de temperata Asię regione dixisset, simulq; etiã nonnihil de calidiori, quam etiã ea, qua dictum est superiùs, ratione, à tẽperata non seiunxit, vtcũ de Ægypto & Libya fecisse docuit, aggressusq; esset tractationẽ alterius partis magis ad frigidum tendẽtia, quæ ad Borealem plagã vergit: docet in præsentia gentes illius partis forma, & figura, multò magis inter se differre, q quæ in media, & calidiori degunt: in quibus parũ inter se gentes forma, & figura differe scripserat. Et quemadmodũ similitudinis in forma eã causam statuebat, q. nõ multũ in calore, & frigore tempora anni excedebant, sed vicissitudine quadã temperiẽ quasi excitarent; ita etiã hic diuersitatis rationem in frequentiores, & maiores cœli mutationes refert, tũ & in regionis variam naturã. Nam longè magis diuersæ sunt, & dissimiles inter se partes huius, vt ita dicã, Septentrionalis partis Asiæ, q sint partes Asiæ moderatæ. Non opus est autẽ nos in præsentia, quare cœli mutationes frequẽtes, & magnæ, regionisq; inæqualitates hominũ diuersitatẽ, variamq; tum figurarum

hominum, tum morum, formã efficiant, inuestigare: quoniam cùm Hippoc. inferiùs admodum totam hanc rem copiosè prosequatur, si nos in pręsentia de ea ageremus, eadem omnino essent iteranda, cũ ea explicaremus. Sequitur igitur rem hanc explicare, & dicit.

XII.

Ἔχει δὲ καὶ κατὰ τὴν γῆν ὁμοίως, ἅπερ καὶ κατὰ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους· ὅκου γὰρ αἱ ὧραι μεγίστας μεταβολὰς ποιέονται καὶ πυκνοτάτας, ἐκεῖ καὶ ἡ χώρη ἀγριωτάτη καὶ ἀνωμαλωτάτη ἐστίν. καὶ εὑρήσεις ὄρεα τε πλεῖστα, καὶ δάσεα, καὶ πεδία, καὶ λειμῶνας ἐόντας. ὅκου δὲ αἱ ὧραι μὴ μεγάλως ἀλλάσσουσιν, ἐκείνοις ἡ χώρη ὁμαλωτάτη ἐστίν.

Similiter autẽ res se habet circa terram, atq; circa reliquos homines: Vbi enim tempora faciũt maximas mutationes, & frequentissimas, ibi regio agrestis admodum, ac maximè inaqualis existit: Inuenies q; montes plurimos, atq; densos, atq; campos, & prata. Vbi autem nõ valdè variant tempora, illic aqualissima regio est.

Dixerat iam Asianorum eorũ, qui ad Boream vergunt, naturã longè magis diuersam esse ab ea, quæ est peculiaris eorum, qui temperatã regionem, mediamq; habitant, q. multum inter sese forma, & corporis habitudine distinguantur, idq; in temporũ mutationes, & loci naturam retulerat. Docet nunc comparatione quadam, quonam modo mutationes temporum diuersitatem in hominibus possint producere: Et quemadmodum superiùs diuersitatem hanc in temporũ mutationes varias, & tempestates retulit, rũ etiam in locorũ naturam, ita nunc à terræ natura, & varietate desumpto exemplo, id ipsum docet, cùm dicit: [*Similiter autem res se habet circa terrã, atq; circa reliquos homines.*] Circa quæ verba primò obseruandum est, adeò malè Cornarium vertisse primã hanc partẽ, cùm interpretatur: [*Habet autem eodem planè modo, quemadmodum & circa aliorum hominum terras accidit.*] vt neq; verba Hippoc. in Latinũ transferat, neq; vllo modo verũ Hippoc. sensum attingat. In qua re ostendenda, non est multũ nobis laborandũ, cùm ex ipsis verbis Græcis id manifestè constet, & nostra traductio, quæ quasi verbum verbo reddẽs, Hippoc. sententiã manifestè explicat, id ipsum ostendit, si cũ Cornarij conferatur. Priùs igitur proponit propositionẽ primis illis verbis, mox primã partẽ comparationis explicat: nam, inquit, vbicunq; magnæ, & frequentes fiunt cœli mutationes, ibi regiones asperrimæ, & inæquales sunt. Vbi verò anni tempora, & tempestates non multũ differũt, ibi regio maximè est æqualis. Quid verò sibi velit Hippoc. cùm dicit, ὅκου γὰρ αἱ ὧραι, quod nos traduximus: Vbi enim tempora, num quatuor anni tempora, an potiùs temporum constitutiones, nõ ita facile est cognoscere: videntur enim potiùs esse tẽpora, quæ etiamsi mutationes faciant, tñ variantur ex variis, & multiplicibus, magnisque cœli mutationibus; quorũ ratione videntur sequi, quæ postea scribit. Crediderim tñ Hippoc. iis verbis voluisse intelligere, nõ modò vbi tempora quatuor anni naturaliter ita sint disposita, vt maximas habeant caloris & frigoris mutationes, sed etiam vbi sæpiùs à variis cœli tempestatibus immutantur. Ostendit verò p duas sequentes dictiones [*magnas, & frequentissimas*] insinuasse temporum varietatẽ in duobus consistere, in magnitudine, & frequentia.

[*Illic & regio agrestis admodum, &c.*] Videtur pulcherrima antithesi agrestem magnis mutationibus, & inæqualem frequẽtissimis opponere: & iure merito: nam vbi magnæ persentiuntur caloris, & frigoris mutationes, incultæ magis, & agrestes redduntur regiones, q. natura tam magnas non ferat mutationes. At verò absurdũ est, ex iis colligere montes vi ingentis frigoris, aut caloris excedẽtis generari: quod Cardanus fecit. Qui enĩ montium generationis causam quærit, vtiq; etiam cœli, marisq;, & fluminũ generationis causam poterit inuestigare. Quemadmodum enim & flumina, & lacus, & mare, summus ille rerũ omnium, & sapientissimus opifex ad hominis varia commoda produxit; ita & montes. Quod igitur, vbi inæqualis est, & varia temporũ mutatio, ibi etiam regionẽ esse agrestem, & inæqualem dicit, vtiq; inæqualitatem hanc ad calorem, frigus, humiditatẽ & siccitatem referre videtur: q. si etiam de alia inæqualitate intelligat, puta q. in ea sint montes, campi, & prata; non tñ intelligit inæqualitatem hanc ab illa priori penes primas qualitates desumpta produci, sed vbi illa adsunt, hanc quoq; inæqualitatem reperiri. Non modò igitur non potest inæqualitas temporũ esse causa montium, planitierum, solitudinum, & pratorum, sed potiùs ex hac terræ varietate inæqualitas temporum coadiuuatur. [*Inuenies q; montes plurimos & densos.*] Quod nunc dicit montes densos, potest intelligi de nemoribus. Potest etiã intelligi, q. quàm plurimi sint, sint etiam magni. Cùm enim fuerint plures, & magni, necessariò etiam erunt densi: nõ si sint magni, & pauci, aut plurimi, & pauci. Erunt autem agrestes, & inculti, quia partim aridi, partim syluis pleni. Ob siccitatem enim, & frigiditatem, natura montium est magis apta ferre nemora, & ligneam materiam, quàm herbas. Etenim arbores sunt herbis multò sicciores, qua ratione eorum maior fit prouentus in siccis locis. Tum etiam cùm sint duriores, & meliùs circumuestiti cortice, faciliùs ambientis iniurias ferre poterunt. Distinxit enĩ campos à pratis, quòd campi, qui sunt pro alendis segetibus, pratis ipsis sint aliquantò sicciores: nisi per dictionẽ πεδία solitudines, & vastas planities intelligamus, per aliam verò, καὶ λειμῶνας, prata, & campos. Quò fit, vt concludamus, primam hanc partem comparationis, q. vbi tempora magnas mutationes

nes faciunt, & frequẽtissimas, ibi regiones reddantur agrestes, & inæquales; & in ea inueniamus varietatem terræ, ita vt alia sit montibus, alia planitiebus, alia campis, & pratis referta. At verò econtrà: vbi non valdè variant tempora, illic est æqualissima regio. Dixit autẽ valdè: quia tempora nonnihil variare naturam suam, hoc commune est regionibus temperatissimis.

XIII.

Οὕτω δὲ ἔχει καὶ περὶ τῶν ἀνθρώπων, ἤν τις βούληται ἐνθυμέεσθαι. εἰσὶ γὰρ φύσιες αἱ μὲν ὄρεσιν ἐοικυῖαι δενδρώδεσί τε καὶ ἀφύδροισι. αἱ δὲ λεπτοῖσι τε καὶ ἐνύδροις. αἱ δὲ λειμακεστέροις τε καὶ ἑλώδεσι. αἱ δὲ πεδίῳ τε καὶ ψιλῇ καὶ ξηρῇ. αἱ γὰρ ὧραι, αἱ μεταλλάσσουσαι τῆς μορφῆς τὴν φύσιν, εἰσὶ διάφοροι. ἢν δὲ διάφοροι ἔωσι μετὰ σφῶν αὐτέων, διαφοραὶ καὶ πλείονες γίνονται τοῖς εἴδεσιν.

Quod ipsum quoq; in hominibus ipsis reperitur, si quis animum aduertat. Dantur enim naturæ, quarum aliæ montanis, syluosis, & inaquosis; aliæ verò tenuibus, & aquosis; aliæ pratensibus, & palustribus; aliæ verò planitiebus nudis, & siccis sunt similes. Tempora enim, quæ formarum naturã variant, sunt diuersa. Cùm autem inter sese fuerint maximè diuersa, varias, & multiplices formas producunt.

Hæc est altera pars huius cõparationis, quã ab initio particulæ superioris proposuerat. Quemadmodum enĩ vbi variãt naturam suam tempora, ibi etiam agrestes, & incultas magis terras cõspici videmus, & inæquales; ita vt partim sint montibus refertæ, partim cãpis, & pratis, & planitiebus. At vbi tempora non variant naturã suam, illic omnino æqualissima est: pari ratione hoc in hominib⁹ obseruatur: nam vbicunque tempora nõ seruant naturam suam, sed maximè variantur, & frequenter, illic homines forma, & figura inter se distinguuntur, imò animi qualitatibus: neq; videre est eos esse aut facie, aut figura, magnitudinéve similes, aut ęquales, secus, q̃ in media illa, & temperatiori Asiæ parte. Sunt etiã aliquantò agrestiores, & moribus magis incompositis, nisi institutio accesserit. Verùm obseruandum est, nõ propterea laudandam esse regionẽ, q, in ea mutationes temporum non adsint: sic enĩ vel fit inhabitabilis, puta, quãdo qualitatibus actiuis q̃ maximè excellit, vt ob calorem deserta Libyæ, & ob frigiditatem mõtes Noruegiæ: q, si habitabilis quidem fuerit, sed intemperata, fertilis quidẽ esse potest, sed nunq̃ erit salubris. Quę igitur temperiem quandam nacta fuerit, & mutationes magnas temporũ nõ persentiat, ea est, quę optima censenda est, quæq; etiam fertilitatem habet.

Dantur enim naturæ, &c.] Vbi non possum probare Cornarium, quẽ secutus est & Alemanus, & Cardanus: q quod Hippoc. superioribus coniunxit, cùm dicit, q, ipsum quoq; in hominibus reperitur, si quis animũ aduertat: ipse postrema hęc verba potiùs sequẽtibus coniungẽs legit: si quis enim rectè cõsideret, videbit quorundam naturam, &c. cùm alioqui præpositio γὰρ non superioribus sit iuncta, sed iis, quæ sequũtur, cùm dicit: dantur enĩ naturæ. Verùm multò maiori reprehensione dignus est Caluus, qui in primo censu hominũ, vbi habet Hippoc. εἰσὶ γὰρ φύσιες αἱ μὲν ὄρεσιν ἐοικυῖαι δενδρώδεσί τε καὶ ἀφύδροισι, ipse trãsfert: Nam hæ naturæ similes sunt montibus arborosis, & aquosis locis: Cùm dictio ἀφύδροισι oppositũ potiùs significet, nempe inaquosis: nisi dicamus legisse ἐφύδροισι, qđ aquosum significat. Quam lectionẽ secutus est etiam doctiss. Zuingerus, & transfert aquosis. Sic enĩ aliqui manuscripti libri habent. Verùm si quis naturã montium considerauerit, quę omnino terrea, imò saxosa est; proculdubiò etiamsi impressi omnes non suffragarẽtur, quilibet intelligere deberet, lectionẽ illã esse mendosam, & sequendã communiorem omnium impressorũ librorũ, qui legunt ἀφύδροισι: sic enĩ veritas sentẽtiæ manifesta est. Neq; tñ etiam hoc loco placet Cornarij traductio, q loco illius dictionis habet asperis locis; cũ omnino, si rectè transferri debet, significet, aqua carẽtibus: vt abundè de præpositione ἀπὸ à nobis dictum est lib. 3. in explicatione dictionis ἀποτόμοις. Dicit igitur aliquos esse homines syluosis montibus, & aqua carentibus similes: quales sunt, q sunt incultis moribus, & horrendo aspectu, incompta barba, capillo erecto, aut tortuoso, aspera facie. Non est tñ eadẽ montanorũ hominũ natura, vt optimè ex iis, q̃ dicta sunt lib. 2. de situ locorum, colligi potest. Si enĩ montes ventos excipiant, ab Oriente, aut Septentrione perflantes, erunt homines incolumes, robusto corpore, firmis viribus, armis deditι, & omnino feroces, legumq; nõ multũ cultores. Quòd si oppositã regionem montanam incolerẽt, ita vt Austros, aut ab Occidente perflantes ventos exciperẽt, erunt quidẽ agrestes, incompti, sed regibus parẽtes, effœminati, debiles corpore, atq; morbosi. Subdit [αἱ δὲ λεπτοῖσι τε καὶ ἐνύδροις: qđ est; *aliæ verò tenuibus & aquosis.*] Zuingerus legit ἀνύδροις, quapropter vertit, quædam montanis nudis, & siccis. In qua re primò aberrat, q, non considerauit hãc hominũ conditionem opponi superiori: sed hoc illi condonandum, q, cũ superiùs montana loca aquosa fecisset, de montanis nudis, & siccis loquutũ credidit hoc loco Hippoc. sed primò in eo decipit, q, crediderit de montanis hîc loqui, cũ potiùs de oppositis, & planitieb⁹ agat; malè igitur de suo addit [*montibus.*] Secundò nõ placet, q, dictionẽ λεπτοῖσι transfert nudis, cũ alioqui nusquã apud bonũ scriptorẽ hæc vox illud significet. Postremò reprehendenda est hæc traductio, q, si nudis & siccis vertamus, cùm nihil de montanis in hoc censu manifestè Hippocrates dicat, repetitionis erit reprehendendus grauissimus auctor, qui in quarto censu iterum eandem

recensuerit. Aliorũ igitur naturam similem esse locis tenuibus, & aquosis. Solẽt huiusmodi homines esse formosi, sed molles, mites, compti, artibus liberalibus animũ exeolenres, sæpe diuites, & omnino societatũ amatores, & legum.

Aliæ patentibus, & palustribus.) Huiusmodi sunt statura magni, sed ad sufferẽdos labores inepti, compti quidem, sed nimium lasciuientes, somniculosi, fluxionibus affluentes, minùs fortes, flaecidi, & misericordes.

Aliæ planitiebus nudis, & siccis sunt similes.) Huiusmodi sunt naturâ sicci, corpore parui, colore flaui, animo rigido, & contumaci, armis omnino dediti, cæterarum artium contemptores, fallaces, & laboribus dediti.

X I V.

Καὶ ὁκόσα μὲν ὀλίγον διαφέρει τῶν ἐθνέων, παραλείψω. ὁκόσα δὲ μεγάλα ἢ φύσει ἢ νόμῳ, ἐρέω περὶ αὐτῶν, ὡς ἔχει.

Et quæcunq; quidem parum inter se differũt gentes, prateribo. Quæcunque verò multum, siue naturâ, siue legibus id accidat, quomodo se habeant, recensebo.

Cùm in præsentia sibi assumpserit Hippoc. recensere naturam, & situs, tum & instituta eorum, q Asiæ eam partẽ incolunt, quæ frigidior est, quę nempe versus Europam, & Aquilonem posita est: cumq; dixisset diuersos forma esse, & institutis, ob temporum varietatem, tum & locorum naturam, ne quis sibi persuaderet absolutam huius rei tractationem hoc loco se velle instituere, atq; de omnibus iis populis agere, quomodo distinguantur gũ figura, tum institutis; cùm res hæc & nimis in longũ extendatur, & limites medicinę excedere videretur, inquit hoc loco, se solùm eas differentias esse prosecuturum, & eas gentes, quæ maximè inter se sunt diuersę, quæq; notatu dignam aliquã differentiam habere videntur. Quod etiam in ipsa Europa recensenda præstare videmus. De iis igitur ita agit, vt limites medicinæ non excedat. Sunt eñ Artes in duplici differentia, nã aliquæ sunt ita speciales, & limitatæ, vt nihil externũ continere videantur: quales sunt Arithmetica, Geometria, Musica, Astrologia, & pleræq; mechanicæ artes vocatæ: aliæ generales magis, vt Grammatica, Iurisprudẽtia, Pictoria, Sculptoria, Architectonica, è quarum numero est etiam ipsa ars Medica: in iis necesse est aliquid de omni scientia assumere. Vnde præclarè admodum Vitruuius lib. 1. cap. 1. dicebat, nõ debet, nec potest esse Architectus Grammaticus, vt fuit Aristarchus, sed non agrammatos: nec Musicus, vt Aristoxenus, sed non amusos: nec Pictor, vt Apelles, sed graphidos non imperitus: nec plastes, quemadmodũ Mizon, aut Polycletus, sed rationis plasticæ nõ ignarus; nec deniq; Medicus, vt Hippoc. sed nec aniatrologetos, nec singulis doctrinis singulariter excellens, sed in iis non imperitus. Cùm igitur etiam Medicus ex horum censu sit, & Naturalis Philosophiæ, & Geographiæ, & Chorographię peritum esse oportet, ita tñ vt, cùm ad hæc descendit, totus in eam rem non incumbat. Ita in hac parte cùm pro Medicina aliqua assumat, quæ ad Geographum, vel potiùs Chorographũ pertinent, sufficiẽt generalia maximè, & etiam ex particularibus, quæ ita inter se dissident, vt nonnihil in medendo discriminis faciant, & in naturis potissimùm dignoscendis.

X V.

Καὶ πρῶτον περὶ τῶν μακροκεφάλων. τουτέων γὰρ οὐκ ἔστιν ἄλλο ἔθνος ὁμοίως τὰς κεφαλὰς ἔχον οὐδέν. τὴν μὲν γὰρ ἀρχὴν, ὁ νόμος αἰτιώτατος ἐγένετο τοῦ μήκεος τῆς κεφαλῆς. νῦν δὲ καὶ ἡ φύσις ξυμβάλλεται τῷ νόμῳ. τοὺς γὰρ μακρότατην ἔχοντας τὴν κεφαλὴν γενναιοτάτους ἡγέονται. ἔχει δὲ περὶ νόμου ὧδε. τὸ παιδίον ὁκόταν γένηται, τάχιστα τὴν κεφαλὴν αὐτέου ἔτι ἁπαλὴν ἐοῦσαν, μαλακοῦ ἐόντος, ἀναπλάσσουσι τῇσι χερσὶν, καὶ ἀναγκάζουσιν ἐς τὸ μῆκος αὔξεσθαι, δεσμά τε προσφέροντες, καὶ τεχνήματα ἐπιτήδεια, ὑφ᾽ ὧν τὸ μὲν σφαιροειδὲς τῆς κεφαλῆς κακοῦται, τὸ δὲ μῆκος αὔξεται. οὕτως τὴν ἀρχὴν ὁ νόμος κατειργάσατο, ὥστε τοιαύτην τὴν φύσιν γενέσθαι. τοῦ δὲ χρόνου προϊόντος, ἐν φύσει ἐγένετο, ὥστε τὸν νόμον μηκέτι ἀναγκάζειν.

Et primùm de Macrocephalis. Nulla enim est gens alia, quæ capita iis similia habeat. Siquidem ab initio institutum hominũ longitudinis capitis maxima causa fuit: Nunc autẽ & natura cum instituto conspirauit siquidem longissima habentes capita, generosissimos censebant. Institutũ verò hoc erat ratio: Cùm recens infans natus est, caput ipsius adhuc tenerum, & molle existens, q̃ celerrimè refingunt manibus, adstringendoq; cogunt in longitudinem augeri, vincula adhibentes, & alia artificiosa instrumenta, quibus rotunditas capitis inhibeatur, longitudo adaugeatur. Ab huiusmodi instituto principium natura datum est. Temporis deinde progressu in naturam penitùs abijt, vt non esset necesse amplius eam legem adhibere.

Adeò luculenter totam hanc naturalem de Macrocephalis historiam explicauit, atque illius figurę causas tam apertè nobis ante oculos proposuit Hippocrates, vt absurdum sit omnino pluribus hanc Hippocratis sententiam velle explicare: maximè cùm si qua sunt, quæ difficultatem faciant, ea potiùs ad causam in sequenti particula propositam pertinent. Duo solùm hoc loco ad maiorem huius historię cognitionem sunt proponẽda; quorum primum ad figuram huius capitis meliùs cognoscẽdam facit: alterum, vt in quanã regione reperiantur Macrocephali, quantũ fieri p nos possit, cognoscamus. Macrocephali sunt, q acuminato quasi

capite

capite, & longo sunt prædiri: cùm enim naturalis capitis figura sit, vt docet Galen.lib.Art. med.cap.13.& 1.sect.lib.6.de Morb.vulg.Com. 3.veluti si sphæram exactè rotundá ex cera con structam paulatim vtrinq; depressam cogitaremus. Acuminatum id dicitur, & longum, quod vtraq; illa eminentia, quæ circa frontem est, & occiput, caret, ita vt quod ab vtraq; parte prominere debebat, superiores partes petat: neque compressionem multá ad latera habet, sed quasi rotundam & longam figurá habet. Eos, qui ta li capitis figura prędiri sunt, macrocephalos ap pellat, quos credo eosdem esse, ac ij, de quibus lib.6.Epid.sect.1.par.3.fecit mentioné Hippoc. qui φοξοὶ dicuntur eo loco: qualem fuisse Thersitem illum, quotquot ad Troiam venerunt virorum longè turpissimú, manifestè cóstat. Nam vt Homer.Iliad.β.testatur, φοξὸς ἔην κεφαλήν, i. acu minato capite præditus erat. Quod igitur figuræ capitis peculiare est, Hippoc. ad genté transtulit, q. in ea regione omnes ea capitis figura prædiri sint. At verò huiusmodi figurá acuminatam nó omnino vituperandam censet Hipp. loco citato, cùm dicit: acuminata habentes capita, siquidé valida fuerint ceruice, secundùm alia, atq; ossa validi erunt. Et quamuis nó omnino improbandam censeat, sæpiùs tñ malam esse docet p sequentia verba, cùm de iis ibidem loquens dicit: qui verò caput dolent, & aures fluentes obtinent, iis palatú concauum, & den tes inter se permutati. Verùm cùm eo loco de huiusmodi figura fortuitò facta loquatur, quæ rarò accidit, non est censendum idem oportere iudicare de iis gentibus, q omnes primùm instituto, mox natura, in naturá lege permutata, huiusmodi capitibus prædiri sunt. Cùm ení capita naturalia vt plurimú ij sortituri essent, atque materiam sufficienté haberét, tum & validam, quantú opus erat, facultaté formatricem, vbi arte per compressionem acuminata reddita fuerint, parú admodum naturalis, & bonę con formationis amiserút; maximè cùm progressu temporis, consuetudine in naturam versa, sua sponte successione quàdam in eadé figura perseuerent. Hæc de primo. Sunt Macrocephali Themiscyræ regionis gentes, si Plinio credendum est, lib.6.Nat.hist. cap.4.recensens enim Themiscyræ gentes post aliquot enumeratas: In ea, inquit, gens Macrocephali, oppidum Cerasus, portus Cordulæ. & Pompon. Mela lib.1. cap.21.post principiú aliqua ponit, quæ ad huius gentis cognitioné faciunt, cùm dicit: Chalybes proximi clarissimas habét Amison, & Sinopen, Cynici Diogenis patriá; amnes Halym, & Thermodonta. Secundum Halym vrbs est Lycasto: à Thermodonte, campus: In eo fuit Themiscyrum oppidú, fuére & Amazonum castra; ideò Amazonum vocant. Tibareni Chalybas attingunt, quibus in risu, lusuq; summum bonum est. Vltra Carambim Mossynæci turres ligneas subeunt, notis corpus omne persignát; propatulo vescuntur: promiscuè concumbút: ac palàm reges suffragio deligunt: vinculisq; & artissima custodia tenent; atq; vbi culpá praué imperando meruère, inedia diei totius afficiút. Cæterùm asperi, inculti, pernoxij appulsis, deinde minùs feri. Verùm & ij incondiris moribus, Macrocephali, Discheri, Buxedi. Raræ vrbes: Cerasus, & Trapesus maximè illustres. Inde is locus est, vbi finem ductus à Bosphoro tra ctus accipit, atq; inde se in sinu aduersi littoris flexu attollens angustissimú facit Ponti angulum, &c. Ex quibus omnib. manifestò constat in maritima ponti Euxini Australi parte inter Cappadociá, & Paphlagoniam, & iuxta castra Amazonum, quæ ex Scythia p paludem Mæoridem, & Pontú nauigauère, fuisse Macrocepha los. Hinc proculdubiò censendú est, subesse errorem in Suida, q Macrocephalos ex Palephato lib.7.ter.Troiao. recenset fuisse in Libya supra Colchos. Vbi fortasse legendú est Hyberia, quę Colchidi ab Oriente adiacet. Libya autem aut Aphrica est, aut Aphricæ pars q maxima. Colchis autem regio est maritima ad Pontum con uersa, Coracem à Septentrione monté habens. Quamuis ne sic quidé omnino probari potest Palephati senteńtia: cùm Themiscyra, in qua regione Macrocephali continentur, vt ex Plinio, & Mela docuimus, in Ponti littore est Australi, vt habemus ex Ptolomæo longit.66.cum dimi dio, latitudinis verò 43.cú tertia parte. Colchis autem in initio alterius littoris Ponti Euxini, vltra Phasianos populos, de quibus paulò pòst Hippoc. versus Septentrionem magis, & ad Orientem quoquomodo vergens, non multú tamen, si nauibus transeundú sit, interstitij adesse hoc modo dici potest: atq; hęc sunt, q de Macro cephalis pro expositione eorú, quę hoc loco ab Hippocrate historicè tradita sunt, inueniri à nobis potuerunt.

XVI.

Ὁ γὰρ γόνος πανταχόθεν ἔρχεται ἀπό τε τῶν ὑγιηρῶν ὑγιηρὸς τοῦ σώματος, ἀπό τε τῶν νοσερῶν νοσερός. εἰ οὖν γίγνονται ἔκ τε τῶν φαλακρῶν φαλακροὶ, καὶ ἐκ γλαυκῶν γλαυκοὶ, καὶ ἐκ διεστραμμένων στρεβλοὶ, ὡς ἐπὶ τὸ πλῆθος, καὶ περὶ τῆς ἄλλης μορφῆς ὁ αὐτὸς λόγος· τί κωλύει, καὶ ἐκ μακροκεφάλου μακροκέφαλον γίγνεσθαι; νῦν δὲ ὁμοίως οὐκέτι γίγνονται ὡς πρότερον. ὁ γὰρ νόμος οὐκ ἔτι ἰσχύει διὰ τὴν ἀμέλειαν τῶν ἀνθρώπων. περὶ μὲν οὖν τουτέων οὕτως μοι δοκεῖ.

Cùm enim genitura ab omnib. corporis membris procedat, & à sanis quidem sana, & à morbidis vitiata fiatq́, vt ex caluis calui generētur, & ex cæsijs cæsij, & vt plurimú ex distortis distorti; eadem quoq; ratio est de reliquis formis; quid prohibet & ex macrocephalo macrocephalum nasci? Nunc aût similiter nō nascuntur, quemad modum priùs, lege per incuriam hominum non ampliùs durante. Et de ijs quidé hæc sufficiant,

Docuerat Hippocrates dari in Asiæ ea parte, quæ Septentrioné respicit, populos quosdam, qui, quòd longa admodum capita haberent, Macrocephali dicebãtur: tradiderat etiam modum, quo passim omnes huiusmodi figura capitis formarentur: idque primùm artificio factum docet, compresso manibus in rotunditatem capite, & fasciis, aliisve instrumentis ita efformato ab initio: processu autem temporis natura cum instituto hominum conspirante, & per se sola etiam huiusmodi formã in hominibus producente. In præsentia id fieri posse duplici medio probat. Primùm quòd semen ab omnibus partibus corporis decidatur, à sanis sanũ, à morbidis vitiatum. Secundò inductione facta, & exemplis propositis. Nam si ex caluis calui fiunt, ex cæsiis cæsij, & ex distortis distorti, cur non & macrocephali ex macrocephalis potetunt generari? Neque enim per inductionem hanc crederem ipse, quod expositores faciunt, Hippoc. hoc loco probare semen ab omnibus partibus decidi, sed potiùs naturam arte priùs, & hominum instituto adiuuatam posse similé producere in figura. Videtur igitur voluisse ea ratione simile producere, quòd semen ab omnibus corporis partibus decidatur; quá etiam sententiam habere visus est, quisquis is fuerit, qui lib. de Genitura conscripsit (neq; enĩ facilè Hippoc. auctorem facerem) in principio, vbi habet: Verùm genitura viri prouenit ab omni humido, quod in corpore existit: & versus medium habet: Geniturã dico à toto corpore secerni, & à solidis, & à mollibus, & ab omni humido, quod in corpore existit. Quam sententiam etiam confirmauit libro de Natura pueri: & multò manifestiùs libro de Morbo sacro: vbi sic habet; Quisquis tandem is fuerit: si enim ex pituitoso pituitosus, & ex bilioso biliosus gignitur, & ex tabido tabidus, & ex lienoso lienosus: quid prohibet, vt, cuius pater, & mater hoc morbo detenti fuerint, etiam ex posteris aliquis detineatur? genitura enim ab omnibus corporis partibus procedit, à sanis sana, & ab ægris infirma. Quam sententiam confirmauit libro 4. de Morbis auctor, quisquis is fuerit. Ad hominis generationem de omnibus & viri, & mulieris partibus semen progressum, & in vterum muliebrem illapsum condensatur, tempore que veniente, natura hominis formam referens generatur ex ipso; & de quatuor humoris speciebus non minima, neque debilissima in semen procedit portio: Et quia animal secundùm parentes nascitur, tot humorum species, & sanorum, & morbosorum in seipso habet. Aristoteles etiam (si modò libri illi sunt Aristoteli tribuendi, quod non facilè affirmarem) in Problem. sect. 4. problem. 16. cùm quærit, qua de causa res omnium suauissima cõcubitus est? Respondet: An suauissimè quidem concumbimus, quoniam aut toto ex corpore semen profluit, vt aliqui volunt, aut quia, quamuis nõ ex toto corpore, tamen per eam partem se promit, in quam meatus omnes, venæq; omnes applicentur, & coëant. Cùm igitur voluptas, &c. & problem. 22. cùm quærit: Quare qui concumbunt, resolui, atque languere magna ex parte solent? An quòd semen omni ex parte corporis secretio est. Itaq; vt ædificij constructio, sic corporis compactio quatitur, dum semen decedit, quasi sanguinis multum, aut aliqua pars alia decedat. Verùm quoniam hanc sententiam tan quàm antiquorum Philosophorum reprehendit quamplurimis rationibus Aristoteles lib. 1. de Gener. animal. cap. 18. quas in præsentia con texere superfluũ esse duximus, ne meram commentarij excessisse videamur, operæpretium solùm esse duximus aliqua apponere, quibus & Hippocratis sententia manifesta magis reddatur, &, quantũ fieri per nos poterit, à calumniis vindicetur, atque ab Aristotelis doctrina non omnino dissentire, sed cum eo magna ex parte conuenire cognoscatur. Sed antequam ad hæc præstanda descendamus, illud sciendum erit, non hoc loco nos omnes propositas auctoritates sub Hippocratis nomine à calumnia velle vindicare: quando nimis manifestè libro de Genitura colliquamen esse omnium partium ex attritione, & motu corporis ab vniuerso depromptum auctor ille asserat: quam sententiam optimè ab Aristotele refutatam censemus, tum loco citato, tum capite sequenti. Libros autem alios tres de Natura pueri, de Morbo sacro, & 4. de Morbis, non esse Hippocratis, & Galenus 2. de Difficult. resp. manifestè docuit, & stylus Hippoc. familiaris id ipsum facilè nobis ostendit: quinimò si quid est Hippocraticum in iis libris, quod ad hanc, de qua agimus, materiam attineat; quod in præsentia omnino non contendo, ita erit intelligendum, quemadmodum locum hunc, quem citra controuersiam Hippocrati germanissimum censemus, in præsentia exponemus. Quod vt commodiùs fieri possit, aliqua erunt, tanquã hypotheses, à nobis proponenda. Quarum primum est, semen esse excrementum vltimi alimenti. At verò hic excrementi vocem ita intelligi volumus, quomodo sumpsit Aristoteles lib. 1. de Gener. animal. cap. 18. non vt excremẽtum est præter naturam, aut inutile: quod cùm ita sit, à natura tanquam noxium expellitur extra corpus: sed quod in nutritione membrorum ita aliquando superfluit, vt eo apposito pro nutritione nõ sit opus, sicq; aliò expellitur, & extra corpus pellitur. Cùm enim partes omnes sanguine augeantur, & restaurentur continuò, materia alicundè necessariò transmittitur. Hæc verò sanguis est, cuius aliqua portio, cùm totis modo per membra dispergitur, superfluit, aut à natura tanquam nimis multa, minusque tunc necessaria, expellitur ad testes, tanquam ad hoc institutos, vt illud recipiant, aut certè attractrice testium facultate à partibus attrahitur, vt tandem aliquod instrumen-

instrumentum paret natura, quo generis propagatio continuetur. Secundò illud positum sit: Per se eb vnaquaq; particula semen deriuari, & ed testes trahi, aut trãsmitti absurdum est omnino asserere; quòd materia seminis in vna aliqua parte, aut pluribus, possit superfluere, q; validior ea pars fuerit, & propterea plus materiæ potuerit attrahere, secus, quàm aliæ fecerint: impropriè tamen materia hæc spermetica potest dici à toto decidi, quòd ab omnibus partibus possit aut decidi, aut attrahi, aut transmitti, non per se, sed per accidẽs aliquando: siquidem in coitu vbi materia testibus nõ suppeditatur, attrahitur per venã, & arteriam magnem, quæ per alias testibus iniungitur: attrahũt autem hæ ab aliis venulis, & quandoque ab omnibus partibus singulla inseruientibus, ita vt sanguis etiam, qui quasi ros per partes est distributus, & ex parte transmutatus, ad testes attrahatur, & peculiari, que testes à natura donati sunt, facultate, album colorem contrahat. Tertiò illud est obseruandum, duo in se semen continere, crassam illam, & subalbidam materiam, & calorem naturalem, spiritumq; à corde potissimùm transfusum, tum & ab vniuerso corpore illi communicatum. Quocirca cùm testes à natura instituti sint secundùm Medicos ed generationem, & ad propagationem generis, hæc operatio ab anima debebat exerceri, atque adiuuari: Cùm verò docuerit Aristotel. lib. de Communi motu animalium, non aliter animã in animantibus operari, quàm Rex faciat, qui cuncta munie, & in prouincie, & in ciuitate exercet, non præsens, sed in regia existens, per ministros, qui Regem repræsentãt, & per operetiones sunt Reges: ita, inquit, anima in corde, tanquam in regie, collocata, & in eo, tanquam in arce, consistens, omnia per vniuersum corpus operatur, non immediatè, sed mediantibus spiritibus, quibus veluti ducibus, & instrumentis, omnes animę potentiæ suo muuere funguntur, aut potiùs, quibus ipsæ potentię ad actum reducuntur: neque enim expansam esse animam ad corporis extensionẽ credidit, vt operari posset, aut in toto totam, & totam in qualibet parte esse (quod tamẽ de anima rationali recentiorum plerique voluerunt) credidit Aristoteles, quò fit, vt materia ad testes transmissa, vt quæ in somno expellitur, & spiritu sit referta, & innato calore, tum & quæ per fricationem in coitu attrahitur, spiritu à corde transfuso, tũ & ab vniuerso in motu transmisso magis affluens reddatur, & ad generationẽ magis idonea: & hoc est, quod loco citato Aristoteles & alibi passim multo spiritu repletũ esse semen, & paruum quidem mole, at efficiencia potens admodum dicit. Postremò illud, tanq; in naturali philosophia manifestum supponitur, à materia, quatenus materia est, nunquam efficientiam rei produci, neque distinctionem fieri, sed totum id ab efficiente per formam introductam produci: est aũt forma, quæ actuat, & distinguit, ex 2. lib. de Physico auditu. His positis ita statuendum hac in re censeo; semen primò, & per se, vt materia quædam est, non posse dici à toto decidi, neque vllo modo similitudinis filiorum ad parentes causam esse: at verò vt & materie aliquo modo vndequaque & transmitti, & attrahi potest, per accidens ab vniuerso transmitti, & ab omnibus partibus decidi posse licet affirmare. Verùm enimuerò etiam p se id semini euenire posse dicemus, si spiritus, q & formæ, & efficiẽtia vices in semine subeũt, considerauerimus; cùm eorũ ratione magnam illam, & adeò nobilem operationem semen forciatur: ij enim in motu per coitum facto, tum etiam ob delectationem, ad eam partem vndequaque transfluunt: Cùm verò etiam eorum ratione semen animatum ab Aristotele dicatur, cùm animatum in potentia ipsum constituit: cumq; ij instrumenta sint animæ, & ipsæmet animæ potentiæ, quemadmodum ex Aristotele libro de Communi motu animalium docuimus; potentiæ verò in se animæ actionem contineant; non mirum, si semen in vterum mulieris transfusum, & cũ semine mulieris coniunctum, ex Hippocratis sentẽtia, vel per se, secundùm Aristotelis decreta, potentiam habeat generandi simile: & propterea cùm in distortis, mancis, cæsiis, caluis, & huiusmodi aliis, non operetur anima, quantum ad materiales operationes pertinet, nisi secundùm subiectam materiam, semen etiam, quod per spiritus infusos potentia continet, & virtute ipsam animam, tale producet, quale erat corpus illud, quod eb anime & informebatur, & gubernabatur. A' semine igitur hoc modo, nõ vt materia, sed vt ast spiritu quoquomodo informatum, qui ab vniuerso, eo, quo docuimus, modo, communicatus est, similitudinem hanc filiorum ad parentes pendere dicere possumus; & hoc modo semen ab vniuerso deriuari, & ab omnibus partibus decidi, dicere verè possumus. Quod non intelligentes recentiores, & ex antiquioribus etiam aliqui Hippoc. adeò obstrepunt, atque contra eum, Aristotelem disputasse crediderũt, cùm aliqui aduersus antiquos alios, puta aduersus auctorẽ libri de Genitura, vel alios idem sentiẽtes disputaret: quod etiam video, doctissimos aliquos viros in variis suis obseruationibus credidisse.

Nunc autẽ similiter non nascuntur.) Hæc est secunda pars huius particulæ, in qua, postquam probasset posse Macrocephalos produci successione quadã naturali, quamuis principium huius formæ potiùs esset ex Instituto hominũ, natura cũ eo conspirãte, cùm semen, aut potiùs eius facultas generatrix ab vniuerso transfundatur eo modo, quo docuimus, docet, nõ ita suo tempore longis capitibus fuisse præditos: q; cùm consuetudo illa efformandi huiusmodi capita esset omissa, natura, quæ hac in re adiutrix erat,

& imitatrix humani artificij, quasi oblita, paulatim opus illud omiserit. Certum enim est, ea, quæ quasi violenta sunt, vbi à natura veluti naturalia amplectuntur, non diutiùs esse perduratura, nisi prior causa diutiùs perseuerauerit. Nisi fortasse, quod in vulgatis codicibus est, διὰ τὴν ἀμέλειαν τῶν ἀνθρώπων, immutandum sit, & legendum, vt in manuscripto Gadaldini, διὰ τὴν ὁμιλίαν τῶν ἀνθρώπων, quod erit: nunc autem similiter non nascuntur, quemadmodum priùs, lege per hominũ consuetudinem, siue commercium, non ampliùs durante: quasi vellet iam ab huiusmodi peculiaribus figuris capitũ immutatos esse, & imminutos, quòd cum iis gentibus aliæ sint commixtæ. Quam lectionẽ quamuis nõ improbem (nam & hoc euenire potuit) tamẽ quòd ea, quæ in vulgatis codicibus est, quodque firma ratione nitatur, retinenda meo iudicio erit.

XVII.

Περὶ δὲ τῶν ἐν Φάσει, ἡ χώρη ἐκείνη ἑλώδης ἐστὶ, καὶ θερμὴ, καὶ ὑδατεινὴ, καὶ δασεῖα. ὄμβροι τε αὐτόθι γίγνονται πᾶσαν ὥρην πολλοί τε καὶ ἰσχυροί· ἥ τε δίαιτα τοῖς ἀνθρώποις ἐν τοῖς ἕλεσιν ἐστίν. τά τε οἰκήματα ξύλινα καὶ καλάμινα ἐν ὕδασι μεμηχανημένα. ὀλίγῃ τε χρέονται βαδίσει κατὰ τὴν πόλιν, καὶ τὸ ἐμπόριον, ἀλλὰ μονοξύλοις διαπλέουσιν ἄνω καὶ κάτω. διώρυγες γὰρ πολλαί εἰσιν.

Iam verò, quò ad eos, qui Phasim incolunt, ea regio palustris est, & calida, & aquosa, densa, imbresq́ue in ea decidũt omnibus temporibus multi, & vehementes. Hominesq́ue vitam agunt in paludibus, domosq́ue ligneas, & arundineas in ipsis aquis habent extructas: neque longè vel in vrbem, vel in emporium prodeunt: sed nauiculis ex vno ligno fabrefactis, sursum, & deorsum pernauigant: siquidem ductus aquarum multi in ea sunt.

De Phasianis gentib⁹ Asiaticis tractationem instituit; quod iam docuisset Asianos magna ex parte inter se similes esse, secus, quàm de Europæis, sit dicturus, ac aliquos esse in Asia populos, qui quamuis inter se similes sint, à cæteris tamen omnino figura, & moribus, viuendique ratione distinguantur: idque de Macrocephalis iam docuerat. Nunc idem de Phasianis ostendit. Phasis æquiuocum nomen est: significat enim aliquando flumẽ, de quo copiosa est mentio apud Strabonem lib. 1. & 11. qđ à montibus Armeniæ ortum ducens, & per Colchorum regionem defluens, recipit in se Glaucum, atque Hippum ex vicinis montibus cadentes, tandemque in Pontum Euxinum molli decursu, & humilibus ostiis, vt idem 1. lib. scribit. Nauigatur, vt idem lib. 11. docet, maioribus nauigiis ab ostio vsque ad Sarapanos: inde minoribus nauigiis per longum tractum: per hunc Argonautæ cum Iasone penetrârunt in Colchos, A vnde aureum vellus ipsos asportasse fabulantur. Sic autem dictum esse à Nympha in illum conuersa Flaccius Valerius est fabulatus:

Barbarus in patriis fectatur montibus Euan
Phasis amore furens: pauida iacet illa pharetra
Virgineo turbata metu, discursibus & iam
Deficit; & volucri vitam Deus alligat vnda.

De hoc fluuio mentionem facit Plin. lib. 6. cap. 4. & Pomponius Mela lib. 1. cap. 21. Dionysius etiam libro de Situ orbis, iis verbis eum descri B bit, atque eius ortum etiam docet:

—ἔνθα τε Φᾶσις
Κιρκαίην κατὰ νῶτον ἑλισσόμενος πεδίοιο
Εὐξείνῳ ποτὶ χεῦμα θαλὼν ἰσπρεύγεται ἄχνην
Ἀρξάμενος τὸ πρῶτον ἀπ' οὔρεος Ἀρμενίοιο. quod est:
—ibiq́; Phasis
Circæi per planitiem se voluens campi
Euxini in vndam rapidam eructat spumam,
Incipiens primùm è monte Armenio.

Quibus verbis & naturam fluminis, & decur C sum, & ortum docet. Quibus in verbis si quid est obscurum, adeunda sunt Commẽtaria Græca in illum Eustathij, qui diligentissimè ex Strabone, quem Geographum vocat, & aliis multis hanc partem explicat. De quo etiam Ptolemæus lib. 5. cap. 10. in Colchidis descriptione; cuius etiã ostia in longitudine ponit grad. 72. cum dimidio: In latitudine grad. 45. hũc autem fluuium priùs Arcturum dictum fuisse docuit Plutarchus de fluminibus. Boas autẽ circa fon D tem dici videtur Procopio lib. 2. de Bello Persico. Hodie Fasso dicitur. Quamuis autem Plinio ex Moschis, Ptolomæo ex Caucasiis, Straboni ex Armenicis montibus ortri dicatur, nõ propterea tamen inuicem dissentire crediderim: quòd sub Caucasiis montibus apud Ptolomæum Hircanos, Armenios, Coraxicos, Caspios, Moschicos, Amazonios, Henyochios, Scythicos Plinio dictos, & alios inter Pontum Euxinum, & Caspium mare existentes, com E prehendi censeam. Est etiam ciuitas eiusdem nominis in ipsis ostiis Phasidis fluminis constituta, aut illis adiacens, quam Villanouanus hodie Polistoniam vocari credidit. Amarantium ab Ἀμαραντίων populis vicinis dici scribit Stephanus de Vrbibus. Quam ciuitatem ab Athenistagora Milesio ædificatã censet Pomponius Mela lib. 1. cap. 21. Ostiis autem ipsius fluuij, vbi quasi palus efficitur, impositam esse & Hippoc. sententia hoc loco ostendit, & Plinius libro 6. F cap. 4. & experientia nostro tempore docet. Quin & verba Strabonis ita antiquitùs positam esse ostenduot, cùm dicit: Imposita est Phasidi vrbs eiusdem nominis. Quod verò intelligat in ipsis ostiis, vel omnino partibus ostiis adiacentibus, sequentia verba etiam commonstrant: Colchorum emporium ab vna parte fluuio, ab altera lacu, à tertia mari cincta. Docet autem in ipsis ostiis fluuij, aut circa esse palustrẽ regionem, cùm sequitur: Inde Amisum, & Sinopem est nauigatio bidui, aut tridui: Reddit rationem

tionem, & dicit, quia palustria sunt eius littora, & lenia, vel humilia fluuiorum ostia. Sed quorsum hæc tam longa oratione? Non alia certè ratione, quàm vt Ptolomæum hac in parte erroris conuincam, qui vrbem illam magis Meridiem versus latitudinis 40. cũ dimidio ponit. Sic enim neque Straboni credendum esset, qui eam fluuio Phasidi allui, & paludibus in ostiis Phasidis factis ex parte cingi, & ex altera mari Euxino. Quòd si eo loco ponat̃, vt Ptolomæus in tertia tabula fecit, & in explicatione tabulæ lib. 5. cap. 10. profectò neq; paludes ibi aderunt, neq; ostia Phasidis, quin ne Phasis quidem eam allueret. Absurdum auté omnino videtur, eam ciuitatem eodem, a e flumen, nomine insignire, & longè ab illo distare, imò ne eo quidem allui. Cùm igitur hoc loco de iis, qui Phasim incolunt, sermonem habeat Hippocrates, quid p Phasim intelliget? An totá Colchorum regionem, quæ huiusmodi flumine alluitur, an potiùs ciuitatem solùm, & illi circumiacentia, vicinissimaque loca. Expositores crediderunt de iis agi, qui loca incolunt Phasidi flumini adiacentia. Ego verò certis coniecturis, vel potiùs demonstrationibus ostendá, nullo modo Hippocratem de iis potuisse intelligere. Primùm, quòd constet accolas Colchos, atq; incolas circumiacentium locorum Phasidi & sanos esse, neq; eius conditionis, qualem hoc loco describit Hippocrates. Præterea loca illa non modò non calida sunt, vt potiùs & frigidiora esse, & situs locorum conuincat, & experientia. Formę hominũ præterea adeò malè constitutę, mores, instituta, & viuẽdi, degendiq; ratio omnino palustria loca ostendit, at palus nulla, quantũ ex iis, quę nobis tradunt Geographi, & q ea loca perlustrarũt, colligi potest, in iis locis est circa Phasim, præterquam circa ostia eius: & propterea etiam Strabo dicebat, ab hac vrbe ad Amisum & Sinopem esse bidui, aut tridui nauigationem: innuens q quamuis interuallum sit admodum breue, tñ quia decliuia sunt admodum ea loca, & molli admodum cursu mouentur aquæ, non nisi tanto tempore hoc spatium nauibus transigi posse: vnde reddens rationem dicebat, eò q mollia sint eà littora, & lenia fluuiorum ostia. Sic eñ meliùs in Latinum verba Strabonis sunt transferẽda: & ob hanc rationẽ dicebat [*ea regio palustris est*] magis auté hoc significat, q̃ si dixisset, paludem habet vicinam: totam eñ ea regionem, id est, & ciuitaté, & loca vicina occupat; & hoc ad magnitudinẽ effectus attinet.

Calida, aquosa, & densa.] Est explicatio loci palustris. Calida est ob vapores assiduos, qui ex cœni, & aquarũ putredine eleuantur: tum quòd non adsint venti aquilonares. At dubitare hoc loco meritò quispiam poterit, quomodo calida sit regio, cùm à Meridie Mosthicis montib⁹, ab Oriente Molthicis magis contegatur, q̃ à Septentrione, & Occidente: vt ex Ptolomæo in tertia Asiæ tabula constat. Anne dicendum est etiam à Corace monte à Septentrione contegi. Cùm igitur quasi sit circumuallata, si quem potest ventum recipere, is erit ab Occidente. At cùm interiaceat Pontus Euxinus, & vicina sit palus Mæotis; ij venti, qui natura sua sunt aliquantulum calidi, à mari calidiores redduntur: & ex mixtione eorum vaporũ, qui ex Mæoside palude eleuantur. Augetur autem calor, vt dicebam, ex calidis vaporibus, ex putredine aquæ, & cœni concitatis, & eleuatis.

Densa.] Non hic δασεῖα sumit, vt in lib. 2. vbi densam terrã solidam intelligebat, & quasi in saxa mutatam: hoc eñ naturæ loci repugnat, nempe palustri, & aquoso, sed intelligit densa, id est, plantis, & arbustis eius generis, quę palustria & aquosa loca amant. Non est autem hoc loco vllo modo dissimulanda difficultas, quomodo aquosam, palustrẽ, & calidam faciat hãc vrbem, & adiacẽtia loca, cùm Strabo loco citato lib. 11. amœnissimam faciat. Habet enim hæc verba, vt vertit Guarinus: Ad Phasim vrbs iacet eiusdem nominis, Colchorum emporium, qđ ex alia parte amne percingitur, ex alia lacu, ex alia mari. Hinc biduo, triduoq; Amisum, Sinopemque nauigatur: hæc littora, & fluminis ostia amœnissima sunt. Regio fructibus, & omnibus, quæ ad fabricandas naues pertinent, opportuna: nam multa producit, & fluminibus defert. Maximá profectò nobis peperisset difficultatem hæc controuersia, nisi cognouissemus verba illa non Strabonis esse, sed translatoris: siquidem in Gręco codice non modò hæc non adest sententia, sed quæ eo loco à Strabone ponuntur, omnino è directo illi repugnant. Cùm enim descripsisset Phasim fluuium, & nauigationem, quæ fit per eum; subdit: Imposita est Phasidi vrbs eiusdem nominis, Colchorum emporium, ab vna parte fluuio, ex altera lacu, à tertia mari cincta. Inde Amisum, & Sinopem nauigatio est bidui, vel tridui. Reddit rationem huius, & inquit: διὰ τὸ τοὺς αἰγιαλοὺς μαλακοὺς εἶναι, καὶ τὰς τῶν ποταμῶν ἐκβολάς. quod est: q mollia sint littora, & lenia fluuiorum ostia: quasi diceret; quòd decliuia, & humida, palustriave sint littora illa, & aqua in ea parte leniter currens, & quasi subsidens. Hoc autem modo intelligendum esse manifestè colligi potest ex eodem Strabone libro primo versus finem (nihil eñ in exponendis expositoribus inuenitur commodius, ac securius, quàm auctores per eosdẽ aliis in locis, si fieri potest, exponere) vbi docens perpetuitatem in mari non prouenire à fluminibus, neque inundationes à cœno à fluminibus delato in mari: Subdit reddens causam: isti enim aggeres, quibus mare excluditur, ad ipsa fiunt fluuiorum ostia. Sicut Stethe, quæ dicuntur ad Istri ostia, & Salmydessus, adiuuantibus etiam hoc aliis torrentibus. Ad Phasidis Colchorum exitum maritima ora arenosa, humilis, & mollis, Per mollem autem humidum & palustrem

intelligere, ostendit dictio, qua vtitur, *μαλακά*.

Imbres in ea decidunt omnibus temporibus multi, & vehementes.] Hoc loco tria dicit vnica sententia, multos imbres fieri, omnibus temporibus, & magno impetu. Potest quidem hoc paludum generationem coadiuuare. Attamen satius est asserere à paludibus huius loci imbres produci; aut certè vtrunque, & mare, & paludes, pluuiarum generationem coadiuuabunt, tum pluuiæ posteà paludes augebunt. Dari enim hunc quasi circulum docuit Aristotel. lib. 2. Meteor. B At verò hæ sunt sibi innicem causæ materiales. Adest verò etiam causa efficiens & pluuiarum, & q. eæ sint magnæ omnibus temporibus, & vehementes. Sol enim non omnino vehementer calefacit in iis locis, sed potiùs tepens; ea ratione multum quidem vaporis eleuat, attamẽ illud non dissipat.

Hominesq; vitã agunt in paludibus.] In hac postrema parte docet vitam illorũ esse miserrimam, quantũ ad sanitatem attinet, deducta ratione C tum ex habitatione, q. domos habeãt ligneas, & arundineas, in paludibus complãtatas, tum ex exercitatione, quòd nauicnlis solùm vehantur. Fraudantur autem commodis tam magnis exercitationis. Hoc autem est intelligendum de iis, qui paludem illam incolunt adiacentem ipsi vrbi in ipsis ostiis fluminis.

XIIX.

Τὰ δὲ ὕδατα θερμὰ καὶ στάσιμα πίνουσιν, ὑπό τε τοῦ ἡλίου σηπόμενα, καὶ ὑπὸ τῶν ὄμβρων ἐπαυξόμενα, αὐτός τε ὁ Φᾶσις, στασιμώτατος πάντων τῶν ποταμῶν, καὶ ῥέων ἠπιώτατα. D

Aquas verò calidas & stagnãtes bibunt, quæ & à Sole sunt putrefactæ, & ab imbribus auctæ. Ipseq; fluuius Phasis omnium fluuiorum stagnantissimus, & lentissimè currens.

Quæ in hac particula ab Hippoc. dicuntur, manifestè nobis ostendunt, totam hanc tracta- E tionem Phasianorum ad vrbem illam in ostiis fluminis, in quibus quasi palus constituitur, spectare; cùm aquas, è quibus incolæ bibunt, esse palustres, limosas, & calidas, statuat, & Phasim fluuium etiã huiusmodi aquas continere, q. lentè nimis moueatur. Quod dici nullo modo potest de locis, & vrbibus circa ripam Phasis positis, neq; de fluuio Phasi in alio loco, q̃ circa ostia: Quando Arrianus doctissimus simul, & diligentissimus locorũ perscrutator in F Periplo Ponti Euxini manifestè asserat, & circa eum fluuium optimas esse ciuitates, quales Tiritace, & Cygnus; præterea quæ maximè (vt inquit Plinius) inclaruit à 15000. passuum à mari; vbi Hyppus, & Cyanos vasti amnes è diuerso in eum confluunt: quæ vrbs Milesiorum est colonia. Item Dioscurias, vt testatur Marcellinus, hucusque nota. Phasis etiã fluuius nullibi, prçterquã circa ostia lento, & molli motu mouetur; Contigit autem id ob multum limum in A ostiis contentum, quo effectum est, vt tanquam per paludem latam admodum in Pontum Euxinum tandem desinat. Quantò autem magis lata sunt ostia fluminis, tantò verisimilius est lentum motum sortiri, q alioqui rapidissimus esse solet, antequam ad ostia perueniat, vt docet Procopius lib. 2. de Bello Persico: hinc optimè ab Ouidio 7. Metamorph. rapidus dicitur, cùm inquit:

Multaq; perpessi claro sub Iasone tandem
Contigerant rapidas limosi Phasidis vndas.

Vbi obseruari potest, vtranque qualitatem Phasidis annotasse, & q. in decursu rapidus sit, & q. in ostiis paludem limo efficiat: fieri enim potest, vt ob rapiditatem nimium serpẽs, & ripas abradens, limum in exitu producat: maximè cũ admirabilis sit huius fluuij profunditas (est enim, vt inquit Procopius lib. 2. de Bello Persico sub finem, si quis alius, maximè profundus: vnde rectè à Theocrito *βαθὺς* fuit appellatus. Adest etiam maxima latitudo, vt ibidem Procopius testatur, & Xenoph. lib. 4. Anabas. Non sine causa igitur ab Apollonio *εὐρὺς* & *εὐρυρέων* lib. 2. dictus fuit, cùm scribit: *Φᾶσις δινήεις εὐρὺ ῥέων εἰς ἅλα βάλλει*: i. Phasis vorticosus lato suo fluxu in mare ruit. Hinc Marcellinus lib. 22. tremebundis cursibus eũ Colchos dicit attingere. Quæ omnia non de ostiis, in quibus ob maximam latitudinem, & maximum cœnum in ea parte contentũ necessariò mouetur lento admodum cursu, vt docuit Strabo lib. 11. Quapropter etiam q. de leuitate, & (vt ita dicam) imputrescibilitate aquarũ Phasidis fluuij docuit Arrianus, eodem modo intelligenda sunt de fluuio in decursu suo, non autem circa ostia, vt ex eius verbis, si quis diligenter legerit, colligere facilè potest: quamuis ne sic quidem argui licet eius aquæ perfectio: sæpenumerò enĩ à putredine vindicare solet maior admistio, & terrestreitas, quemadmodum docet Plin. lib. 31. cap. 3. tum & cruditas. Quinimò ne genus quidem illud leuitatis, quod in Phasidis ostiis reperiri scribit Procopius libro citato, perfectionem illius potest arguere: quòd enim aquæ marinæ Ponti Euxini supernatet, nõ in illius perfectionem referrem, sed in malitiam: cùm enim putrida facta sit, oleaginosam quandam naturam sortita est, qua mediante, aquis marinis, natura sua alioqui crassioribus, per aliquod spatium potest supernatare. quod etiã ex eius verbis colligi potest, cùm dicit: Eodem planè modo Titaresium Pineo innatare testis est Homerus iis verbis: *καθύπερθεν ἠΰτ' ἔλαιον*: hoc est, oleĩ instar supernatat. Phasidis præterea aquam, si quis à summo hauriat, dulcem, sin ab imo, vrna aquaria in fundum demissa, salsam experietur: sed nec perfectã omnino esse color plumbeus eius, qua præditum Phasim dicit, etiã ostendit.

Ipseq; fluuius Phasis, &c.] Hæc verba ea ratione posita sunt, vt tacitæ obiectioni responderet: nam diceret aliquis potuisset, nónne omissis palustribus

lustribus aquis possunt habitatores illius regionis pro potu assumere aquam fluminis, quę multò salubrior esse solet, vt constat ex iis, quæ ab Hippoc. & à nobis in 3. lib. dicta sunt. Satisfacit, perinde esse, ac si aquem palustrẽ illam biberent: quoniam ipse fluuius lentus est in cursu, & quasi stagnans, & propterea aquę ipsæ pra uæ sunt. Lenti enim qui sunt fluuij, sunt turbidiores, maximè si magni sunt, quia non purgatur alueus, maximè cùm sit magnus. Fit autem lentus fluuius, ob æqualitatẽ illius partis, sed maximè ob latitudinem q̃ maximam, qua ita extenditur, vt nullo modo ad inuicem propellantur partes, tum etiam quia ob multam cœni copiã, qua quodammodo fluxus ille inhibetur.

XIX.

Οἵ τε καρποὶ γινόμενοι αὐτόθι πάντες ἀναλδέες εἰσίν, κατατεθηλυσμένοι καὶ ἀτελέες, ὑπὸ πλεονότητος τοῦ ὕδατος. διὸ καὶ οὐ πεπαίνονται.

Et fructus, qui illic nascũtur, omnes sunt non crescentes, euirati, & imperfecti pra aquarum multitudine. Quapropter etiã nõ maturescunt.

Duo sunt in hac particula, quæ q. variam habeant apud antiquos codices lectionẽ, in considerationem venire debẽt. nam vbi in impressis est; οἵ τε καρποὶ γινόμενοι αὐτόθι πάντες ἀναλδέες: in aliquibus loco αὐτόθι repetitur αὐτοῖς, id est, non ipsisque, sed, illic: & vbi habet ἀναλδέες, quod interpretes verrũt malè, insalubres, legunt ἀναλθέες, quod ignauos significat. Ego verò primæ facilè, & libẽter assentirer, q. contextus meliorem sensum habeat: secunda tamen nullo modo ferenda est: quandoquidem Hippoc. superfluitatis esset reprehendendus, cùm in secunda dictione vel ipsis etiam interpretibus idem dicat, q. ignauos, euiratos fructus appellans. Retinenda igitur est dictio ἀναλδέες, sed secus est interpretanda, q̃ fecerint interpretes, qui verterunt, insalubres. Nunquam em̃ apud probatum scriptorem inuenient hãc significationem huius vocabuli. Obseruãdum igitur est vocem ἀναλδέες idem significare, quod ἀναλθέες, & ἀναλδεῖς, vt constat apud Hesychium. Fit autem ex α priuatiuo, & ἀλδῶ, cresco. Et quamuis ibidem Hesychius ἀναλθέες exponat ἀνίατον immedicabile, & quod resanari, & pristinæ sanitati restitui nequit: in qua significatione legitur apud Hippoc. lib. de Articul. ἀναλθέες δὲ: idem tamen homen vsurpauit in alia significatione, nimirũ pro ἀναυξής, vt videre licet apud Erotianum in Onomast. Hesychius em̃ etiam auctor est ἀλδαίνω quoq; sumi pro αὔξω, ἀναλδαίνω igitur significabit non augeo. Vnde etiam in Exegesi habet Galen. ἀναλδὲς id significare, quod non nutritur, aut nõ augetur. Quem etiam locum nonnulli in annotationibus in eum librũ Galeni deprauatum esse putãt, & ex hoc, quem modò interpretamur, loco Hippoc. ita emendandum, vt p ἀναλδὲς legatur ἀναλθέες, quanquã idem met fui immemor in Anuotat. in citatum Erotiani locum, deprauatũ esse censet hunc locũ Hippoc. & loco ἀναλδέες esse reponendum ἀναλθέες, quod omnino falsum esse ex iis, quæ ex Hesychio p duximus, manifestè constat: cùm etiam ἀναλδέες nomine non crescentes, & non augescentes, significari iam abundè demonstrauerimus. Dicit igitur fructos in ea pductos, ad perfectam magnitudinẽ non excrescere, & hoc ad quantitatem pertinet, & euirstos, & molles esse. Mollities hæc non est ea, quæ coctione, & maturitate solet acquiri; nam hanc non reperiri facilè constat ex iis, quæ pòst dicit, cũ in fine asserit, propterea non maturescere: sed ea est, quæ superflui humoris, aquosi, & eius quidem superflui, & putrescentis soboles esse solet.

Et *imperfecti.*] Id non ad quantitatẽ attinet: id enim prima dictione nobis significauit, sed ad qualitates. Solent em̃ fructus, q ex planis proueniunt, quę in vdo solo nascuntur, esse insipidi, acerbi, sed cum mollitie quadem. Copia em̃ aquarum efficit, vt fructus aqueo humore nimium abundẽt; & ob id efficit, vt sint insuaues, & excrementitij, strophia, id est, nõ nutritione laborantes, & propterea parui, tũ etiem multis excrementis referti. Vnde dicebat Theophr. 3. de Histor. plant. cap. 11. fructus omnium, quæ plus aquæ capiunt, deteriores reddi. Et 5. de Caus. plant. cap. 21. meliùs declarat, cùm dicit: Nam & stabilis aqua, si arboris magnitudinem excesserit, perdet: vt cùm imbres increbuerunt, aut loca inundationibus increuerunt: at vbi quidem ita increuerint, vt posteà effluãt, remaneat tamen ibi multum humoris, arbores quidem eam tolerant, vt docet 2. de Caus. plantar. cap. 7. attamẽ infirmæ reddũtur, & ob id etiam fructus deteriores efficiunt. Quòd si aquæ illæ corruptę penè fuerint ex putredine, fructus ma lum saporem contrahunt, & malã qualitatem. Est tñ vnum, qđ difficultatẽ facit circa postremam hãc parte, quod Strabo lib. 11. loco citato, postquam de hoc flumine, & eiusdem nominis ciuitate locutus est, dicit: Bona est regio, fructusq; eius boni, melle dempto, q. plerunq; amaroris aliquid habet. Hic verò fructus malos, immaturos, & molles dicit Hippoc. generari. An dicendum est eo loco agere de regione Colchorũ, in qua, inquit, fluit Phasis, &c. pòst dicit, in eius ostiis esse Phasim ciuitatem, & ostia esse decliuia, & palustria. Sequitur: Regio est bona, id est, reliqua regio, de qua sermonem habebat, & etiam quæ ripię fluminis adiacet, nõ tamen versus ostia, & bonis fructibus abundat. Neque nuoc loquitur de Phasi ciuitate, & palustribus illis locis, qui sunt circa ostia Phasidis fluuij, in quibus non est bona regio, neq; boni fructus, sed agit de reliqua regione Colchidis.

XX.

Ἠήρ τε πολλὺς κατέχει τὴν χώρην ἀπὸ τῶν ὑδάτων.

Et caligo multa ab aqs pducta regionẽ occupat.

Recentiores, quòd, quæ esset apud antiquos aëris significatio, non cognouissent, quod Hippocrates πολὺν dixit, densus verterunt: quasi ostenderet ea conditione qualitatem aëris: cùm Hippoc. dictio illa quantitaté, & multitudiné ostenderet. Nomine verò aëris qualitaté ipsam nobis ostendit. Cornarius cùm hâc particulam cum sequenti coniungeret, addidit, cùm: & legit; atq; cùm aër multus ab aquis regionem occupet, ob hác causam, &c. cùm alioqui in omnibus codicibus sit diuisa, & separata sententia, neq; sequés sententia hanc vnâ causam habet, aëris crassitiem, sed ad omnes præscriptas causas refertur, & ideò dictione vsus est plura significante, διὰ ταύτας δὴ τὰς προφάσιας: neq; vlla adest etiam particula dictioné, cùm, referens. Quòd igitur aër multus hoc loco dicit Hippoc. intelligendum est de caliginoso aëre. Sic em̃ nomen hoc aëris apud Græcos sumi constat ex iis, quæ à nobis dicta sunt lib. 3. com. 31. cùm verò caliginosus aër ex terrestribus multis partibus eleuatis fiat, cũ hic paludes adsint, facilè etiã crassum hunc aërem generari posse verisimile est. Neq; profectò mirum, quando non modò pars hæc, quę ob palustre solum facillimè aërem caliginosum potest sortiri, sed etiã totus Pontus Euxinus nubilosus est, vt Pomp. Mela scriptũ reliquit: cui astipulatur quoque illud Flacci:

Illic vmbrosæ semper stant æquore nubes,
Ac incerta dies.——

Id quod recentiorum etiam docet experiẽtia: Pontũ em̃ ita frequẽti, densaq; caligine circunfundi solere scribunt, vt non modò littora vectores, sed ne gubernator quidẽ in puppi stans, proram videre possit. Quam sanè ob causam, & ab Appiano, & hodie à nautis, vulgò mare Maurum, hoc est, nigrum appellatur. Hinc Appoll. ἠερόεν στόμα πόντου, hoc est, caliginosum vocat.

XXI.

Διὰ ταύτας δὴ τὰς προφάσιας τὰ εἴδεα ἀπηλλαγμένα τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων ἔχουσιν οἱ Φασιηνοί. τά τε γὰρ μεγέθη μεγάλοι. τὰ πάχεα δ᾽ ὑπερπαχέες. ἄρθρον τε κατάδηλον οὐδὲν, οὐδὲ φλέψ· τήν τε χροιὴν ὠχρὴν ἔχουσιν, ὥσπερ ὑπὸ ἰκτέρου ἐχόμενοι. φθέγγονταί τε βαρύτατον ἀνθρώπων, τῷ ἠέρι χρεώμενοι οὐ λαμπρῷ, ἀλλὰ χνοώδει τε καὶ διερῷ. πρὸς τὸ ταλαιπωρέειν τε τὸ σῶμα ἀργότεροι πεφύκασιν.

Propter has sanè causas Phasiani formã corporum habent ab alijs hominibus longè diuersam. Sunt enim magnitudine ingenti, & corpulentia valdè excellenti. Neq; etiam articulus vllus euidens est in eis, aut vena, coloremq; luteum habẽt, non secus, ac qui regio morbo laborant. Loquunturq; omniũ hominũ grauissimè, quo aere vtantur non claro, sed caliginoso, & supra modum humecto. Sũt insuper ad laborẽ natura ipsa segniores.

Ex iis, quæ tum ad victus rationẽ, vitæq; institutum attinent, tũ quæ ad regionis situm, & aërem, de quibus proximè disseruit, tanquã ex causis colligit, Phasianos corporis forma à cæteris Asianis quàm maximè esse distinctos. Magnos enim, & corpulentos maximè esse dicit, ita vt neq; venæ appareant, neq; articuli. Aëris quidem humiditas totius corporis tumiditatem adaugere potest: huius tñ potissima causa vita est otiosa. docebat enim Gal. 3. lib. com. in lib. Hippoc. de Artic. Com. 81. p exercitationẽ non modò venas, & fibras pleniores reddi, sed etiã robustiores, carnem autẽ imminui, attamen solidiorem firmioremq; reddi. Sed quoniam rem hanc dilucidè admodum Gal. ob oculos nobis proponit, præstabit fortasse ex eo loco verba referre, quæ ad hunc locũ commẽtarij loco esse possunt. Ergo vbi qs (inquit) exercitatione, & frictione robustior euadat, fibræ meliùs aluntur, caro gracilior fit, sed firmior. Ignauis contrarium ferè accidit; graciles enim in eis fibræ sunt, at caro admodũ quidem abundat, sed ob humoré mollis est: huiusmodi em̃ carne caseus, qui adhuc concrescit, repræsentatur: sed carne eorum, qui exercẽtur, ille, qui iam spissatus est: quocirca iis musculi duri, neruosi, & propriis finibus circunscripti conspiciũtur. Inexercitatis autem molles, & carnosi apparẽt, ac vel nullo modo, vel vix circunscripti. Vnde dicebat secundo in 6. lib. de Morb. vulg. exercitationis proprium esse caloré naturalem duobus modis melioré facere, tũ quòd illa mediante membrorũ substantia magis incalescit, viuidiorq; redditur; tum q, copiosioré aërem attrahẽtibus, meliùs calor ventiletur, expurgetur, & refrigeretur. Et lib. 5. de Tueud. valet. cap. 3. dicebat celerem exercitationẽ corpus attenuare, mediocrem medium reddere; tardam verò, qualis est, quæ vehiculis, & nauibus istis fit, crassum corpus efficere. Eiusdem etiã defectu corpora redduntur decolorata, & pallida, ad motumque omnino segniora, & torpida. Proinde cap. 4. lib. de Consuetudinibus, singula membra, quę exercentur, fieri dicit solidiora, & robustiora: quod & confirmat secunda Apbotis. 49. Quinimò non modò particulę robustiores euadunt, sed & mens, & animi vires, vt memoria, ingenium, vis imaginandi, ratio, cogitatio, & iudicium: sensus etiam ob exercitium & acutiores, & meliores euadunt. Potest tamen etiam, cur neque articuli, neq; venæ appareant, alia afferri ratio: nam quòd venæ non appareant, sanguinis paucitas ex iecoris frigiditate orta in causa esse potest; vt in iis, qui pituita alba laborant, etiam accidit. Articulorum autẽ inconspicuitatis causa est multa carnositas, addita enim capitibus ossa minora sunt, quemadmodum videmus in mulieribus.

Coloremq; pallidum habẽt.) Græcè est τήν τε χροιὴν ὠχρὴν ἔχουσιν, in quibus præter rationem esse credo lectionem mutare, vt putauit Baccius, & loco ὠχρὴν legere ὑπόχλωρον, quòd, inquit, pallidus color magis ad album vergat. Suppallidus verò, qui

rò, qui cum pallore secum habet flauitiem: qđ in ictericis magis conspicitur: quasi verò dictio ὠχρὸν non modò pallidum non significet, sed etiam croceum aliquantò dilutum, quẽ nos giallum appellamus. Manifestum oobis fecit Galenus 2. de Rat. vict. in mor. acut. Com. 21. vbi longa oratione demonstrat confundi χλωρὸν & ὠχρὸν. Et quamuis interpres passim, vbi in Grȩco est ὠχρὸν, pallidum vertat: nihilominus potiùs luteum vertere eo loco debebat: non enim negamus pallidum significari etiam illa dictione. At in illo loco interpretari posse Gal. de pallido colore: id est, quod imus inficias. Siquidem quòd primò idem ὠχρὸν & χλωρὸν sigoificare scribat, χλωρὸν autem certum est viridem colorẽ significare, certum erit per ὠχρὸν pallidum nõ significari, cùm nullus sit, qui viridem cum pallido confundat, cùm toto genere ferè inter se distent. At verò quòd luteus color, & viridis dilutus confundantur, nihil est, quòd miremur, cùm parum admodum qualitate, & intensione coloris distinguãtur. Præterea rolorem, quem ὠχρὸν appellat, explicans exemplis, primùm ignis colore proposito, id docet. Quis verò vnquam colorem ignis pallidum dixerit? tùm potiùs luteus sit, aut croceus, aliquantò tamen dilutior. Osteodit manifestiùs exemplo coloris eius terræ, quam fortasse à colore cum prima acuta appellat. At certum est vel ex ipso Dioscoride lib. 5. terrȩ id genus esse luteo colore per totum, & illam eo colore esse saturatam impensè, ipsamque ob id μιλτώδη vocat. Manifestum est autem hunc nõ esse colorem pallidum, sed luteum. Constat igitur ὠχρὸν quandoque quidem pallidum signifirare. At verò sæpenumerò etiã pro luteo aliquantum diluto sumi: quomodo si Hippoc. intellexerimus, optimè propositum esse exemplum ictericorum cognoscemus, qui non pallidi, sed lutei, aut croceo colore præditi sunt, sed dilutiori. Verùm, vt ad propositum redeã, maximè explicationi huius loci conueniunt, quæ scripta sunt 14. Problem. 12. probl. cùm quærit, cur qui io nauibus degunt, quamuis in aqua, coloratiores tamen sunt? Respondetur: An loca commodè aspirata coloris præbere hilaritatẽ possunt. Pallidos aũt, aut luteos, humor efficit, cùm putrescit: quod euenire immobilitatis ratione solet. Quamobrẽ subpallidi, vel sublutei sunt, qui lora palustria colunt.

Loquunturq; omnium hominũ grauissimè.] Quæ ad vocis generationẽ, eiusq; variandam naturã faciunt, adeò diffusè à nobis lib. 2. com. 22. explicata sunt, vt superfluũ sit in præsentia eam materiam iterũ repetere. Solùm igitur ex iis, quæ eo loco proposita sunt, ea colligemus, quæ ad præsens oostrũ oegotium facere videbuntur. Cùm igitur vocum multȩ sint differentiæ, cùm alij magoa, alij parua, alij graui, alij acuta, alij clara, alij rauca voce loquantur; cùm hoc loco Phasidis ciuitatis incolas grauissimè loqui scribit Hippoc. intelligendum est magnã quidem aliquantulùm habere vocẽ, sed grauem, & raucam q̃ maximè. Magna fit, cùm magna existente arteria, multus cũ impetu aër expellitur. Cũ verò hic supponamus ex structura corporis amplam adesse arteriam, atq; ob magnitudinẽ corporum multũ aëris etiam expelli, magnã habere vocẽ diximus ex parte, non tñ omnino magnam, cùm nõ multus sit interous calor, & spiritus, q aërem cũ impetu propellat. Propterea potiùs grauis est, quæ fit, cùm existente arteria ampla, sine impetu aër emittitur. Est tñ potiùs rauca, quæ fit, cùm membrana, quæ asperã arteriam in parte, quæ gutturi vicina est, contegit, siue ob structurã, siue ob humorẽ irrigantẽ, & imbibitũ, est exasperata. Aër enĩ in partes inæquales, & eminentes impingẽs, varium & inæqualem sonum facit, prout partes illæ tùm magnitudine inȩquales, tũ duritie, & mollitie dissimiles sunt. Ex humida enĩ, & molli materia sonus admodum obscurus excitatur, cùm percutienti nimiũ cedat. Quin & humida excrementa per asperã arteriam delata, impedientia quominùs rectà feratur aër, raucam & grauẽ vocem efficiũt. Cùm igitur Phasiani aërem turbidum, & obscurum, tũ & crassiorẽ inspirent, & instrumenta omnia voci inseruientia molliora, & humectiora reddita sint: cùm præterea corpore magno prædita sint, cui ꝓportione correspondere debẽt collum, & aspera arteria, necesse est grauissima voce præditos esse. Quod insinuauit, cùm reddens rationem subdit, [*quòd aere vtantur non claro, sed caliginoso, & supra modum humecto.*] neq; enĩ hoc loco video, cur communem librorum impressorũ lectionem relioquamus, & nescio quam manuscriptã sequamur, quæ habet νοτώδει καὶ θολερῷ: qđ est, austrino, & turbido, cùm & idem significẽt, nec sit immutanda communis lectio sine necessitate. Aristoteles, siue quisquis auctor est illorum, lib. 11. sect. probl. 17. vnum maximè quærit, moxq; eius quæsiti affert solutiooem, quȩ maximè ad huius loci explicationem facit. Quærit enim, cur voces nostræ grauiores sint hyberno tempore. Respondet: An q aër interior tunc & exterior crassior est. Crassior autẽ cùm sit, tardiùs mouetur, itaq; mox grauior vox non immeritò fit.

Sunt insuper ad laborem natura ipsa segniores.] Conuenit, vt qui corpore sunt supra modũ effœminato, articulis imbecillibus, corpulenti, exangues, nimio humore excremẽtitio referti, tum etiam parũ assueti exercitationi, etiam segniores sint ad labores. De primis causis hactenus satis dictum est. Quæ verò postremo loco proposita est ex consuetodine desumpta, ab Hipp. nobis tradita est secunda Aphoris. 59. & 60. vbi docet, consuetudinem efficere, vt etiam imbecilliores natura meliùs laborem ferant.

XXII.

Αἵ τε ὧραι οὐ πολὺ μεταλλάσσουσι, οὔτε πρὸς τὸ πνῖγος, οὔτε πρὸς τὸ ψῦχος. τά τε πνεύματα πολλὰ

νότια, πλὴν αὐτῆς μιῆς ἐπιχωρίης· αὕτη δὲ πνέει ἐνίοτε βίαιος, καὶ χαλεπὴ, καὶ θερμὴ, καὶ κέγχρωνα ὀνομάζουσι τοῦτο τὸ πνεῦμα. ὁ δὲ βορέης οὐ σφόδρα ἀφικνέεται. ὁκόταν δὲ πνέῃ, ἀσθενὴς καὶ βληχρός.

Atq; anni tempora nõ multũ mutantur, neq; ad æstum, neq; ad frigus. Ventiq; multi austrini, potissimũ vnus eius peculiaris: hic verò aliquãdo vehemẽs, molestus & calidus spirat, & Cenchrona hunc ventũ nominant. Boreas verò non admodum ad eos peruenit; quòd si quando spirat, debilis est, & lenis.

Docuit hactenus, quomodo forma, & moribus à cæteris ferè hominibus Phasiani distinguãtur: nunc ea prosequitur recẽsere historicè, quæ ad anni tempora, & ventos pertinent.

Atq; anni tempora non multũ mutantur, &c.] Huius causa ea fortasse est, q̃ non modò solum sit palustre, sed etiam sit vicinũ magnæ paludi Meotidi, & Ponto Euxino: quapropter non multum frigoribus potest infestari. Sed ne multum quidem caloris admittunt, tum ob situm, in quo est ea regio, cùm sit inter Asiæ partes quàm maximè Borealis. Solent autem venti Septentrionales quàm maximè temporum varietatem parere, qui cùm ob oppositos montes ab hac parte arceantur, similitudinem quãdam temporum in ea regione relinquunt.

Ventiq; multi austrini, potissimũ vnus indigena, &c.] Græcè, τά τε πνεύματα πολλὰ νότια, πλὴν αὐτῆς μιῆς ἐπιχωρίης, &c. ubi interpretes omnes ad vnum dictionẽ πλὴν interpretati sunt, præter: hoc modo Cornarius: Venti autẽ eis sunt plurimi, austrini omnes, præter vnum eius regionis propriũ, & indigenã, &c. Sic & Cardanus, & Zuingerus, præterquàm quòd non habent dictionẽ, omnes. Antiquua etiam interpres Caluus hoc modo legit: Spiritus, ventiue plurimum illi austrini flant, præter vnum regionis illius peculiarem, & incolam. Baccius autem sic: Venti quoque Australes multi, præter vnum indigenam. Ego uerò nullam ex ijs interpretationibus possum probaret: Siquidem quæ est Cornarij, quamuis meliorẽ sensum habere uideatur (sic enim diceret ventos esse plurimos in ea regione, qui tamen omnes sint Austrini, mox vnum solum excipiat Cenchrona, qui australis non sit) nullo modo tamen concedi potest, quia dictionem, omnes, quæ meliorem sensum efficiebat, de suo addit, cùm nulla talis sit in Græco codice. Deinde reprehendendus esset Hipp. qui cùm plurimos esse ibi ventos Australes docuerit, vnum exceperit Cenchrona, neq; docuerit, à quãnam parte perflaret: eum tamen calidum statuit, quæ qualitas peculiaris esse solet Austrinorum, ita ut & Hipp. superiori secũdo libro, & Arist. in Meteorologicis ventos in duas quasi vniuersales differentias diuidens, alios austrinos dixerit, alios Boreales, & hanc quasi explicãns, alios calidos dixit, alios frigidos. Hi itaq; cùm calidi sint, potiùs sub Austrinis continerẽtur. Prætereà non satis mihi probari potest hic loquendi modus; ventiq; multi sunt australes, præter vnum indigenam: dictio enim, præter, solet vniuersali affirmatiuæ, uel negatiuæ subijci, vt verè excipere possit: hic verò nulla adest vniuersalis propositio: nam quãuis multos dicat, non omnes tñ affirmat. Quapropter quãuis dictio πλὴν vt plurimũ præter, & præterquã significet, & aliquãdo, sed, vel cæterùm, aduersatiuè; quãdoq; tamen etiã amplificat orationem, & interpretari debet, maximè, seu potissimũ. Locus vnus est Scripturæ sacræ adeò manifestus, vt nullam pariatur difficultatem: lib. 1. Reg. cap. 21. εἰ πεφυλαγμένα τὰ παιδάρια εἰσί, πλὴν ἀπὸ γυναικὸς, vbi nullo modo dictio πλὴν potest præterquã, aut præter, aut sed, aut imò verti aut significare, sed necessariò interpretanda est potissimùm, aut maximè. Sic enim habent in Latinum vertentes: Si mundi sint pueri, potissimũ à mulierib. Vbi si πλὴν præterquã significaret, proculdubiò immundos faceret, & eius potissimũ vitij, quod euitãdum docere in animo erat. Hanc etiam significationem uidetur insinuasse Aristophanis cõmentator in Pluto, ubi πλὴν pro χωρὶς sumi docet. Certum est aũt χωρὶς etsi seorsum significet aliquãdo, sæpius pro particulatim, & speciatim sumi. Quomodo si πλὴν hoc loco interpretaremur (in qua re nõ multũ laboro) sensus erit: Ventiq; multi Austrini, particulatim autẽ vnus indigena, &c. id est, ex austrinis (quod nomẽ est generale) species quędam Austri maximè perflat: quæ peculiaris est illius loci. Dixerim igitur ventum hunc Cenchrona esse Austrinum, & molestum potissimùm, quòd à lateribus, à montibus quasi compressus, directè spirat.

Boreas autem non admodum ad eos peruenit, &c.] Ratio verò est, cur Boreales venti eò nõ perueniãt, quia regio ea à Borea cõtegitur à Corace monte, & à Caucaso, q̃ est Coraci continuus, & è regione illius, quãuis orientalior. Ab Oriente sũt omnino Molthicis montibus, & Caucasiis: Ab Occidente est Pontus Euxinus. Quòd si qs contrà arguat, eadẽ ratione debere esse coopertos à Meridionalibus ventis, q̃ ab ea parte contegatur à parte Molthicorũ montiũ, & à Mosthicis: ei statim respondebo, videri quidem ita esse, si Strabonis tabulæ conspiciantur; tum etiam si tertia Asiæ tabula Ptolomæi cõsideretur. At verò si recentiorum tabulas considerauerimus, & eorum scripta, q̃ veriùs eorum locorum historiam nobis tradiderũt, proculdubiò in eam veniemus sentẽtiã, Molthicos, & Mosthicos mõtes nõ eousque peruenire, quò censebant Geographi ij celeberrimi, qui ita versus Meridiem, mox sinistrorsum versus Occidentem flecti volebant eos montes, vt veluti fascia quadã maiorem partẽ Ponti Euxini cõprehendere crediderint. Moxque infrà Antitauro monte magis ea loca à Meridionalibus protegi credebãt. Certũ enim

enim est montes illos rectà quidem, quasi à Septentrionali parte versus Meridionalem porrigi, at nõ longiùs à Phaside multum terminari, neq; etiam multum ad sinistram flecti. Quò fit, vt non modò non defendat ea loca à Meridionalibus ventis, vt potiùs quasi p magnũ canalem eos ducat. Antitaurus autem, quamuis versus Meridiem longa serie extendatur, tñ neque continuata serie id facit, sed sæpius intercipitur: quib⁹ spatiis transmissus Auster molestior fit, vehementior, & concitatior: qua ratione fortasse Cenchrona dicitur.

XXIII.

Περὶ μὲν τῆς φύσιος, καὶ τῆς διαφορῆς, καὶ τῆς μορφῆς τῶν ἐν τῇ Ἀσίῃ οὕτως ἔχει. περὶ δὲ τῆς ἀθυμίης τῶν ἀνθρώπων, καὶ τῆς ἀνανδρείης, ὅτι ἀπολεμώτεροί εἰσιν τῶν Εὐρωπαίων οἱ Ἀσιηνοὶ, καὶ ἡμερώτεροι τὰ ἤθεα, αἱ ὧραι αἴτιαι μάλιστα, οὐ μεγάλας τὰς μεταβολὰς ποιεύμεναι, οὔτε ἐπὶ τὸ θερμὸν, οὔτε ἐπὶ τὸ ψυχρὸν, ἀλλὰ παραπλήσιαι.

De natura quidem, & differentia, & forma eorum, qui in Asia positi sunt, sic res se habet. De timiditate autem hominum, & mollitie, q multò sint rerum bellicarum imperitiores Europæis Asiani, moribusq; mansuetiores, tempora anni maximè sunt in causa, magnas mutationes non patientia, neq; caloris, neq; frigoris, sed propè similia.

Antequam aliquid de intentione huius particulæ in medium proferamus, operæpretium esse duxi, aliqua scholij loco proponere, tum ad Græcam lectionem pertinentia, tum & ad nostram interpretationem. In prima igitur parte huius particulæ in omnibus codicibus impressis, & manuscriptis, sunt hæc verba: περὶ μὲν τῆς φύσιος, καὶ τῆς διαφορῆς, καὶ τῆς μορφῆς τῶν ἐν τῇ Ἀσίῃ, καὶ τῇ Εὐρώπῃ οὕτως ἔχει. Nos verò coniecturis multis ducti, credimus subtrahendam esse vnam dictionem, nempe καὶ τῇ Εὐρώπῃ, & in Europa: neque enim video, vbinam de Europæis egerit, nisi Phasianos inter Europæos constituamus, qui neq; forma, neq; moribus Europæis assimilantur, potissimùm cùm inter Asianos ab omnibus sint positi, vt videre est apud Xenophontẽ in 4. Exped. Cyri, tum & apud Strab. & Ptolom. loco citato; quinimò in fine tractationis Asianorum, antequã de Europæis tractationẽ instituat, habet hæc verba: Atq; hæc de Asia; nulla omnino Europæ facta mentione. Quòd si qs dixerit, verba hęc referri in sequentia, in quibus comparat Asianos Europæis: is si verba tũ Græca, tum Latina consideret, cognoscet id omnino esse impossibile: dicit eñ de natura, forma, & differentia eorum, qui Asiam, & Europam incolunt, sic habet, id est, vt diximus: nam iam de natura, forma, & diuersitate Asianorum egerat. Accedit, q hic non de diuersitate Asianorum ab Europæis agit, sed illa supposita, tanquã cognita, illius rationem inuestigat; vt & contextus Hippoc. docet, & nos posteà ostendemus. Hæc circa Græcam lectionem. Nunc aliquid de ratione interpretationis nostræ. Cornarius, quãuis sensum reddiderit, liberiùs tñ, & infideliter vertit, cùm interpretatur: q, autem timidiores, effœminatioresq;, ac imbelles præ Europæis Asiani existant, moribusque mansuetiores, tempora ipsa anni in causa sunt. Verùm, quamuis fidelis non sit, admitti saltem potest, tanq̃ paraphrasis. At quod mihi admirationẽ facit, est recentior, qui ita sententiam Hippoc. ad verbum in Latinum ferre profitetur, vt sæpenumerò sententiam Hippocratis non intelligibilem reddat; hoc tamen loco in fine particulæ, vbi Hippoc. habet ἀλλὰ παραπλήσιαι, ipse vertit; veri similes sunt: cùm autem crederem impressoris esse mendum, & loco veri legisse ferè, lectis commentariis ab hac sententia deflexi; cùm esse veri similem hãc partem mondi dicat, qđ non nisi de verno tempore intelligi potest. Hæc tanquã scholia. Prima pars huius contextus, q peroratio videatur, superiori particulæ potiùs coniungi debere visum est expositoribus. Ego verò credo potiùs positam esse, vt facilior illi transitus fieret ad sequentia: propterea huic particulæ adiunxi hoc modo: Cùm à nobis hactenus de Asianis ea sint considerata, quæ ad naturam, formam, & diuersitatem pertineant, reddenda nunc est causa, cur Asiani timidi sint magis, imbelles, & effœminati, q̃ Europęi, tum & moribus mansuetiores. Non enim Hippocratis hoc loco intentio est comparare Asianos Europæis, sed hoc tanquã omnibus cognito, illius rei reddere rationem; quæ non ad loca frigida, aut calida simpliciter refertur, vt censuit Alemanus, sed in magnas mutationes temporum ad calorem vehementem, aut frigus. Si eñ verum est saltẽ ex parte, quod nos docuit Gal. lib. Quod animi mores corp. temp. seq. cap. 7. vbi varia adeò erunt tempora, nunc calida, nunc frigida, aliquãdo humida, & aliquando sicca, variæ etiã excitantur animi passiones, & ad iram, & ad bellum, & vindictam sumendam, & ad mansuetudinẽ aliquando. Cùm præterea frigore durent corpora, neq; nõ perpetuò id adsit, cum prudentia etiã ij motus erunt, ex quibus & fortitudo, & vis bellica facilè generari potest. Quòd si Aristot. 1. Probl. probl. 3. censuit mutationes temporũ insuetas morbos parere ob motus humorum varios, ergo vbi in aliqua regione consuetæ fuerint magnæ huiusmodi mutationes, morbos quidẽ nõ generabunt, sed motus humorum q̃ maximos: Ex variis autẽ humorũ motionibus variari animi affectus manifestius est, q̃ quòd à me probari possit. Verùm illud obseruãdum est, nõ quascunque humorum mutationes posse mores naturales variare, puta quę casu eueniunt, sed quę ex propè naturali, & continuata temporũ mutatione diutiùs effectus producere possunt: nã humores mutati perpetuo cursu multorũ annorum mutare possunt temperaturã, tũ posteà

per successiuam generationem, qui nascuntur, eandem nanciscuntur. Sed hæc manifestiùs inferiùs ipse demonstrat, & proximè, cùm dicit.

XXIV.

Οὐ γὰρ γίνονται ἐκπλήξιες τῆς γνώμης, οὔτε μεταστάσιες ἰσχυραὶ τοῦ σώματος, ἀφ' ὧν εἰκὸς τὴν ὀργὴν ἀγριοῦσθαί τε, καὶ τοῦ γνώμονος καὶ θυμοῦ μετέχειν μᾶλλον, ἢ ἐν τῷ αὐτῷ αἰεὶ ὄντα.

Neque enim fiunt mentis stupores, neq; vehementes corporis mutationes, à quibus iram exasperari, & intelligentiam, tum & calorem excitari magis par est, quàm in ys, qui in eodem statu semper sunt.

Videtur hac particula Hippoc. nihil aliud sibi velle, q̃ docere modum, quo p maximas has varias temporũ anni mutationes fiãt robustiores homines, & magis bellicosi: econtrà verò ex sibi semper simili temporum constitutione magis effœminari homines, imbellesq; reddi, & magis moribus mansuetos: & inquit nõ fieri mentis stupores, quemadmodum nos traduximus (neq; eñ hac in parte multũ placet traductio Cornatij tanquã nimis paraphrastica) vbi tempora nõ magnas frigoris, aut caloris mutationes habẽt. Grçcè est, ἐκπλήξιες: nomen autem hoc aliquando symptoma quoddã morbosum significat, de quo Gal. in Com. 14. lib. 7. Aphor. cùm dicit ἔκπληξιν esse, cũ quis ex morbo nec loquitur, nec quicq̃ agit, sed apertis oculis quietus manet, veluti prç timore attonitus. Quo loco obstupescẽtia ab interprete vertitur. Aliquãdo autem mentis passionẽ quandam significat, de qua sic scribit auctor definitionum Medicinalium, eam esse mẽtis alienationẽ quandam, quæ ex repentina quapiam mẽtis perturbatione extrinsecus prouenit. Hoc loco, cùm de affectibus præter naturã, & morbosis nõ loquatur, sed de animi, & corporis naturalibus passionibus, meo iudicio, satius est de secunda hac intelligere, quam stuporem mentis sum interpretatus, q, nulla alia suppeteret Latina dictio, qua propriè vim Græcç huius dictionis exprimerẽ.

Neq; vehementes corporis mutationes.] Cùm animi perturbationes ex Hippoc. sentẽtia magna ex parte corporis mutationes varias insequantur, hoc loco vnũ ab altero non separauit: quinimò tanquam causam immediatè subiungit.

A' quibus iram concitari.] Græcè est, ἀφ' ὧν εἰκὸς τὴν ὀργὴν ἀγριοῦσθαί τε: nescio igitur quid hoc loco doctissimo Zuingero in mentem venerit, cùm locum hunc in Latinum vertẽs, interpretatus est; quibus tñ de causis & mores efferari, &c. Causa autẽ, quare in iis locis, in quibus sunt magnç temporũ mutationes, magis ira ferociat in hominibus ibi degẽtibus, ea esse potest, q, cùm ira sit accensio sanguinis circa cor ob appetitũ vindictæ, magis sanguis in iis locis, vbi sunt magnç temporũ mutationes, accendi potest: cũ ex iis sæpiùs sanguis reciprocatione quadã extra intus propellatur, & sæpe etiam incalescat.

Et rationem, tũ & calorem magis excitari par est.] Dictio hæc γνώμονος sumitur pro γνώμῃ; absurdũ est eñ credere, quemadmodum censet Alemanus, rationẽ nomine γνώμονος insignire, q, quemadmodum in horologiis solaribus gnomon, stylus ille in medio positus quasi Solis vmbilicus, horas indicat: ita, inquit, ratio, quid agendũ sit, demõstrat, & ad inquirendũ, & excogitandum cohortatur. Quasi verò, nõ potiùs econtrà, gnomon non sit nomen, quemadmodũ & γνώμη ab ἔγνωσμαι præterito passiuo: γιγνώσκω autẽ & γνώσκω idem significat, qđ Latinis agnosco, & cognosco: quemadmodum quod γνῶ dicũt, nobis est nosco. Quapropter quemadmodum γνώμη cùm multa significet, magis tũ propriè cognitionẽ significat: ita quamuis γνώμων significet vt plurimũ stylũ horas indicantẽ in horologio solari, q, eo cognoscamus horas, tñ hoc loco, insolito quasi significato γνώμονος nomine vsus est p ratione, cognitionéve. Dicit igit, in iis locis, vbi tempora magnas faciunt mutationes, & iram magis excitari, & cognitionẽ, & calorem. Neq; verò mirandum est, quòd iram, & intelligẽtiam coniungat, cùm vitium ira esse videatur, & detestabile. Cognitio autem rerum, siue etiam ad cognitionem promptitudo virtus est intellectualis, & maximè commendanda. Nam lib. 2. Comment. 23. à nobis demonstratum est, iracundiam non omnem esse vituperandam, sed aliquam laudandam, quæ etiam virtutis soboles esse solet.

Et calorem.] Græcè habet τοῦ θερμοῦ. Per calorẽ non modò innatum, & cuique parti implantatum à natura significat, sed etiam transfusum à corde, qui spiritus est, à quo etiam hominum cogitationes, & ingenia magis acuuntur. Multa enim ante oculos subiicit ingenium calore hoc excitatum. Quòd si refrigescant spiritus, supprimuntur eadem. Vbi igitur contingunt magnç temporum mutationes, ob calorem internum auctum, ira excitabitur magis, & mentis cogitationes, auctis & dimotis hinc inde spiritibus, magis acuuntur: quò fit, vt qui regiones incolunt, vbi eæ tam magnæ mutationes contingunt, & audaciores sint, bellicosi, magis viriles, & mente, atque ingenio magis præstent. Qui verò in eodem statu semper consistunt, vt Asiani, effœminati magis sunt, & timidiores, atque in omnibus tandem torpescunt: qua etiam ratione moribus sunt mansuetiores, & molliores. Hoc loco vbi in vulgatis Græcis codicibus est, καὶ τοῦ γνώμονος καὶ θερμοῦ, manuscripti vario modo legunt. Gadaldini enim liber habet, καὶ τοῦ ἀγνώμονος καὶ θυμοειδέος μετέχειν μᾶλλον: quod ipse vertit: & de inhumanitate, & iracũdia participare magis, &c. Zuingeri liber habet idem, quod vulgata lectio, sed loco θερμοῦ habet θυμοῦ, id est, iracũdiæ: sic quoque Baccius. Ego verò potiùs censeo sequendam esse communem lectionem, quæ non nisi magna

magna vrgente necessitate debet immutari. Maximè cùm & vera sit, si eo modo intelligatur, quemadmodum à nobis fuit exposita. Gadaldini verò lectio ea ratione non probatur, quòd videamus Europæos rerum cognitione Asianis & præstare in præsentia, & præstitisse semper, maximè cùm hoc loco de virtute bellica loquatur. Præterea libro secundo 23. iunxit intelligentiam, & cognitionem cum iracundia, quomodo igitur eandem nunc cum inhumanitate coniungit? Sequens præterea particula ostendit, vt docebo, non de inhumanitate, sed de intelligentia loqui. Sed quòd omnem tollit hac in re difficultatem, est, quòd Plato 4. de Repub. & Aristotel. 7. Polit. ex hoc fortasse Hippoc. loco desumentes, eandem hanc sententiam proposuerunt, & ampliantes magis explicārunt. Aristoteles enim cùm de numero ciuium tractationem instituisset, atq; de moribus eorundem; & ingenio, subdit; quæ enim gentes in locis frigidis, quæq; in Europa habitant, animi quidē, & ardoris (Græcè est θυμοῦ) plenæ sunt, at cogitationis, & artis aliquantò inaniores: quocirca libertatem quidem magis retinere valent; Respubl. verò suas minùs bene administrare, nec finitimis imperare possunt. Quæ autem Asiam incolunt, mente sunt illæ quidem in cogitando, & artibus inueniendis solertes, sed nullius animi (ἄθυμα Græcè habet.) Porrò autem Græcorū natio, quemadmodum, quod ad loca attinet, medio interiecta est, ita & ambarū illarum est particeps: nam & ferox, & animosa, & solers, atq; ingeniosa est. Quapropter & semper in libertate viuit, & optimè Rempubl. suam administrat. Sic Plato 4. de Republ. Scythas iracundiæ, animiq; plenas gētes appellat. Verùm cùm hoc loco Hippoc. sub Europæis etiam collocet Græcos, & Italos, censendum est iis omnibus dotibus Europam longè excellere. Quæ verò hoc loco de Europæis dicit, de iis intelligenda sunt, qui loca multum frigida incolunt, quales sunt Germani, qui animo, & iracundia, viribusq; animi, & corporis, quæ ad bellica negotia necessaria sunt, q̃ maximè pollent. Asiani verò maximè iis destituti sunt, & iis potiùs excellunt, quæ in pace magis in vsum veniunt. Tantùm igitur abest, vt quæ hoc loco ab Hippoc. dicuntur, repugnent iis, quæ tradita sunt ab Aristotele 7. Polit. vt potiùs ita similia sint, vt facilè credam, & Platonem, & Aristotelem ab hoc loco sua mutuatos esse. Præter rationem igitur fecit Alemanus, qui conatus est hunc locū, tanq̃ illi Aristotelis repugnantē conciliare: quod inde meo iudicio euenit, q; neq; Hippoc. hoc loco rectè intellexerit, neq; Aristotelis Græca verba obseruauerit. Latini enī interpretes sæpenumerò ob elegantiorē dictionem, spreta veritate, neq; propriis nominibus verbis Aristotelis correspondētibus, inuentis, alia substituunt, quæ veritatem sententiæ ambiguam reddunt.

XXV.

Αἱ γὰρ μεταβολαί εἰσι τῶν πάντων, αἵ τε ἐγείρουσι τὴν γνώμην τῶν ἀνθρώπων, καὶ οὐκ ἐῶσι ἀτρεμίζειν.

Mutationes enim omnium sunt, quæ mentem hominum excitant, neq; sinunt quiescere.

Recentiores hoc loco sic legunt: *Αἱ γὰρ μεταβολαί εἰσι τῶν πάντων, αἱ ἀπεγείρουσαι τὴν γνώμην τῶν ἀνθρώπων οὐκ ἐῶσι ἀτρεμίζειν.* quod est: *Mutationes enim omnium sunt, quæ omnium mentes excitantes, quiescere nō sinunt.* quæ etiam admitti posset, si cōmunior idem nō significaret. Quid autē iis verbis sibi velit Hippocrates, non satis constat. Alemanus traducit ad admirationem, cuius causa mentes ad inueniendas artes, & scientias mouentur, quærēteq; rerū causas, vt docuit Plato in Theæteto, & Aristoteles 1. de Sapientia. Verùm nō video, quæ admiratio esse possit caloris, aut frigoris, aut temporū mutations. Cardanus censet referendum esse ad prouidentiam, velut, inquit, cū hyemem expectamos, cogimur parare ligna, fœnū, triticum, tegulas obducere domibus: venit, inquit, tempus serendi, & inoculandi, q̃ multa oportet præparare. Quasi verò & hæc, vbi non sunt adeò variæ mutationes temporū, non sint inquirenda, atq; solerti etiam diligentia præparanda. Censeo igitur iis verbis docere modū, & causam, qua eæ mutationes prædictos effectus faciant. Quod vt meliùs cognosci possit, consideranda sunt, quæ à Gal. lib. Quod animi mores corporis temperar. sequantur, sunt proposita. Vbi docet, animam, siue mortalis sit, siue immortalis, sanitati corporis inseruire. Cùm ergo corpus mutatur, mutari etiā animū necesse est. Magnæ igitur & variæ aëris, & temporū mutationes calorem nostrum, & spiritus mouentes illum adaugēt. Quapropter homines huiusmodi regiones, in quibus mutationes magnæ temporum contingunt, incolentes, aliquantò calidiores redduntur, & iracundiores, cogitatione etiam prompti, ob spirituū mobilitatē. Vbi autem tempora magnas mutationes non patiuntur, cùm calor, & sanguis circa præcordia non adeò moueantur, sed quiescant, mansueti redduntur, & moribus admodum mites: & nisi ad sapientiam rerum variarum præcognitio esset necessaria, & cogitationis exercitatio, proculdubiò sapientes admodum redderentur, si anima quiescendo, & sedendo fit prudens, vt censuit Aristoteles 7. de Physic. audit. Verùm cùm illud desit, in artibus potiùs inueniendis valēt: qua etiam ratione neque fortes sunt, neque bene Respublicas scirent administrare: & hoc est, quod sibi volebat Aristoteles lib. 7. de Republica, loco proximè à nobis proposito. Obseruandum autem est in hac particula vti dictione γνώμην loco alterius, qua vsus est in superiori particula, cùm γνώμονος dictione vsus est, quasi explicans vsitatiori nomine, & significantiore eam dictionem, quam inusitata significatione priùs posuerat.

XXVI.

Διὰ ταύτας ἐμοὶ δοκέει τὰς προφάσιας ἄναλκες εἶναι τὸ γένος τὸ Ἀσιηνόν. Καὶ προσέτι διὰ τοὺς νόμους. τῆς γὰρ Ἀσίης τὰ πολλὰ βασιλεύεται. ὅκου δὲ μὴ αὐτοὶ ἑωυτῶν εἰσὶ καρτεροὶ ἄνθρωποι, μηδὲ αὐτόνομοι, ἀλλὰ δεσπόζονται, οὐ περὶ τούτου αὐτέοισιν ὁ λόγος ἐστὶν, ὅπως τὰ πολέμια ἀσκήσωσιν, ἀλλὰ ὅκως μὴ δόξωσι μάχιμοι εἶναι: οἱ γὰρ κίνδυνοι οὐχ ὅμοιοι εἰσίν: τοὺς μὲν γὰρ στρατεύεσθαι εἰκὸς, καὶ ταλαιπωρέειν, καὶ ἀποθνήσκειν ἐξ ἀνάγκης ὑπὲρ τῶν δεσποτῶν, ἀπό τε παιδίων καὶ γυναικὸς ἐόντας, καὶ τῶν λοιπῶν φίλων· καὶ ὁκόσα μὲν ἂν χρηστὰ καὶ ἀνδρεῖα ἐργάσωνται, οἱ δεσπόται ἀπ' αὐτέων αὔξονταί τε καὶ ἐκφύονται. τοὺς δὲ κινδύνους, καὶ θανάτους αὐτοὶ καρποῦνται.

Propter quas sanè causas imbelle genus Asiaticum existit. Atque etiam ampliùs propter leges. Maxima enim Asiæ pars sub Regibus est. Vbi autem homines ipsi sibi ipsis nõ dominantur, neque verò sui turis sunt, sed dominis obedientes, vbi de hoc ipsis cura non est, quomodo bella appareant, sed, quomodo bellicosi non videantur. Pericula enim similia non sunt. Hos siquidem par est in militiã proficisci, & labores perferre, mortemq́ etiam oppetere pro dominis coguntur filijs, vxoribus, & reliquis amicis relictis. Et quæcunque vtilia, & virilia operati fuerint, ipsi domini ex eis augentur, & crescunt. Pericula verò & mortes ipsi assequuntur.

Imbelle ac omnino effœminatum, ac timidum fecerat Asiaticum omne genus, illiusque causam in temporũ anni minimum factas mutationes retulit: quæ magnæ factæ in Europa, virile magis, bellicosum, ac robustum hominũ genus solet efficere. Nũc ex institutis, & gubernandi ratione etiam differẽtiam hanc inter Asianos & Europæos prouenire affirmat. Ea verò, quæ dicuntur per se, satis sunt manifesta, si tamen interim aliqua annotauerimus, quæ ad meliorem intelligentiam eorum, quæ hoc loco ab Hippocrate dicuntur, maximè conferẽt. Cùm enim imbelle Asiaticum omne genus hominum statuat ob leges, videtur leges reiiciendæ, quarum ratione homines effœminantur, & viles reddũtur: Cùm alioqui neruum Reipublicæ leges esse constet, & sine quibus Reipublicę nulla forma, siue regia, siue multorum, nullo modo constare possit, vt passim lib. Politic. docet Aristoteles, potissimùm autem lib. 3. Cùm præterea Asiaticos, qui sub Regibus sint, molles esse dicat, & alia, quæ sequitur, videtur omnino regiam gubernationem, tanquã malam, improbare, atque detestari: quam alioqui Aristoteles 3. Politic. cap. 15. & sequent. non modò non vituperat, sed etiam multis formis Reipublicæ anteponendam censet. Verùm has omnes difficultates facilè superabit quilibet, qui cap. 14. 3. Polit. Aristotel. diligenter perlegerit.

Quàmplures enim species Regum, & potestatis Regiæ, eo loco proponit, ex quibus aliquæ ab ipso non ita laudantur, alias autem omnino commendandas esse censet. Primam enim ponit speciem Regum, quæ potiùs impropriè Regia dicebatur, neque monarchia dici poterat: qualis fuit apud Lacedæmonios, apud quos non vnus, sed duo eligebantur sub nomine Regis: qui tamen dum in ciuitate essent, præterquàm sacrificandi nõ aliam habebant potestatem. At verò in ducendis exercitibus, & necis, & cæterarum rerum, apud illos erat auctoritas: vnde dicebat; nõ vt simpliciter Ducum, eorum erat auctoritas, sed vt Imperatorum, quòd omnium apud illos tunc esset potestas. De hac regia potestate videre est apud Xenophontem in Republica Lacedæmoniorum, & apud Plutarchum in Lycurgo. Est alterum regni genus, qđ propriè sub monarchia comprehendit, quòd in eo populi ab vno regantur. Et hoc genus ad nostrum propositum facit. Exemplo autem, tanquàm figura quadã, ostendit, qualia fuerit, cùm dicit; qualia erant regna apud barbaras gentes quasdam. Cuiusmodi autem illa fuerint, explicat, cùm dicit; habere parem potestatem potestati tyrannorum, quæ, si leges spectetur, nulla est, si consuetudinem, licentiamque ipsorum, plena. At verò inter tyrannidem, & regna barbarorum, illud interest, quòd Reges Barbarorũ legibus creati sunt. Et vt acceperunt regnandi ius à parentibus, ita ipsum liberis relinquunt, secùs, quàm in tyrannide. Docet pòst, quòd maximè facit ad nostrum propositum, vnde fiat, vt Barbari tolerent huiusmodi regna, quæ iniqua sunt, & hominibus Græcis odiosa: Et dicit hoc accidere, quia gentes illæ, & nationes magis factæ sunt ad seruitutem, faciliusq́; naturæ quadam vi ferunt iniustum, durumque imperium, quàm Græci. Cumque commune hoc esse Barbaris dixisset, hoc verò Barbarorum nomen non Asiaticis modò, sed etiam Europæis conueniret; statim docet, proniores esse ad seruitutem eos, qui Asiani sunt. Quod etiam hoc loco per circunscriptionem docuit Hippoc. dicens esse eos, qui ad ortum Solis vergerent, ad hoc propensiores, quàm illi, qui ad occasum, Aquilonemque positi sunt: quòd illi sint mitiores, ij verò ferociores. Huiusmodi igitur Barbarorũ regna, propiùs accedũt ad tyrannidem ea, quæ dicta est, causa, id est, quia exercent imperium in eos, quibus dominantur, vt heri in seruos. Aut certè similitudinẽ quandam retinent cum tyrannide. A' tyrannis autem distinguuntur, quia illi magis vacui sunt à periculis, & insidiatoribus, qua sic sunt natura, consuetudine, institutisque creati: assuescunt enim homines illis parère, quos longo temporis spatio in imperio viderint. Qua ratione etiã ij à ciuibus corporis sui custodiam accipiunt. At tyranni externis corpus stipatum habent. Tertiam ponit regni speciem Aristotel. quæ erat tyrannis sponte, &

te, & volentibus ciuibus creata cũ summo imperio; Græci hos αἰσυμνήτας dixerunt. Hæc verò potestas tantùm ad tempus dabatur, nõ tamen certum, sed donec aliquid confectum esset, ad exitumque perductum: at verò illi absoluendo nullum tempus certum erat. Hæc imperij potestas summa ea erat, quæ apud Romanos Dictatori etiam tribuebatur: quam tamẽ non nisi vrgente summa necessitate solebãt in vsum traducere, aut ad eam confugere, præsertim posterioribus temporibus id malum metuentes, in quod postremò inciderũt, quali etiam, inquit, vsi sunt Mytelenæi, cùm Pittacum Regem elegerunt aduersus exules, quærentes in patriam redire, Alcæum poëtam, & fratrem. Quarta erat Regum species, quæ erat heroum temporibus, id est, antiquo tempore. Ortus autem, inquit, fuit ob benaficia aliqua insignia, quæ tantam vim apud gratos conciues suos habuerunt, vt tantam illi potestatem tribuerent: atq; per successionem filiis, & nepotibus beneficentiæ, & gratitudinis ergô confirmârunt regnum: cui tamen administrando conditiones quædam latæ fuerint. Erat enim hic Rex dux bellicarum copiarum, & prætetea iudex causarum, nec nõ habebat in sua manu ea, quę pertinebant ad cultum Deorum. Ponit postremò speciem, quæ est ea, quam ipsa & commẽdat, & amplexandam, tanquã bonam, suadet, in qua fuerit omnium rerum, quæ fiunt illic, dominus, quique vnus numero sit, ita tamen vt cum lege omnia gubernet, & moderetur: Lex verò sit iusta, atque recto iudicio instituta: Exemplo non docet. Quemadmodũ, inquit, videmus singulas gentes, & singulas ciuitates communium, suarúmque rerum dominas esse, posseque de illis, vt sibi visum fuerit, consilium capere. Cùm igitur eadem potestas in vnum translata est, appellatur illud Regnum. Docuit autẽ, quomodo hoc Regnum constitutũ sit, & ad cuius imaginem conformatum; & referre, inquit, eam rationẽ, quã regitur domus. Quemadmodum enim, inquit, disciplina illa est quoddam regnum domus, ita regnum est disciplina, potestasque eadem in vnam quampiam ciuitatẽ, aut gentem, siue plures. Quod igitur Hippocrates hoc loco ob leges, & ob reges imbelle omne Asiaticum hominum genus esse dicit, intelligendum est p leges, non leges scriptas, & secundùm ius, & æquum dispositas: tantum enim abest, vt iis imbelle reddatur hominũ genus, vt iis potiùs & Regna firmentur, & Respubl. & populi non solùm sua conseruẽt, sed etiam aliena, si opus sit, consequantur. Quod vel ex Lacedęmoniorum legibus facilè intelligi potest. Reges autẽ non omnes seruorum more subditos tractãt, sed solùm secundum Regum genus. Quod etiam in Asia magis consuetum esse scribit Aristoteles 7. Polit. cap. 7. vbi dicit; Quæ enim in locis frigidis, quæque in Europa habitant gentes, animi quidem plenæ sunt, cogitationis autem, & artis aliquantò inaniores: quocirca libertatẽ magis retinere solent; Respubl. verò suas minùs bene administrare: neq; vim, & potestatẽ habent parandi sibi imperium ex vicinis. Quæ autem Asiam incolunt gentes, mẽte sunt illæ quidem in cogitando, & artibus inueniendis solertes, & ingeniosæ; sed nullius animi: quocirca perpetuò parent, & seruiunt. Porrò autem Græcorum natio, quemadmodum, quòd ad Græca attinet, media interiecta est; ita & ambarum illarum est particeps: nam & ferox, & animosa est, & solers, atq; ingeniosa. Quapropter & semper in libertate viuit, & perpetuò Rempubl. suam bene administrat, imò omnibus imperare possit, si vnam Reipublicę administrandæ formam consequatur. Ita sanè existimauit Aristoteles, & Hippocrates de iis nationibus, vt ipse sua ætate obseruauerat, & vt cœlum ipsum eas fingebat. Et omni quidem tempore informat, & fingit, studium tamen, & diligentia adhibita immutat non parũ regionis naturam, & cœli propensionem. Hoc autem ita esse facilè animaduerterit, qui mores, & vitam Germanorum habuerit perspectam, q manifestè vni sunt eorum populorũ, quos Aristoteles intelligit, & in tellure viuunt, qualem describit. In ea tamen plures liberæ ciuitates sunt, & Respubl. quã in reliqua omni terra. Quas etiam legibus, & disciplina instructas fideliter, sapienterque gubernant. Quamuis quod dicit Aristoteles in hoc q̃ maximè verificetur, quòd imperia sua nesciunt ampliora reddere. Remanet igitur saltem apud ipsos odium seruitutis. Asiani autem, & Asiaticum ingenium, idem remanet, humile admodum, & seruile. At verò Græcorum ardor ille animi cum temperantia mensuratus, atq; ingenium adeò perspicax, fugaque seruitutis, malo eorum fato omnino est extinctum. Atque omnium miserrimi in præsentia miseram magno tyranno seruiunt seruitutem.

XXVII.

Ἔπειτα δὲ πρὸς τούτοισι τῶν τοιούτων ἀνθρώπων, ἀνάγκη ἡμερεῦσθαι τὴν ὀργὴν, ὑπό τε ἀπολεμίης καὶ ἀργίης, ὥστε καὶ εἴ τις φύσει πέφυκεν ἀνδρεῖος καὶ εὔψυχος, ἀποτρέπεσθαι τὴν γνώμην ἀπὸ τῶν νόμων.

Deinde verò ab his huiusce modi hominum mores mansuescere necesse est, & propter inertiam bellicam, & otium. Ita vt si quis etiam à natura virilis est, & animosus, eius animus à legibus inuertatur.

Hoc loco varia adeò lectio reperitur, vt, cùm viri docti in iis eligendis nõ parum dubij sint, animo anceps hæserim, cuinam earum adhærerem, cùm quęlibet & huic loco accommodari optimè possit, & tum superioribus, tum iis, quæ immediatè subiungit, satis commodè coniungi, cùm alioqui omnino sententiam diuer-

ſem producent: Legiiur enim in Beſilienſi prima editione, in principio huius particulæ hoc modo: ἔτι δὲ πρὸς τούτοισι τῶν τοιούτων ἀνθρώπων ἀνάγκη ἠρεμεδῶσθαι τὴν γῆν ὑπό τε πολεμίων καὶ ἀργίης. quod eſt, verbum verbo reddentes: Præterea verò præter hanc rem huiuſmodi hominum terrem neceſſe eſt deſolari ob bellice, ſiue hoſtilie, & otium. Beccius, qui profitetur ad verbũ treducere, hoc modo vertit: Prærerea horum hominũ terram ab hoſtibus, & otio deſolari neceſſe eſt: eandẽ lectionem videtur etiam Caluus habuiſſe. Alij B eodẽ omnino modo legunt, prçterquem quòd vbi eſt πολεμίων, hebent ἀπολεμίην; quod vertit Cornarius, inertiem bellicem. Eandem etiam lectionem hebuit Aldinus liber, & liber doctiſſimi Octauieni Ferrarij, ex quo multa variè ſcripte in omnes Hippoc. libros me collegiſſe iem dixi. Vir eutem doctiſſimus Theodorus Zuingerus, in eo, quem modò edidit, Græco, & Latino Hippoc. multò ſecus legit; ſic enim hebet: ἔτι δὲ πρὸς τούτοισι τῶν τοιούτων ἀνθρώπων ἀνάγκη ἡμερῶσθαι C τὴν ὀργὴν ὑπό τε ἀπολεμίης καὶ ἀργίης. quod ipſe etiem vertit: Deinde verò huiuſmodi hominum enimos manſueſcere neceſſe eſt, etiẽ ꝓpter inertiã bellicem, & otium. Quid igitur nos in hac tenta controuerſia, & varietate lectionis dicemus? Profectò quæ primo loco propoſita eſt, ea ratione nullo modo probari poteſt, quod præter Hippocrateæ orationis grauitatem eſſe videatur ponere vnum aliquid, puta regionem aliquem deſtitutam hebitatoribus eſſe à duabus D omnino cauſis contrariis, bello, & otio, neque ponere modum, quo id cõtinget, maximè cùm hoſtium nullam antea feciſſet mentionẽ. Alia, quç cõmunior eſt, quéuis concedi aliquo modo poſſet, vt ſignificet, non ita frequentatẽ eſſe hebitationibus Aſiem, tum propter eas rationes, quas dixerat; nempe cùm imbelles ſint, vi tamen in bellum mittuntur, vbi etiam magis ſolent trucidari: tum etiam quia ob præſcriptum ſeruiendi Regibus modum iugum effugientes, ad alias partes confugiunt; & qui for- E tes ſunt, iugum legum declinantes quenium poſſunt, aliò ſe retrahunt. Verùm nõ ſatis mihi ſatisfecit: quando per otium ſolent magis homines multiplicari, cùm maximè ſeruitutem illam Regibus ſuis, quemadmodum ex Ariſtotele docuimus, libenti enimó ſeruiant. Præterea verba, quæ ſequuntur, omnino idem confirmant: nam, inquit, etiam fortes vi legum quaſi labefactari, & flacceſcere: ſic enim ſecun- F dam illam partẽ interpretandam cenſemus, vt & Zuingerus fecit, & Gadaldinus in ſuis Annotationibus. Quinimò quæ de Græcis ſine iugo Regum hebitantibus proponit, manifeſtò nobis oſtendunt, non eſſe illam ſententiam ſatis accommodatam ad reddendam rationem, niſi intelligamus alio modo. Cenſeo igitur ſequendam eſſe lectionem, quã ex manuſcriptis ſuis nobis in margine libri poſuit Zuing. nam certum eſt falſam earum lectionũ aliquã fuiſſe ob

A varietatẽ lectionũ: at ſi conſideretur hæc, quam modò dixi, omnino fit veriſimile eam verã, & germanam fuiſſe. Lapſos autẽ alios, & quidem facilè, vna, aut altera litera immutata, aut ſubtracta: vt in ἠμερῶσθαι & ἠρεμῶσθαι cõſpicitur, & in ὀργὴν & γῆν: nam in altera dictione video pleroſq; codices conuenire: ea verò recepta, videmus & eam ſententiam optimè cohærere cum ſuperioribus, & rationẽ, quam in ſecunda huius textus parte proponit, optimè illi primæ parti conue- B nire: & exemplum, quod affert in ſequenti particula, illi ſententiæ neceſſariò ſolùm accommodari poſſe. Nunc tempus eſt, vt ſententiam Hippocr. exponamus, in qua re video omnes deceptos eſſe. Dixerat Hippoc. imbelle eſſe Aſiaticum genus; docueratq; illius rei etiam rationẽ, quia ſunt ſub Regibus, & regio imperio ſeruiũt eo modo, quo à nobis ex Ariſtotele fuit explicatum. At verò ſimul dixerat, eſſe etiã moribus manſuetiores: hoc loco poſterioris huius C rei reddit rationem: quod etiam facit, vt poſteriorem hanc lectionẽ, quam in contextu appoſuimus, veriorem credamus, propter prædictas cauſas, quæ effœminatos Aſianos reddebant, quæ etiam ex parte inſeruiũt ad manſuetiores reddendos Aſianos: Et præter has ſunt etiam aliæ, puta otium, quod ſimul cum bellica imperitia efficit, vt etiam, qui viriles ſunt naturâ, & animoſi, ſiue magnanimi, tandem vi rio legum imbelles reddantur, & eorũ animi inuertatur: D quod in 2. par. huius particulæ illis verbis oſtẽdit: ὥστε καὶ εἴ τις φύσει πέφυκεν ἀνδρεῖος καὶ εὔψυχος, ἀποτρέπεσθαι τὴν γνώμην ὑπὸ τῶν νόμων. quod nos vertimus: Ita vt etiamſi quis à natura virilis ſit, & animoſus, eius animus à legibus inuertatur: ſic enim ſincerè ſenſus Hippoc. redditur, non vt à Cornario, qui hoc modo: Vt enĩ quiſque maximè à natura virilis, & magnanimus eſt, ita plurimũ eius animus leges auerſatur. Neſcio verò, quid recentiori in mentẽ venerit, cùm vertit: Qua- E propter & ſi quis magnanimitas, atq; virilis naturæ ſit, animum è legibus retrahi: neq; enĩ Latinè loquitur, neq; quid ſibi velit Hippoc. ea interpretatione poteſt intelligi: Cùm potiùs ſenſus ſit Hipp. Aſianos rarò militare, niſi aliquando coacti. Domi enĩ omni armorum exercitio lege arcẽtur, ne quando regium imperiũ excutiant. Qua armorum ceſſatione, & interdicto, etiam bellicoſa ingenia veluti euirari, vel ipſorum Lydorum exemplo conſtat; quos Cyrus F Perſarum Rex omni voluptatum genere effœminauit, vti ne auitæ virtutis recordatione aliquando rebellarent, vt nobis tradidit Herodotus lib. 1.

XXIIX.

Μέγα δὲ τεκμήριον τούτων. ὁκόσοι γὰρ ἐν τῇ Ἀσίῃ Ἕλληνες ἢ βάρβαροι μὴ δεσπόζονται, ἀλλ' αὐτόνομοί εἰσι, καὶ ἑωυτοῖσι ταλαιπωρέουσιν, οὗτοι μαχιμώτατοί εἰσι πάντων. τοὺς γὰρ κινδύνους ἑωυτῶν πέρι κινδυνεύουσι, καὶ τῆς ἀνδρείης αὐτοὶ τὰ ἆθλα φέρονται, καὶ

ται, καὶ τῆς δειλίης τὴν ζημίην ὡσαύτως.

Magnum autem horum est argumẽtum, quòd quicunque quidem in Asia Graci, aut Barbari sub dominis non viuunt, sed sui iuris sunt, & sibi ipsis laborãt, ij omniũ bellicosissimi sunt. Pericula enim propter seipsos subeũt, & ipsimet fortitudinis pramia, & timiditatis pœnam pariter ferũt.

Duas causas, cur effœminati homines sint in Asia, propoſoerat, quarum altera erat oaturale regionis temperamentum, & tempora anni vniformia, altera extrinsecus adueniẽs, oempe leges, quòd sub Regibua viuant. Nooc probat, ex legibua, & Regia dominio prooenire, quòd molliores sint, & minùs bellicosi à contrario iia propositis, qui in eadem regione degunt, sed sub Regibua noo viuunt, qui bellicosissimi esse solẽt. Quia præmia, & iactura est eorum, qui pro seipsia pognant: qualea fuisse Cares historiæ docent mercenaria apod Asianoa Priocipea militia insignes, itemq́oe Iones Græcorum colonoa. In Asia etiam inuitis Regibus regnabant Mysi, Pisidæ, Lycaones, vt Xenophon auctor est lib. 3. Exped. Cyri. Tom etiam, vt eodẽ libro postea docet, Caducchi: Præterea & Chalybas iia fortiores, & Thaochi, & Macrones. Quòd si quis obiiciat, Homeri tempore Græcos omnes sub Regibus fuisse; nam Argiois Agamemnon, Lacedæmoniia Menelaos, & aliis alij imperabãt, qui nihilominua & fortes erãt, & præterea videtur id concludere contrarium iis, quæ hoc loco tradidit Hippocrates, qui Græcoa sub Regibua nõ esse dicit. Quibus satisfactum volomua exiia, quę à nobia ex Aristorele io Politicis tradita sunt de Regni speciebus, regna illa heroom temporibua oõ fuisse, qualia in Asia apud Reges barbaroa, sed limitatum illis domi fuisse imperium, & certis legibua definitum. Quod verò secuodo loco proponitur, cũ falsitatis argui videbatur Hippoc. dicendum est, Homeri quidem tempore Græciam sub Regibua fuisse, at noo Hippoc. ætate: tunc enĩ omnes fermè Græciæ populi sine Regibus atque tyraonia erant: quoniam quàmuis inter se de principatu, & finibua certarent, pro libertate tamen in vnum cõspirabant aduersus tyrannos: non secus, quàm oostro tempore Heluetij coosentiunt inter se.

XXIX.

Εὑρήσεις δὲ καὶ τοὺς Ἀσιηνοὺς διαφέροντας αὐτοὺς ἑωυτῶν, τοὺς μὲν βελτίονας, τοὺς δὲ φαυλοτέρους ἐόντας. τουτέων δὲ αἱ μεταβολαὶ αἴτιαι τῶν ὡρέων, ὥσπερ μοι εἴρηται ἐν τοῖς προτέροισι. καὶ περὶ μὲν τῶν ἐν τῇ Ἀσίῃ οὕτως ἔχει.

Inuenias autem & Asianos ipsos à seipsis differentes, generosiores alios, & alios vitiosos existentes Horum autem, temporum anni mutationes causa sunt, quemadmodum in pracedẽtibus dixi. Atq; sic quidem habet in Asia.

Ne quis, quod superiùs dixerat, Asianoa multùm inter se similes esse, secus, quàm Europæi, quòd io tempora anni quasi similia, tanquam in causam reiiciebat, credidisset effœminatum hoc viuendi genus, & inglorium in tota Asia, ita esse commune, vt, exceptis liberis iis gentibus, cæteri omnes sint illius cõditionis, subdit hanc sententiam, in qua mihi videtur illud sibi voluisse, nõ omoes Asianoa esse huiusmodi naturã suã; quoniam quamuis maiori ex parte non ita magnę temporum mutationes in Asia persentiantur, ratione tamen situs variantur magis, ac minùs: quò fit, vt ex iis alij sint ad bella promptiores, & strenuiores, alij ignauiores, & magis effœminati, maximè quantũ pertinet ad primam hanc causam naturalem. Ptolomæus secundo libro de Iudiciis astrorum varietatem hanc, & morum, & dispositionũ corporis in quadrantes diuidit, & pro diuersitate signorum domioantium, tum & planetarum varios, ac diuersos esse longa oratione docuit: quæ etiam, si medicè loqui velimus, maximè ad hoc negotium faciunt, cùm propter virtutes cœlestes influxus immediatè operantes, illud etiã ex illis sequatur, vt vario modo aërem immutantes, & diuerso modo ventos excitantes, anni tempora facilè immutent. Alemanus pro commentario huius textus propterea omnia transcribit, quæ dicuntur à Ptolomæo secundo illo lib. T. 16. quæ, vt dixi, maximè sunt ad propositum. Verùm quoniam ad verbum sunt à Ptolomæo transsumpta, ad ea Lectorem relegasse sufficiet. Non solùm enim diuersitatem morum Asianorum iuxta quadrantes ibi describit, sed & animorum sortiodẽ naturam aptè depingit. Postrema autem huius particulæ pars cõtinet perorationem totius tractationis de Asia, & Asianis, ex qua, vel etiam sola, manifestum fit, ab Hippocrate ex professo nihil de Europa esse pertractatum, sed totam hanc tractationem hactenus esse consumptam in Asia consideranda.

XXX.

Ἐν δὲ τῇ Εὐρώπῃ ἐστὶν ἔθνος Σκυθικὸν, ὃ περὶ τὴν λίμνην οἰκεῖ τὴν Μαιῶτιν, διαφέρον τῶν ἐθνέων τῶν ἄλλων, Σαυρομάται καλεῦνται. τουτέων αἱ γυναῖκες ἱππάζονταί τε καὶ τοξεύουσι, καὶ ἀκοντίζουσιν ἀπὸ τῶν ἵππων, καὶ μάχονται τοῖς πολεμίοις, ἕως ἂν παρθένοι ἔωσιν. οὐκ ἀποπαρθενεύονται δὲ μέχρις ἂν τῶν πολεμίων τρεῖς ἀποκτείνωσι. καὶ οὐ πρότερον συνοικέουσιν, ἤπερ τὰ ἱερὰ θύσονται τὰ ἐν νόμῳ. ἣ δ᾽ ἂν ἄνδρα ἑωυτῇ ἄρηται, παύεται ἱππαζομένη, ἕως ἂν μὴ ἀνάγκη καταλάβῃ παγκοίνου στρατείης. τὸν δεξιὸν δὲ μαζὸν οὐκ ἔχουσι. παιδίοισι γὰρ ἐοῦσιν ἔτι νηπίοις, αἱ μητέρες χάλκεον τετεχνημένον ἐπ᾽ αὐτῷ τούτῳ διάπυρον ποιέουσαι, πρὸς τὸν μαζὸν τιθέασι τὸν δεξιὸν, καὶ ἐπικαίεται, ὥστε τὴν αὔξησιν φθείρεσθαι, ἐς δὲ τὸν δεξιὸν ὦμον καὶ βραχίονα πᾶσαν τὴν ἰσχὺν καὶ τὸ πλῆθος ἐκδιδόναι.

In Europa verò gens est Scythica, quæ ad Mæotidem paludem habitat, differens ab aliis gentibus; Sauromatæ dicuntur. Horum fœminæ equitant, & sagittant, & ex equis iaculantur, cum hostibus pugnant, quousque virgines sunt. Neque verò deuirginantur, quousque tres hostium interfecerint: neq; prius viris cohabitant, quàm sacra ex lege fecerint: si qua verò maritum sumpserit, ab equitatu libera est; nisi communis expeditionis necessitas aduenerit. Dexteram autem mammam non habent: nam puellis adhuc infantibus, matres æneo instrumento in hunc vsum parato, igneq; candefacto dextera mamma admoto comburunt, ita vt eius incrementum impediatur. In dextrũ autem humerum, & brachium vis omnis & robur deferatur.

Prosecutus est Hippocrates ea omnia, quæ ad Asiam pertinebãt, quantum ad illius in hoc libro propositum faciebant, si non longa, dilucida certè, & sententiis quàm plurimis referta oratione. Multa enim, quę in hoc negotio addi poterant, partim omissa sunt, quòd medicum negotium excedere viderentur, partim etiam, quòd cùm breuitatẽ, vt sui moris est, quàm maximè affectaret, ex iis, quæ hactenus de Asia tũ in genere, tũ in specie dicta erant, putabat posse nos colligere cætera, quæ ad institutam tractationem faciebant. Iam igitur alteram partem, quæ erat de Europa, aggreditur, & longiori oratione, quòd videret gentes in ea multò esse magis inter se differẽtes, quemadmodum etiam superiùs docuerat: Et incipit à narratione historica, in Europa esse gentem, quæ Scythica est. Ex quibus primis verbis, quamuis non videatur velle Scythicam omnẽ gentem esse Europæam; nihilominus cùm iam post epilogum de Asia factum aggrediatur tractationẽ de Europa, in eaque Scythicum omne genus hominum constituat, certum est totam hãc gentem Europæam facere, nõ hãc modò, in qua sunt Amazones, de quibus mox agemus; quæ sunt circa paludem Mæotidem, sed etiam magis Orientales, qui circa Caspium mare, & infra, extra Imauum montẽ sunt constituti: quos tamẽ constat vel in Geographia initiatis Asiaticos omnes esse, cùm à dextra Tanais fluminis, & Mæotidis paludis Orientem versus sint constituti. Quod nobis faceret difficultatem, nisi diuerso modo docuissemus, Hippocratẽ orbem hunc terrarum diuisisse, quàm antiqui Philosophi, & Geographi. Nam licet, quę in prima hac parte ab Hippocrate dicuntur, cũ de Sauromatis, qui idem sunt cum Sarmatis, loquitur, possent hoc modo ad cæterorum concordiam duci, q; Sarmatia etiam à Strabone & Ptolom. duplex constituatur, Europęa vna, Asiatica altera, & q; quę de Scythis dicuntur, in quibus sunt Amazones, ad Europæã pertineãt. Attamen quæ sequuntur de reliquis omnibus Scythis, nullo modo de Europæis intelligi possunt, cùm iam omnium Scytharum naturam & tractationem persequatur, tanquam Europæorum, secundùm suam diuisionem, cùm alioqui certum sit, diuiso orbe, vt fit à Geographis communiter, Asiaticos omnes esse, cùm vltra Tanaim fluuium, & Męotidem paludem Orientem versus habitent: quod vel ex magna illa planitie Nomadum Scytharũ inferiùs descripta constabit, quam ostendemus inferiùs eandem esse cum ea, quam aliquando descripsit Strabo, quæ tamen in Asia omnino constituitur. Quinimò ne Amazones quidem ita Europææ dici possunt, quòd citra Tanaim fluuium, & Mæotidem paludem habitent, Occidentem versus. Constat enĩ vel ex historiis omnibus, eas Asiaticas primùm fuisse, & Cappadoces, mox verò etiam Asiaticas, sed magis versus Septentrionem, versus superiores partes Mæotidis paludis, sed vltra Tanaim. Constat igitur, nisi terrarũ orbem eo modo in Asiam & Europam vniuersum diuiserimus, impossibile esse Hippocratem intelligere; quomodo gentem omnino Asiaticam, hoc loco Europæam constituat: si enim dixerimus, quemadmodum iam docuimus, Hippocratem longitudinem totam terræ non per oppositos polos ducta linea à parte versus Arcticum Polum, infrà p Tanaim, & Mæotidem paludem diuidere, vt cæteri faciũt, ita vt quæ pars sinistra est, & Occidentem respicit, sit Europæ tribuenda; quæ verò dextra versus Orientem, Asiæ, cuiuscunque tandem sint latitudinis, siue borealis, siue australis; sed posita Mæotide palude tanquam media, & ducta linea per circinum ab Oriente ad Occidentem, totam terram in duas partes diuidit, quicquid versus Arcticum polum supra lineam continetur, Europæ tribuens: quicquid verò infrà versus Austrum, Asiæ, quo stante, cùm tota Scythia supra lineam illam ductam contineatur versus Boream, siue sit, quæ Sarmatiæ peculiaris est, siue alia magis Orientalis, infra, & extra Imauum, semper sub Europa continebitur. Sed hæc superius sunt longiori oratione explicata. Constat igitur facta hoc modo, eius terræ, quæ habitata apud antiquos censebatur, diuisione, facilè Scythiam omnẽ sub Europa contineri. Reliquũ est, vt ad eas gentes, quas primo loco in Europa describit, veniamus. Cùm verò hic constet, de Amazonibus sermonẽ haberi, & priùs quidem historicum, cùm multa videã, & penè fabulosa apud historicos, & poëtas de iis scribi, quæ fortasse etiã verioribus falsitatis suspicionem iniiciunt, operæpretiũ esse duxi, ea in medium proponere, quæ à variis, & magni quidẽ nominis scriptoribus dicunt de Amazonib᷒, vt ex iis inuicẽ collatis, tandẽ quid in tanta rerum varietate, maximè ab antiquitate rei pmanante dicendum sit, possimus statuere; maximè cùm scriptorem exponamus mẽtiri nunquam solitum: ex quo etiam constabit, quid verum de

iis,

iis, quidq; fabulosum à nobis statui debeat. De *Sauromatis verò ita memoratur: Cùm Græci præliati sunt cum Amazonibus, feruntur post victoriam prælij ad Thermodontem facti, abijsse, portantes tribus in nauibus quascunque potuerant ex Amazonibus viuas capere: quibus illæ in pelago insidiatæ, cunctos trucidauêre. Sed cùm naues haberent incognitas, nec gubernaculo, aut velis, aut remis vti scirent, interfectis viris, ferebantur secundùm tempestatem, & ventum: delatæq; sunt ad paludis Mæotidis prærupta, quæ Scytharum liberorum telluris sunt. Ibi è nauibus egressæ Amazones, ad loca habitata iter facientes, quod primùm nactæ sunt equorum armentum, diripiunt, conscenduntq́; : & obequitantes, è Scythis prædas agunt. Scythæ, quid hoc rei esset, conijcere nequibant, cùm neque vocem, neque vestem, neque gentem agnoscerent: admirabundi, vnde venirent, & rati cunctos esse viros eiusdem ætatis. Sed commissa cum illis pugna, potiti sunt quibusdam illarum, ita demum fœminas esse cognouerunt. Itaq; consilio habito, visum est eis nullo pacto posthac quampiam illarum esse occidendam: sed ex se, qui maximè iuuenes essent, ad eas esse mittendos, eodē numero, quo illas esse coniectabant, qui sua prope earum castra haberent, & eadem, quæ illæ, facerent. Si illæ ipsos inuaderent, ne pugnarent, sed subterfugerent: vbi subsisterent illæ, ipsi etiam proximè accedentes castra ponerent. Hoc Scythæ ideò decreuerunt, quòd prolem ex illis suscipere cupiebant. Adolescentes, qui missi sunt, mandata peregerunt. Quos, vbi Amazones intellexerunt, neutiquam ad se lædendas venisse, valere sinebant. Quotidie tamen castra castris propiùs admouebantur. Cæterùm ne ipsi quidem adolescentes quicquam habebant, præter arma, & equos, & eandem vitam, atq; illæ, viuebant, venando, atque prædando. Circa meridiem Amazones solebant aut singulæ, aut binæ separatæ à reliquis ad ventrem leuandum longiùs vagari. Ea re Scythæ cognita, & ipsi idem faciunt. Cùm autem quidam vni Amazoni seorsum à cæteris vaganti corpus iungeret, illa minimè repulit, sed copiam sui fecit: manuq; significauit, cùm voce non posset (neque enim mutuò se intelligebant) vt ad eundem locum postridiè rediret, adducto secum altero, vt duo essent, se quoq; alteram adducturam. Digressus ab ea adolescens, hæc narrat cæteris: posteroq́; die socium secum ducens, ad locum præstò fuit, & reperit Amazonem alteram ipsum expectantem. Eius rei certiores facti reliqui adolescentes, & ipsi in matrimonium sibi cæteras conciliârunt. Post hæc cōmixtis castris pariter habitârunt, eam quisque vxorem, cum qua primùm coierat, habentes. Earum vocem cùm ipsi discere non possent, ipsorū illæ discebant. Et cùm vtrique inter se conuenissent, viri ad Amazones ita dixerunt: Nobis parentes sunt, pariter & facultates: proinde non agamus ampliùs hanc vitam, sed hinc digressi, in hominum frequentia degamus, vbi vos habebimus vxores, nequaquam alias. Ad hæc illæ responderunt: Nos verò non possumus vestris cum fœminis habitare, quibus nō ijdem, qui nobis, sunt mores: nos enim arcu tela excutimus, & iaculamur, & equitamus, muliebria opera nō edoctæ: vestræ fœminæ nihil eorum, quæ recensuimus, sed opera muliebria factitant, desidentes in plaustris, non ad venationem, atq; alia huiusmodi prodeuntes: proinde non possumus illis esse similes. Quòd si vobis cordi est nos habere coniuges, & iusti videri vultis, ite ad parentes vestros, & facultatum sortiti partē, rursus redite, vt deinde seorsum ab illis habitemus. Id approbantes adolescentes, ita fecêre, acceptaq́; facultatum, quæ ipsis contingebat, portione, rursus ad Amazones redierunt. Ad quos illæ: Duo sunt, quæ incolendo hoc loco nos deterrent: vnum, quòd uos parentibus vestris vos priuauimus: alterum, quòd terrā vestram magnoperè vastauimus. Sed quoniam dignamini nos habere vxores, hoc vnà nobiscum agatis. Agedum proficiscamur è regione hac, & Tanai transmisso, illic habitemus. Huic quoque rei obtemperauêre adolescentes. Traiectoq; Tanai, & à Tanai trium dierum Orientem versus, totidemq́; à Mæotide palude, & aquilonem, itinere confecto, peruenerunt ad eum locum, quem nunc incolunt, ibiq́; subsederunt. Ideoq́; prisca consuetudine viuendi fœminæ Sauromatarum vtuntur: nam ad venationem vnà cum viris, & sine viris equis insidentes, & ad prælium proficiscuntur, eandemq́; quam viri, stolam gerunt. Lingua porrò Scythica vtuntur Sauromatæ, iam inde à prisco tempore ea solœcissantes, quòd eam ab initio non probè didicerint Amazones. Quod ad coniugia attinet, ita ab eis est institutū: Nulla virgo nubit, priusquam aliquem hostium interemerit: ideò nonnullæ illarum decedunt iam vetulæ, antequam nubant, quòd legi satisfacere minimè possint, &c.* Hęc Herodotus. Volui autem eius verba apponere, vt, quæ varia de Amazonibus dicuntur, concilientur facilè, cùm duplicem statum, vt dicam inferiùs, Amazonum ponat: Primum eorū, antequam à Græcis vincerētur ad Thermodoonta, quo tempore sine viris Rempubl. gubernabant: Et alterum, post transitum earum in Scythiam, & Sarmatiā, quo tempore, moribus seruatis virilibus, hominib⁹ cohabitabāt; de quibus postremis hoc loco sermonē habebat Hippocrates: Quapropter quæ à Diod. Siculo lib. 2. cap. 11. & lib. 4. cap. 2. de Amazonibus dicūtur, cùm antiquissima tempora tūc expendat, non nisi de iis intelligi possunt, cùm ad Thermodoontem degebant, neque adhuc cum Scythis in matrimonium iunctæ erant: quapropter illius verba de Amazonibus proposita hoc loco prætermittenda esse duxi. De iisdem etiam ante hos mentionem fecit Homerus, cùm Pantasileam in Troiana expeditione cum magna Amazonum copia aduersus Græcos venisse cecinit. Strabo etiam de iis lib. 11. suæ Geograph. versus medium multa de Amazonibus differit, quidq; verisimile de iis dicatur, quid etiam fabulosum censeat, longa oratione proponit, vbi quæ de earum sine viris ciuili administratione, & magnis illis expeditionibus dicuntur, ferè fabulosa censet, secus, quàm quæ de iisdem proponuntur, postquam cum Scythis iunctæ sunt. Trogus etiam Pompeius apud Iustinum lib. 2. Amazonum historiam miro ordine, & summa breuitate prosecutus est, vbi & ortum illius fœmineæ Reipubl. & progressum, tū etiam finem tradidit non omnino diuersum ab eo, quod Diod. Siculus explicauit: quæ tamen dicuntur, parum ad nostrum negotium faciunt, quòd de Amazonum regno loquātur, cùm à viris seiunctæ habitarent. Hippocrates verò, cùm earum regnum esset in fine, & cum Scythis in matri-

monium iunctæ essent. De iis iisdem locutus mihi videtur etiam Dionysius Afer libro de Situ orbis, ita à Prisciano, siue Rhemnio, Latinis versibus è Græcis redditus:

Mæotæ primi tangunt Mæotidis vndas,
Sauromatæq; truces, gens aspera Martis in armis,
Sanguis Amazonidum fortis quos protulit olim:
Sauromatis mixtæ quæ Thermodonte relicto
Ingentes genuêre viros, belloq; potentes,
Innumeras habitant qui syluas gurgite vasto,
Inter quas Tanais Mæotidis intima pulsat
Europen fluuio dirimens Asiamq; reflexo.
Europen Zephyro, ac Asiam sub partibus ortus:
Caucasius exit cuius fons montibus altis
Murmure cum vasto Scythiæ per plana refusus.

Græcus Scholiastes Eustathius in horum carminum explicatione ait Sauromatas ferocis Martis strenuum genus appellâsse Dionysium, vel eò quòd bellicosi sint: vel quòd Amazonibus sint prognati. Amazones autem Martis erant proles. Ait enim illos ex concubitu virilium Amazonidum genitos fuisse, quem olim inter Sauromatas miscuerunt, vagatæ à patria, à Thermodôte in Scythiam. Oberrârunt enim, inquit, Amazones, vel cùm copias in Græciam ducerent, circumeuntes Boreales partes, & per Istrum penetrantes, &c. vel quo tempore Hercules illas ex Asia fugauerat, copias contra illas ducens, propter Hippolytę cingulum. Mox refert Amazonum historiam ex Herodoto, quam & nos superiùs descripsimus. Inferiùs præterea cùm Ephesi historiam à Dionysio positam explicat, quam ab Amazonibus ædificatam dixerat, de Amazonibus hæc scribit: Cæterùm Amazones muliebris est gens iuxta Thermodontẽ: vnde à matribus genus deducebât, Arriano teste. Vocabantur etiam olim Sauromatides, eò q olim in Sauromatica Scythia habitassent, vt paulò antè diximus, cùm de Sauromatis loqueremur. Vel quasi Sauropatides, eò quòd lacertis vescerentur: talibus enim vescebantur carnibus. Vnde & Amazones vocatæ fuerunt, vt quidam volunt, nõ solùm quòd vnam tantùm mammam haberent (à iuuentute enim exurebant dextram mammam, ne impedimẽto esset in iaculando) sed eò etiam, quòd carnibus ferinis educarentur. Hæc Scholiastes Græcus Dionysij Alexandrini. De Amazonibus etiam plena sunt Poëtarum tum Græcorum, tũ Latinorum scripta, quibus fit, vt illud proculdubiò statuendum sit, & tanquã verissimum supponendum, Amazones aliquando & alicubi fuisse. Alterum: quòd quæ de illis scribuntur, quòd omnino sine viris fuerint, & si qui masculi ex promiscua illa commixtione semel in anno cum vicinis facta orirentur, interficerẽtur, aut ad patres remitterẽtur, aut cruribus, aut brachiis debilitatis in muliebres vsus reseruarentur, si modò fabulosa non sunt, intelligi hæc nõ posse de iis, de quibus hoc loco Hippoc. mentionem facit, sed de iis potiùs, antequam à primis sedibus circa flumen Thermodonta ad Scythicas partes transmigrarẽt: & de illo statu verificantur, quæ & à Diod. Siculo, & Trogo Pompeio de illis scribuntur, & quæ à Plutarcho in Pompeij vita, vbi Amazonas scribit in montibus habitâsse, qui fluuio Thermodonti imminẽt. Verùm qualis earũ esset Respubl. qui viuendi modus, qui prolem producendi, quæ earum bella, quæ sedes, earundemque mutandi causæ: an denique verum sit, ita Amazonicum genus sine viris fuisse, & per longum tempus, & quàm plurima bella gessisse, maximamque Asiæ partem imperio suo adiecisse, quod video à Strabone Philosopho Peripatetico præstantissimo non sine causa falsum iudicatum, non esse crediderim præsentis considerationis, in qua solùm de Amazonibus tractatur in gratiam eorum, quæ hoc loco ab Hippoc. de hoc genere mulierum proposita sunt, qui nõ sine viris eas fuisse docuit. Ad præsens igitur nostrum negotium attinet, Amazones sic dictas, quia altera mamma carerent: Sauromatas, quòd populis illis Scythici generis iunctæ matrimonio eam regionem habitandam susceperint, quæ Sauromatia dicebatur, quemadmodũ optimè nobis tradidit Herodotus lib. 4. non solas sine viris fuisse, non eas administrâsse Regnum, aut Respubl. sed viros; bella autem simul quidem cum iis mulieribus esse administrata. Eas vltra Tanaim in ea parte terræ, quæ, diuisa terra, vt fit communiter à Philosophis, & Geographis, Asia dicitur: à nobis autem, & Hippoc. qui diuerso modo secamus terrarum orbem, Europa appellatur, optimè constitui. Quò fit etiam, vt malè expositores hoc loco censuerint, eas, de quibus hoc loco mentionem facit Hippoc. easdem esse cum illis, de quibus cæteri scriptores, Diodorus Siculus, Iustinus, & cæteri. Quòd si quis dixerit, Alexandri Magni tempore Amazonum reginã Thelestriam, aut aliam quouis nomine insignitam, à Thermodôte flumine ad eum prolis causa venisse, qui tamen post Herodotum & Hippocratem vixit. Illi ego respondebo, Strabonem, & Plutarchum in Alexandro fabulam credidisse. Aut etiã, si id concedamus, nobis non aduersari, qui non negamus, post etiam cladem illam à Græcis acceptam, Thesei, & Herculis tempore, præter illas, quæ deuictæ fuêre, & viuæ comprehensæ, quæq; facinus illud perpetrârunt, dum Græcos in nauibus victores ad vnum interemerũt, multas etiam circa Thermodontem, & in Themiscyra relictas esse, quamuis multũ debilitatas, ex quibus Regina tempore Alexandri illud effecerit, ex quo genere etiam ante Alexandrum tempore Homeri Pantasileam fuisse credendum est. Quid præterea prohibet, Reginam aliquam viduam, aut etiam virginem in Sauromatis tempore Alexandri Magni id præstitisse? neque tamen verùm erit, Amazones illas sine viris fuisse. Scio Diod. Siculum lib. 3. cap. 2. Amazonum multò antiquio-

antiquiorum mentionem fecisse, quæ in Libya degerent, aut in extrema parte Libyæ Occidentem versus, aut meliùs, in Insula Hesperia vocata, ad Occidentem posita, quibus etiam ea omnia tribuit, quæ cæteris Asiaticis, de quibus hactenus facta est mentio: quæ, nisi fabulosa sint, fortassè iis Amazonibus côuenire possent, quæ tempore nostro in Peruana maxima quarta terræ parte, Vesputij Florentini Cosmographi, ac nauium gubernatoris solertissimi diligétia primùm reperta, inueniri traduntur in altera maximi omnium fluminis Maragnoni ripa. Hanc enim maximam insulam Hesperiam, quã eandem cum Athlantide Platonis facilè aliquis suspicari posset, aliquando cognitam, & eam fortasse fuisse, ad quã Salomonis naues esse transmissas singulis quatuor annis scriptum inuenimus apud sacras Literas, & hanc eandem esse terræ maximam illam partem, ad Occidentem magis positam, quasi bipartitam, quarum nobilior pars Perû nomine insignitur, aliquando in magna doctissimorum virorû corona ab Illustriss. & Reuerendiss. Domino meo Francisco Panigarola, nunc dignissimo Astensi Episcopo, probatum memini, cum ex adeò longa nauigatione, in qua cùm tantum temporis insumeretur, vix credirum est aut ad Zofalam, aut ad Auream Chersonesum, aut ad Sumatram insulam nauigâsse, maximè cùm tantam vim argenti in iis minimè reperiri, q nostro hoc seculo ad eas regiones nauigârunt, asserant. Verisimilius igitur fuit Malacha, & Sumatra insula prænauigata, tum & sinu magno, & Sinarum regione prætergressa, periculosa illa, & longissima nauigatione per mare, quod *del Sur* dicut, tandem ad Peruanas maximas prouincias applicuisse: Quod etiam ex denominatione plurali 2. Paralipomenôn, cap. 8. colligebat, vbi Peruaim eæ regiones appellãtur, quæ cum Peruanis nostris regionibus nomine quàm maximè conueniunt, & cum forma earundem, quæ duabus maximè partibus continentur, angustissimo illo terræ tractu, qui Darié angustiarum nomine insignitur, solummodò coniunctæ. Postremò, qđ maximè id persuadere poterat, erat argumentum ex lignis Tyriis, quibus infectores vel maximè ad tingendas res vtuntur, quę non alia ferè esse poterant, quàm Brasilium dictum: at verò id in nulla, quod memoriæ proditum sit, alia prouincia inueniri constat. His igitur fiebat verisimile, maximam hanc terræ partem, antiquo etiam tempore, maximè sapientissimo omnium hominum, cui naturalium omnium secreta à Deo immediatè infusa erant, Salomoni fuisse cognitam: mox verò tum quòd nimis immensa nauigatione deterrerentur homines ob magna pericula, tum quòd dispendij plena esset, tum potissimùm quòd Regnû Israël paulatim ab antiqua illa magnitudine decideret, omissam, & propterea à memoria hominum excisam fuisse credendû est: relicta verò est fortasse aliqua illius vmbratilis memoria apud Sacerdotes Ægyptios, quorum munus erat omnia, quæ memoratu digna erant, monumentis exarare: à quibus postea edoctus Plato, suam Athlantidem somniauit. Sed hæc sint solùm ex coniecturis desumpta iudicia, & obiter etiã hoc loco à nobis proposita. Reliquum est, vt si qua adsit difficultas in verbis Hippocratis intelligendis, à nobis explicetur. Hac autem in re minimum nobis relinquitur negotij, tum quòd Hippocratis verba p se sunt manifesta, tum quòd ex Herodoti historia faciliora redduntur. Si quid autem erit, quod aliquam difficultatem inuehat, explicemus. Inter hæc autem illa sunt verba: [*Neque priùs viris cohabitant, quàm sacra ex lege fecerint.*] Quæ sacra hæc fuerint, quibusque Diis, & qua ratione, colligi potest ex Diod. Siculi verbis lib. 2. Rerum antiq. cap. 11. cùm dicit filiam primæ Reginæ matrem etiam superâsse, & sacra Marti, & Dianæ instituisse, quæ Tauropolium appellata dixit. Fortasse Dianæ, ob seruatam virginitatem, & Marti, ob robur bellicum demonstratum in hostibus tribus priùs cæsis, quàm ad matrimonium admitteretur.

[*Dexteram autem mammam non habent: nam puellis adhuc infantibus, &c.*] In hoc omnes conuenerût, Amazones tam ante eorû transmigrationem, q postquam Scythis iunctæ in eam partem Scythiæ conuenerunt, quæ Sarmatiam attingit Asiaticam, mamma dextra caruisse. Quãuis, quas tempore nostro in Marhytina insula reperiri scribit Petrus Martyr Mediolanensis in Epistola ad Cardinalem Bembum, tum & quas repertas iam diximus ex Ferdinãdi Ouiedi historia, circa ripas maximi fluminis Maragnoni in Peruana prouincia, tû & eas, de quibus Ferdinandus Cortesius in Guallacholico prouincia, & in Liquatan prouinciæ insula mentionem facit, minimè mammis carere, vno consensu omnes consentiunt. Posse autem mammas absumi igne citra insigne mortis periculum, maximè si id fiat, antequàm puellæ adolescant, iis, qui in Medica arte sunt exercitati, facilè constabit. Siquidem ad mammas venæ satis magnæ, & multæ perueniunt: quò fit, vt quantò magis per ætatem latæ factæ sint, tantò cum maiori periculo operationes huiusmodi exerceantur: nerui tamen admodum pauci, & illi quidem parui pertinent, quemadmodum & arteriæ, maximè in puellulis: vt docet Vesalius lib. 5. cap. 68. vbi etiam docet multas in adultis esse carnes glandulosas, sed in puellis paucas: è regione tamen papillæ est glans satis magna, in cuius ambitu sunt aliæ multò minores, & neruus ex septimo pari spinalis medullę minor in interuallo quartæ costæ. Hinc fit, vt tanta operatio nô fiat sine incommodo, ablatis tot glandibus, neruis, venis, arteriis, amplum etiam spatium occupantibus: quia tamen hon sunt membra vitæ necessaria, neruíque, & vasa non satis magna, & omnia externa, nec adsint musculi, locusque

abundet carne, neque sitè regione membri alicuius principis, propterea vacare quasi omni periculo hanc operationem, maximè hac ætate factam, affirmare possumus. Verùm quanam ætate magis? Crediderunt aliqui melius esse in septimo, aut octauo anno: q, & vires sint validiores, & minùs immineat periculum conuulsionis. At verò Hipp. manifestè docet, id factum in infantia, cùm dicit; Puellulis, dum infantes adhuc sunt, &c. Præterea ratio etiā ostendit, à magnitudine mēbri desumpta: quò enī citiùs fiet, tutiùs etiā fiet, tum q, minor quantitas materiæ auferenda, tū q, & venæ, & arteriæ, & nerui, tum & glandulæ quantitate minores cùm tunc sint, & minorem sanguinis effusionem facient, & minùs conuulsionem excitabūt, quòd ob mollitiem neruorum difficile sit retractionem fieri. Robore autem virtutis tum maximè opus est, vbi magna parāda est operatio, in paruis verò omnino parua est molienda. Et præterea cùm vires potissimùm considerentur ratione euacuationis, hęc cùm igne fiat, citra multam sanguinis effusionē esse opotter. Dixit autem ære ignito incisionem, & exustionem fieri solitam, non quòd ferro careret, sed quòd doceat Aristoteles, vulnera ex ære facta citiùs sanari, ob naturalem exsiccandi facultatem.

Vt eius incrementum impediatur.] Hæc fortasse est ea causa, quam communiret historici, de quibus superiùs mentionem fecimus, tradiderūt, cur dextra mamma abscinderetur, adureretùrue, ne sagittandi facultati, & brachio in bellando impedimento esset.

In dextrum autem humerum, & brachium, vis omnis, & robur defertur.] Est naturalis ratio ex fontibus naturalis Philosophiæ deprompta, cùm superior ex arte penderet. Dicit igitur, exusta ea parte, robur, & fortitudinem addi brachio, & humero dextro. Alimentum enī, quod ad dextram mammā attrahi deberet, à vicinis quidem partibus attrahitur, at vbi partē illam iam exsiccatam, & consumptam reperiat, atque callosam, ad loca vicina, pura humerū, & brachium dextrum, vel retrocedit, aut attrahitur potiùs; magisque partes illas alit, ac confirmat. Quin qui spiritus ad operationes edendas à natura partibus transmittuntur, cùm iis partibus exustis nō fiont ex vsu, adiacētibus, & vicinis impertiti, validiores partes, ac robustiores redduot.

XXXI.

Περὶ δὲ τῶν λοιπῶν Σκυθέων τῆς μορφῆς, ὅτι αὐτοὶ αὐτοῖσιν ἐοίκασι, καὶ οὐδαμῶς ἄλλοις, ωὑτὸς λόγος καὶ περὶ τῶν Αἰγυπτίων, πλὴν ὅτι οἱ μὲν ὑπὸ τοῦ θερμοῦ εἰσὶ βεβιασμένοι, οἱ δ' ὑπὸ τοῦ ψυχροῦ.

De reliquorum autem Scytharum forma, quòd ipsi sibiipsis similes sunt, & nullatenus alys: Eadem etiam est ratio de Aegyptys, præterquàm quòd y quidem à calido violantur, illi verò à frigore.

Cùm de Europæis sermonem instituisset, ea ratione Europa intellecta, quemadmodum sæpiùs ex Hippoc. sententia intelligendum docuimus, primò de iis egit, q versus Mæotidem paludem, & Tanaim habitant, quos Sauromatas appellari dixit, eosque, & inter se similes esse, & à reliquis omnibus nō modò alienis gentibus diuersos ostendit, sed etiā à reliquis omnibus Scythis, de quibus iam tractationem instituit. Per reliquos verò Scythas, eos omnes intelligit, tum qui Septentrionales magis sunt Sauromatis, in quibus continetur Russia & Moschouia Asiatica, sed etiā qui supra rectam illā lineam per mediam paludem Mæotidem dūctam habitantes Orientem versos, infinitū propè terrarum spatium vsq; ad Seres, & Sinarum prouinciam occupant: quod etiam spatium in duas partes per Imauum montem diuidentes, Scythas etiam alios vltra Imauum, alios citra esse dixerūt. De iis, ne in immensum nostra excrescat tractatio, néve terminos commētationum excessisse videamur, non erit longiori oratione à nobis tractandum. Verùm erunt consulendi ex antiquis Herodotus, Strabo, Iustinus, Plinius, Solinus, & ex recentioribus Antonius Marius Niger, potissimùm autem Mathias à Michoū de vtraque Sarmatia, & Sigismundus Liber Baro ab Heberstain, qui longa oratione, & historicè, & tanquam Cosmographi, de iis egetunt. Inquit igitur reliquos Scythas, q sua ætate cogniti erant (neq; enim credo suo tempore amplissima illa Regnā, & ciuitates magni Tartarorum Regis, siue Scytharum supremi, ac maximi Imperatoris, ac domini Cham dicti, cognitas fuisse) inter se similes fuisse, ab aliis forma differentes. Quod quomodo verum sit, inferiùs longa oratione, dū eorū formas, mores, viuēdi genus describit, nobis fiet manifestum.

Eadem etiam est ratio de Aegyptys.] Videtur quasi extra propositum, quod hoc loco de Ægyptiis proponit. Sed si consideremus, quod ab initio dictum est, diuisum esse orbem ab Hippocrate in duas partes, in quarū altera prædominatur omnino calor, quam Asiam appellauit; quamuis, vt dicebamus, ne hæc quidem vniformis esset per omnem partem, in altera frigus, quam Europam dixit: Et quemadmodum primo loco de extremis partibus calidis, quæ tempore suo cognitæ essent, egerat, in quibus calor maximè excedens quasi adurebat, inter quas Ægyptum, & Libyam posuerat potissimùm; ita primo loco in Europa de iis agit regionibus, & populis, qui cogniti erant suo tempore, qui extremam partem, & frigidiorē Europę incolebant, quales sunt Scythę. Hos igitur ob parum variatam aëris, & locorum intemperiem sibi in formis similes constituit: ab aliis autem omnino diuersos; non secus, ac Ægyptios, & Libes in opposita parte, in qua ob perpetuum calorem sibi semper ferè similes, ab aliis verò dissimiles omnino forma producūtur. Obseruandum autem

tem est, hic p Ægyptios, non verè Ægyptũ incolentes, intelligere, q ea pars non adeò calore æstuet: sed dicebat Plato, neq; nobiũm tempestatem nimiam, neq; ingẽs incendium ibi contingere, q vel vbertas soli, vel ipsorum animaotium, & hominũ fœcunditas ostendit: q quamuis bona ex parte vi Nili p vniuersum singulis annis affluxũ referri posset, cùm tñ etiam, vbi ingens adeò, & perpetuus calor viget, aduruntur sata, dicendum est, non adeò excedentẽ esse in ea propriè dicta prouincia calorem. Verùm p Ægyptum, extremã illam Ægypti, & Libyę partem versus Austrum, & Æthiopiam, vbi nimio æstu nigrescunt, & torrentur homines, intelligit. Comparat igitur in hoc eos cum Scythis, q ab ingenti frigore albescunt, læduntur, & torpent. Non secus igitur Scythæ ob temporũ constantiam, & aëris similem ferè tenorẽ sibi ipsis ferè omnes similes euadunt, & à cæteris distinguuntur, atq; faciant Ægyptij, q & ipsi ob temporũ constantiam, & aëris perpetuũ calorẽ sibi ipsis in formis similes ferè sunt omnes, à cæteris verò distinguuntur. Rem hãc manifestis admodum verbis nobis ostendit Strabo longa oratione Homerum defendẽs aduersus Hipparchum, & Eratosthenem, & alios: vbi docet, q apud antiquos non omnino notę essent regiones eæ, quæ versus Septentrionem sunt, quamuis scirent multas esse, cùm tñ earum non omnino absolutam haberent cognitionem, appellasse Scythas, aut Nomades. Quæ verò sunt in opposito versus Austrum, cùm terra ea longè, lateq; extendatur, neq; omnino cognita esset, Libya, Æthiopiáve, dicta est ex Ephori sententia: quin & aliquando Ægyptios dictos scribit ob vicinitatẽ: post Ægyptũ Æthiopia, inquit, sequitur versus Austrum, longè lateq; diffusa.

XXXII.

Ἡ δὲ Σκυθέων ἐρημίη καλευμένη πεδιάς ἐστι, καὶ λειμακώδης, καὶ ψιλὴ, καὶ ἔνυδρος μετρίως. ποταμοὶ γάρ εἰσι μεγάλοι, οἳ ἐξοχετεύουσι τὸ ὕδωρ ἐκ τῶν πεδίων. ἐνταῦθα καὶ οἱ Σκύθαι διαιτεῦνται, Νομάδες δὲ καλεῦνται, ὅτι οὐκ ἔστιν οἰκήματα, ἀλλ' ἐν ἁμάξαις οἰκεῦσιν. αἱ δὲ ἅμαξαί εἰσιν, αἱ μὲν ἐλάχισται, τετράκυκλοι, αἱ δὲ ἑξάκυκλοι. αὗται δὲ πίλοις περιπεφραγμέναι. εἰσὶ δὲ καὶ τετεχνασμέναι, ὥσπερ οἰκήματα, τὰ μὲν ἁπλᾶ, τὰ δὲ τριπλᾶ. ταῦτα δὲ καὶ στεγνὰ πρὸς ὕδωρ, καὶ πρὸς χιόνα, καὶ πρὸς τὰ πνεύματα. τὰς δὲ ἁμάξας ἕλκουσι ζεύγεα, τὰς μὲν δύο, τὰς δὲ τρία βοῶν κέρως ἄτερ· οὐ γὰρ ἔχουσι κέρατα ὑπὸ ψύχεος. ἐν ταύταις μὲν οὖν τῇσιν ἁμάξαις, γυναῖκες διαιτεῦνται. αὐτοὶ δ' ἐφ' ἵππων ὀχεῦνται οἱ ἄνδρες. ἕπονται δὲ αὐτοῖς καὶ τὰ πρόβατα ἐόντα, καὶ αἱ βόες, καὶ οἱ ἵπποι. μένουσι δ' ἐν τῷ αὐτέῳ τοσοῦτον χρόνον, ὅσον ἂν ἀποχρέῃ αὐτέοισιν τοῖς κτήνεσιν ὁ χόρτος. ὁκόταν δὲ μηκέτι, ἐς ἑτέρην χώρην ἔρχονται. αὐτοὶ δ' ἐσθίουσι κρέα ἑφθὰ, καὶ πίνουσι γάλα ἵππων, καὶ ἱππάκην τρώγουσιν, τοῦτο δ' ἐστὶ τυρὸς ἵππων.

Cæterum solitudo, quæ Scythica dicitur, planities est pratis abundans, & nuda, & moderatè aquosa. Sunt enim in ea magni fluuij, qui deriuãt aquã ex campis. In hac itaque Scythæ degunt. Nomades verò dicuntur, q nulla ipsis sint domus, sed in curribus habitãt. Hi aũt currus minimi quidem sunt quatuor, alij autẽ sex rotarũ. Ipsi autem luto circũuestiti, & instar domorũ sunt fabrefacti, alij quidẽ simplici, alij verò etiã triplici tabulato. Quapropter etiã sunt benè obstructi aduersus aquã, niues, & ventos. Currus verò iumẽta trahunt, alios quidẽ duo, alios tria boũ paria sine cornibus: cũ præ frigore non habeãt cornua. In iis quidem curribus degunt fœminæ: in equis autẽ vehuntur viri: illos quidẽ sequuntur & oues, quas possident, & boues, & equi. In eo autẽ loco tanto tempore manent, quanto ipsis pabulum sufficit. Vbi verò deficiat, in alterã regionem proficiscuntur. Vescuntur aũt ipsi carnibus coctis, & bibũt lac equinũ: comedũt etiã hippacẽ: est verò is caseus equin⁹.

Cùm hoc loco de Scythis in vniuersum tractationem instituat, maximamq; illorũ solitudinem describat, tũ & eius viuendi rationẽ, & instituta, nõ modò verisimile est, sed necessariũ, hic eum Scythas describere, non qui vniuersali quodã nomine ita dicuntur, cũ Scytharum nomen etiã Germanis omnibus commune factũ aliquando doceat Strabo lib. 11. suæ Geograph. neq; etiam hic Scythas describere, qui nõ verè Scythæ sunt, sed Scytharum coloniæ, sed alios potiùs, q longè, lateq; maximum terrarum spatium habitantes à Tanai flumine ad Seres vsq; Orientẽ versus extenduntur, & Septentrionalẽ mari p latitudinem ferè vsque ad lineam p Caspium mare ductam pertingunt: Imauo monte in duas partes distincti. Imperfectus eñ omnino dicendus esset, q cùm de Scythis tractationẽ instituisset, gente tota omissa, ramum illorũ, &c, vt ita dicã, solùm coloniã transegisset. De omnibus igitur Scythis agit, neq; eos distinguit in Europæos, & Asianos, vt Cosmographi, & historici omnes fecerunt, q mundi diuisionẽ eo, quo diximus, modo faciens, eos omnes Europæos constituit, q frigidiorem plagã incolerẽt, & supra lineã illam ductam omnes habitarent. Neq; est, q quispiam obiiciat, Strabonem lib. 1. mentionẽ fecisse solitudinis Scythicæ, quę Europæa omniuo est citra Tanaim, & versus Istrũ flumen: nám nõ negauerim dari etiã huiusmodi solitudinẽ; negarem tamen hanc, quam hic describit Hippoc. esse illam: cùm potiùs lib. 11. in Asiæ descriptione de Scythis tractationem instituens, solitudinem proponit Scythicam versus Hyrcanum mare, in qua Nomades Scythæ habitant; qui, inquit, nostro tempore Daæ & cognomento Parni dicuntur, vbi, inquit, est solitudo, pòst sequitur Hyrcania: & superiùs dixerat, Scythas ad Tanaim esse versus Orientem, qui vsq; ad mare Orientale, id est, longitudine, & ad Indiam, id est, in latitudine porriguntur. Sunt igitur Scythę Nomades potissimùm ij, qui, diuiso orbe, vt fit communiter, Asiæ maximam partẽ incolunt à Tanai ad Seres vsque: quòd genus hominũ, vita q; institutum,

hactenus etiam in ea orbis parte, & habitari, & seruari constat ex iis, qui eorum locorũ & historias & itineraria conscripserunt: inter quos primum locum obtinet M. Paulus Venetus, & Mathias à Michoũ Sarmata. Magnam igitur hanc Nomadum solitudinem describens, & illius incolas Scythas, ita loquitur: [*Cæterùm solitudo, quæ Scythica dicitur, planities est, pratis abundans.*] non q; in Scythia non sint montes, sed q; pars hæc maximè plana sit, in qua Nomades habitent. Dixit autẽ pratis abundans, ne quis existimasset, q; cùm ἐρημίαν dixisset, verum desertum & solitudinem nõ incultam modò, & satis destitutam, sed & pabulis, quales multæ reperiuntur in Aphrica solitudines, intellexisset.

Et nuda.] Græcus contextus impressus Basileæ, & Aldinus, tũ & Zuingerus habet ψιλὰ, qđ est nude. Cornarius autem videtur legisse ὑψηλὰ, quam etiam lectionem habent manuscripti, quod est, sublimis. Fortasse quia absurdum videbatur, aliquid nudum dici, & pratis abundãs. Verùm hæc lectio ea ratione nõ mihi satis probatur, q; soleãt prata nõ omnino sublimia esse, cùm non possent commodè aqua irrigari. Præterea videtur quasi repugnare naturæ planitiei esse sublimem. Retinenda igitur est communis lectio. Solent autem Græci scriptores, cùm nomine hoc ψιλὰ vtuntur, applicantes terræ, aliquando addere genitiuum, vt apud Herodotum, ψιλὸς δενδρέων, arboribus nudus dicitur. Aliquando etiam, & sæpiùs subauditur, vt cùm dicunt γῆ ψιλῆ, ψιλὴ γεωργία, scilicet δενδρέων καὶ φυτῶν, nude arboribus, & plantis. Sic Homer. Iliad. 1. & Aristotel. 1. Polit. cap. 7. ψιλὴ γεωργία, cultura agri nudi arboribus, plantisque, & segete. Cui opponit ibidem τὴν πεφυτευμένην γεωργίαν, id est, culturam agri plantis consiti. Hoc igitur modo planitiem hãc nudam appellat, id est, sine plantis. Confirmauit hoc in Melpomene Herodotus, vbi planitiem hanc Scytharum Nomadum auroram versus esse ad Gherrum flumen, quem tractum dicit esse itineris 14. dierum, dicitque totam illam plagam nudam esse arboribus.

Et mediocriter aquosa: sũt enim in ea magni fluuij, etc.] Quòd quàm pluribus fluminibus irrigetur ea omnis regio, vt etiam docet Aristoteles lib. 2. Meteorolog. aquosa plus quàm oporteret, necessariò esset. Verùm cùm etiam ibidem doceat aliquo modo sublimem dici posse, vt inferiùs docebimus, facilè aqua diffusa per prata, ad alios fluuios, & riuos corriuabitur. Docet postmodùm, qui Scythæ in ea regione habitent, & quomodo dicantur, quaque victus ratione, & quib[9] institutis vtantur, quæ omnia, quoniam ipse adeò manifesta & fusa oratione prosequitur, superfluum esse duxi, longiori oratione explicare. Vnum tamen annotat Scholiastes Dionysij, quod ad hunc locum maximè facit: nempe qua ratione Scythæ ij vagentur, nec agros colant, sed carnibus, & equino caseo, pro cibo vtantur, & pro potu lacte equino. Causam autem ex Arriani verbis deprompsit. Cùm olim frumentum colligerent, & terram colerent, domos inhabitarent, & ciuitates occuparẽt, postquàm à Thracibus plagam accepissent, mores mutârunt, & iureiurando affirmârunt, se nunquàm domos ædificaturos, neque terram aratro fissuros, neque ciuitates condituros, neque thesauros reconditnros; sed pro domibus habitaturos currus, pro cibis carnes ferinas, pro potu, & alimento lac, solumq; possessuros armenta. Duo solùm reliqua sunt notatu digna circa ea, quæ Hippoc. hoc loco dicit. Primum circa id, quod de bobus cornibus carentibus in Scythia dixit, & de causa, nempe ob ingens frigus. Alterũ vt aliquid de Hippace, caseo equino dicamus. In primo enĩ aliquibus difficultatem faciũt, quę & à Sigismundo in sua Moschonia, & ab Olao Magno lib. 17. cap. 4. de Scythis dicuntur: boues enim in Scythia cornua habere tanquam oculati testes affirmârunt. Ratio verò, quę ab Hippoc. allata est, nullius videtur momenti, q; cornua frigore potiùs extremo concrescant, & augeri videantur: Si vera sunt, quę Aristoteles cap. 4. lib. 2. de Genet. animal. proposuit. Præterea in Laponia, & Finlandia, quæ regiones sunt aut Scythia frigidiores, aut saltem æquè frigidæ, Rangiferi reperiuntur, qui & maiora habent cornua, & multò etiam solidiora. Præferenda tamen est Hippoc. sententia, q nunquam mentiri solitus est, maximè cùm etiam contemporaneus eius Herodotus eandem & ipse habuerit in Melpomene sententiam, nempe apud Nomades Scythas boues esse sine cornibus ob frigus. Verba Herodoti Latinè facta sic sonant: Et hæc quidem causa mihi videtur, cur omnino cornua bouino generi nõ succrescant, adstipulante sententiæ meæ Homeri carmine in Odyss.

Et Libyen vbi sunt cornuti protinus agni.

Quod rectè dictũ est, in calidis locis maturè cornua existere: At in vehementibus frigoribus, aut nõ oriuntur statim pecoribus cornua, aut si oriuntur, vix oriuntur. Ælianus etiã Græcus scriptor, & grauis, in animaliũ historia multę auctoritatis, lib. 4. cap. 24. in Nomadib[9] adesse boues aliquos cũ cornibus, aliquos sine, fatetur: licet, inquit, emissa cornua dissipentur postea, quia vim frigoris ferre nequeat pars illa. Sigismundi verò & Olai Magni historia de Europęis potiùs Scythis est, nõ autẽ ad orientaliores Nomades attinet. Argumentũ autem à Rangiferis desumptum, qui in frigidioribus regionibus cũ maximis cornibus conspiciuntur, facilè tollitur ex iis, quæ loco citato nos docuit Herodotus: loci enim proprietatem peculiarem, tum temporum diuersam formam huius rei præter frigus causam esse dicit: Aliam enim, inquit, quàm in cæteris regionibus conditionẽ habet hyems: nam cùm tempus pluendi est, nihil ibi, quod magni sit momenti, pluit. Æstate pluere non cessat. Tonitrua quo tempore sunt alibi, ibi nõ sunt:

sunt: at æstate frequentia existunt. Quòd si A hyeme fiant tonitrua, pro ostento habetur. Terræmotus in Scythia si existat, seu æstate, seu hyeme, tanquàm prodigium admirantur. Eam vim hyemis equi ferunt, muli, asinique ne incipientem quidem ferunt; cùm tamen alibi stantes in gelido equi tabefiant, asini verò, & muli durent. Hioc etiam q in frigidissimis locis Rangiferi cornua ferāt, boues vix admittant, causa colligitur, aeris, temporum, & loci peculiaris facultas. De hippace sic censeo, equi- B num esse caseum. Docuit autem etiam Hipp. modū, quo parabatur, lib. quarto de morbis, si modò Hippoc. liber is est censendus iis verbis: Lac equinum in vasa lignea Scythæ cōcutiunt, illud autem, dum turbatur, spumescit, ac secernitur, & pingue quidem, quod butyrum vocāt, cùm leue sit, in superficie consistit. Graue verò, & crassum deorsum subsidet: quod etiam secretum siccant; vbi verò secretum, & siccatum fuerit, hippacem vocāt. A quo fortasse mutuatum C dicerem Herodotum, nisi æquales ætate fuisse scirem, in principio lib. 4. vbi in eandem gratiam excæcare seruos dicebat: cùm illis solùm vterentur ad butyrum, & caseum conficiendū. Est igitur ἱππάκη familiaris Scytharum cibus; magisque ea illi ratione fit familiaris, quòd eo maximè & fames sedetur, & diutius ob crassitiem durare per illum cibum possunt. Et id est, quod docuit Theoph. nono de hist. plant. cap. 13. de radice Scythica, seu Glycyrrhiza loquēs, D cùm inquit: δύναται δὲ καὶ ταύτῃ [illegible] τὸ δίψος ἀπαλλάττειν [illegible] Σκύθαι [illegible] ἡμέρας διατελεῖν, & hoc est etiam, quod scribit Plin. in fine lib. 11. quędam rursus exiguo gustu famem sedant, conseruantque vires, vt butyrum, hippace, & glycyrrhizon. Verùm lib. 25. cap. 8. demonstrauit se nescire, quid sit hippace, & quod superiùs dixerat hippace, vocat hippice: credidit q; eam esse herbam: cùm enim à Scythis herbam Scythicam inuentam tradi- E disset, eiusque vires exposuisset, subiecit: idem præstat apud eos hippice dicta, quòd in equis etiam eundem effectum faciat: traduntque iis duabus herbis Scythas etiam in duodenos dies durare in fame, sitique. Verisimilius enim multò est, eos caseo isto equino vnà cum glycyrrhiza famem, & sitim tolerare potuisse per duodecim dies, quàm duabus tantùm radicibus; potissimùm cùm nusquam ab antiquis hanc herbam ne nomine quidē cognitam inueniamus. F Videtur tamen Gaza apud Theophrastum loco citato legisse ἱππικῇ, & de radice intellexisse, quippe qui verterit, equestri: aut certè censendum est, quod quidem est verisimilius, Gazam, quòd Plinij nimius esset imitator, cùm ἱππάκῃ apud Theophrastum scriptum iouenisset, credidisse deprauatum fuisse librum, & esse legendum ἱππικῇ, id est, equestri, tanquam si esset adiectiuum. quòd videret Plinium, dum profitetur se ex Theophrasto banc sententiam excipere,

ea dictione vsum esse. Sed video viros eruditissimos, & de arte medica optimè meritos in variis suis lectionibus hac in re securè sensisse, ea ratione, q Theophrast. aliquid miri de Scythis dicere voluisse videatur. Atqui eos duodecim dies ea radice, & caseo equino viuere consueuisse, nullam admirationem habet: quando ferunt, Zoroastrem interdum solo lacte sex menses transegisse: quod de quodam alio narrat Athenæus: imò ipsemet Hipp. atque Herodotus videntur innuisse, plurimam temporis partem solo caseo equino Scythas victitasse. At verò meo iudicio id habet, cuius non parua cuilibet naturalium rerum perscrutatori subeat admiratio, narratio illa Theophrasti, quòd caseo illo equino, & glycyrrhiza in duodecim dies famē & sitim tolerarent: solebant ferinis carnibus, equino caseo, & lacte equino famem, & sitim extinguere: at verò mirādum illud in se continet, quòd non famem modò solo vsu casei equini, & glycyrrhizę per duodecim dies ferrēt, sed etiam sitim, quæ beneficio glycyrrhizæ potissimum ferebatur, quamuis nonnihil etiam nutrimenti dulci illo succo ad famem sedandam cum hippace haberet. Quod autem Zoroastres, & alij solo lactis vsu sex mensium spatio vitam transegerint, nullam habet admirationem, cùm in lacte partes sint multæ ad nutriendum quàm idoneæ, serosa autem pars eiusdem commodè etiam sitim extinguere potest, si modò lacte solo durarunt, sine potus alio genere.

XXXIII.

Τὰ μὲν ἐς τὴν δίαιταν αὐτέων οὕτως ἔχει καὶ τοὺς νόμους, περὶ δὲ τῶν ὡρέων καὶ τῆς μορφῆς ὅτι πολὺ ἀπήλλακται τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων τὸ Σκυθικὸν γένος, καὶ ἔοικεν αὐτὸ ἑωυτῷ, ὥσπερ τὸ Αἰγύπτιον, καὶ ἥκιστα πολύγονόν ἐστιν, καὶ ἡ χώρη ἐλάχιστα θηρία τρέφει κατὰ μέγεθος, καὶ πλῆθος· κεῖται γὰρ ὑπ' αὐταῖς ταῖς ἄρκτοις, καὶ τοῖς ὄρεσι τοῖς Ῥιπαίοισι, ὅθεν ὁ βορέης πνέει. ὅ τε ἥλιος τελευτῶν ἐγγύτατα γίνεται, ὁκόταν ἐπὶ τὰς θερινὰς ἔλθῃ περιόδους. καὶ τότε ὀλίγον χρόνον θερμαίνει, καὶ οὐ σφόδρα τὰ δὲ πνεύματα τὰ ἀπὸ τῶν θερμῶν πνέοντα ἀφικνέεται, ἢν μὴ ὀλιγάκις καὶ ἀσθενέα, ἀλλὰ ἀπὸ τῶν ἄρκτων ἀεὶ πνέουσι πνεύματα ψυχρὰ, ἀπό τε χιόνος, καὶ κρυστάλλων καὶ ὑδάτων πολλῶν. οὐδέποτε δὲ τὰ ὄρεα ἐκλείπει, ἀπὸ τουτέων δὲ δυσοίκητα ἐστίν.

Quæ igitur ad victus rationem attinent, & instituta eorum, sic se habent. Quin & quæ de anni temporibus, & ipsorum forma, quod à reliquis hominibus Scythicum genus admodum sit diuersum, inter se verò simile, quemadmodum etiam genus Aegyptium. Et minimè fœcunda est gens illa. Regio q; ipsa minimas feras enutrit numero, & magnitudine. Etenim sub ipsis Vrsis, & sub Riphæis montibus sita est, vnde Boreas spi-

rat. Solq; finiens proximus fit, quando ad æstiuos circulos peruenit, & tunc paruo tempore calefacit: neque venti, qui à calidis locis flant, valde eò accedunt, nisi rarò & debiles; sed ab Vrsis spirãtes perpetuò venti frigidi à niue, glacie, & multis aquis: hæc enim nunquam mõtes deserunt, vt propterea etiam inhabitabiles sint.

Prosequitur Hipp. Scytharum conditiones tum in vitæ instituto, tum in iis, quæ ad naturalia pertinent. Et quod in prima parte proposuit, ex iis, quæ in superiori commentario dicta sunt, intelligi possunt. Sequitur pòst, & docet, minimè fœcundam esse gẽtem istam: quod etiam nos docuit Plin. lib. 8. cap. 15. paucissima, inquit, animalia gignit Scythia, &c. Sed ipse refert rei huius causam in fructuum inopiam. Nos verò inferiùs veram ab Hipp. propositam causam considerabimus. Est verò, quod difficultatem facit, quòd sciamus numerosissimam esse Tartarorum gentem: quomodo autem hoc fieri posset, si minimè fœcunda? An dicendum est, non numerosissimam esse, sed talem videri, quòd non ita sparsim habitẽt, nec ciuitates, aut loca habitata habeant determinata, sed quasi simul nunc vnam, nunc alteram occupent regionis partem; quæ vnio, & locorum mutatio efficit, vt magis numerosi videantur. Accedit, quòd nulla ibi gens otio, & artibus sedentariis est dedita, sed solùm bellicæ arti; qua ratione efficitur, vt in expeditionibus bellicis adeò numerosa hominum quasi colluuies inde confluat, vniuersa gente vnius regionis in vnum confluente. An potiùs dicendum est, quòd cùm regio illa stata habeat tempora frigida, ventisque borealibus, & satis salubrib. perfletur, qui vendicare solẽt homines à morbis putredinosis, homines illi morbis minùs tententur, minúsque morte immatura è medio tollantur.

Regióq; illa minimas feras enutrit numero, & magnitudine.] Proponit aliam proprietatem regionis Scythicæ, quæ est, quòd nec multas numero alat feras, & eas quidem nec multum magnitudine excedentes. Ratio est vna: quòd in ea regione & magnitudine, & numero feræ exiguæ sint, vbi principium generationis est debile: huiusmodi autem est in Scythia; quia calor naturalis, & cœlestis, quæ duo sunt generationi efficientia principia, debilia sunt: esse autem vtrunque hunc calorem principium generationis, docet Arist. secundo phys. auditionis part. 26. cùm dicit Solem, & hominem generare hominem. Quod verò de homine dixit, etiam de reliquis animantibus verificatur, potissimum feris, quæ magis ambientis iniuriis exponi solent. Debile autem esse vtrunque principium, statim probat, cùm dicit: *Etenim sub ipsis Vrsis, & Ripheis montibus sita est, vnde Boreas spirat.*] hæc ne. s est immediata probatio: ea enimvera erat, q. ea loca nimis frigore algeant. Duplicem postea iis verbis rationem ponit ad probandum perpetuo frigore ferè affligi eas partes. Rationem subticuit. Solẽt enim sæpenumero scriptores, omissa ratione principali, rationẽ ponere, qua probent alteram ex propositionibus. Primam autem causam refert in Riphæos montes, vnde spirat Boreas. Dubitàrunt recentiores de Riphæis montibus, inter quos est Matthias à Michou in sua Sarmatia Asiatica, & Sigismũdus liber Baro in sua Moschouia, & alij in magna Cosmographia: dubitãdi rationẽ sumpserunt tum ex Ptolomæo in septima Europæ tab. in Sarmatiæ Europęæ descriptione, & lib. 5. in tabula Asiaticæ Sarmatiæ, vbi eosdem hyperboreos appellat, eorum enim latitudinem, idest, distantiã ab æquinoctiali circulo ponit partes 63. longitudinem à Fortunatis insulis 57. cum dimidia, ab iis voluit Tanaim, & Volgam Rha dictum oriri. At verò recentiorum obseruationibus, & peregrinationibus constat, in ea distantia à linea æquinoctiali versus Septentrionem, non reperiri montes huiusmodi, neque maxima illa flumina à montibus illis oriri, sed in planitie Moschouiæ. Aucta præterea est dubitandi occasio ex fabulosis illis narrationibus, vel potiùs deliramentis Plin. lib. 4. cap. 22. & Solini cap. 25. quæ in præsentia referre superfluum esse duxi. Occasionẽ autem fabulis illis, quòd adeò sint longæui, felices, Deorum comites, & compotatores, Bothniæ regionis mira illa vbertas, & supra humanam fidem felicitas fortasse dedit. Quæ cùm hoc tempore magna ex parte fabulosa esse sint cognita, iudicarunt etiã falsum esse Riphæos montes reperiri. Ego verò cum illis cõsentio, Rha, & Tanaim non à montibus oriri, sed in planitie; at non dari Riphęos montes, & Hyperboreos, quod hoc loco affirmat Hipp. à quibus spirat Boreas, hoc est, quod falsum esse omnino dixerim. Ptolom. in secunda tabula Asiæ hoc modo disponit, quòd hyperborei magis ad Septentrionem positi tendant ab Oriente ad Occidentem rectà. Riphæi Occidentaliores ab Orientaliori, vt ita dicam, Septentrione ad Occidens Meridiem aliquo modo versus. Hippici quasi æquidistantes hyperboreis, sed longè magis Meridionales. Aequidistãt Ceraunij Riphæis, sed lõgè Orientaliores, vt differre à Cerauniis videantur. Sunt igitur Riphæi, & Hyperborei ij, vnde Boreas oritur, qui etiam in recentiorum tabulis in altitudine poli partium circiter 66. & longitudinis à 70. ad 90. vel eis Occidentaliores mõtes è regione Laponum. Hęc pro tuenda Hipp. sententia. [*Solq; finiens proximus fit, quando ad æstiuos circulos peruenit, & tunc paruo tempore calefacit.*] Demonstrat quidem iis verbis Hipp. non rectè nouisse situm horum montium, & verum eorum locũ. Videtur enim velle Riphæos montes sub ipso syderum cardine iacere, vbi Sol non quotidie, vt nobis, sed primùm verno æquinoctio exortus autumnali demum occidit, & ideo sex mẽsibus dies, & totidem aliis nox semper continua

nua permanet: propterea dicit, Sol finiens, aut desinens proximus illis fit, cùm ad æstiuū Tropicum accedit. Sed quomodo desinentem, aut finientem appellat, qui diu illic maneat, & vigeat? An deficientem dicit, q. apud illos omnino debilis fit; aut finiens, quòd non vltra ad illos, seu propiùs accedit: quasi dicat, in vltimo fine, cùm ad eos peruenit, languidus est; quò fit, vt eos multum excalefacere non possit, quoniā admodum obliquè radios immittit. Nō parua autem hic sese offert difficultas, quòd ambientis B frigiditatem dixerimus causam esse, cur & minùs fœcundi sint tum homines, tum cætera animalia, & vt minores etiam sint quantitate, cùm alioqui à frigiditate ambientis internus calor magis roboretur, ad internia magis repressus: quò fit, vt & multiplicetur, & ad omnia munia obeunda validior reddatur: quod de aquilonia constitutione dicebat Hipp. tertia Aphorism. 17. qua etiam ratione dicebat 15. primæ sectionis, ventres hyeme natura calidissimos esse. An- C ne dicendum est, quàm maximum esse discrimen inter frigus ambientis, ratione situa terræ, aut cœli ipsius, ab eo, qui statia temporibus, aut à cōstitutione temporum, aut ab anni tempore procedit? Differt enim primùm magnitudine: loquitur enim Hippocr. primo Aphorism. de hyeme in sua regione, cuius frigus non est adeò magnum in comparatione ad reliqua tempora; sicut frigus regionis borealis respectu australis. Frigus præterea regionis illius est D ferè perpetuum, ideo vincit humanam tempesiem, non autem frigus constitutionis, aut temporis. Accedit, quòd mulieres, quæ vtero ferunt, ex maxima ambientia frigiditate sæpe abortus patiuntur, aut saltem difficillimos partus, maximè cùm in curribus degentes, minimè omnium ab iniuriis aëris sese defendere possint. In feris, & brutis animantibus hoc idem euenit, in quibus quasi vincitur calor naturalis, & extinguitur à frigiditate ambientis, E cùm nihil in ea regione habeant, quo se ab aëris iniuriis protegant. Cuius oppositum in calidissimis regionibus conspicitur, vbi sunt maximi Leones, Elephanti, Tigrides, Serpentes.

Neque venti, qui à calidis locis flant, valdè eò accedunt, nisi rarò & debiles.] Duplici causa loca calida esse solēt, aut Solis propinquitate, aut calidorū ventorū perflatu. Ita frigida loca frigiditatem maximam nanciscuntur, aut recessu Solis, & distantia, aut defectu calidorum ventorum. Vtro- F que horum Scythæ frigidissimam sortiuntur regionem: nam Sol neque propiùs accedit, neque apud illos diutius moratur. Paulò enim distat minùs sexaginta partibus, cùm illis propinquissimus est Sol. Vnde qui sunt in tanta distantia ab æquinoctiali, frigidissimam habent regionem, & venti nulli calidi ad illos perueniunt. Frigidissimi autem sunt assidui. Concludit postremò, propterea regionem illam esse inhabitabilem, non quidem simpliciter: hoc A enim iam negauerat: sed intelligit eam commodè habitari non posse.

XXXIV.

Ἠήρ τε κατέχει πολλὸς τῆς ἡμέρης τὰ πεδία, καὶ ἐν τούτοισι διαιτεῦνται, ὥστε τὸν μὲν χειμῶνα αἰεὶ εἶναι, τὸ δὲ θέρος ὀλίγας ἡμέρας, καὶ ταύτας μὴ λίην. μετέωρα γὰρ τὰ πεδία καὶ ψιλά, καὶ οὐκ ἐστεφάνωται ὄρεσιν, ἀλλ' ἀνάντη ὑπὸ τὰς ἄρκτους αὐτῶν. ἐνταῦθα οὐ γίγνεται μεγάλα, ἀλλ' οἷα τε ὑπὸ γῆν σκεπάζεσθαι. ὁ γὰρ χειμὼν κωλύει, καὶ τῆς γῆς ἡ ψιλότης, καὶ οὐκ ἔστιν ἀλέα, οὐδὲ σκέπη.

Nebulaq; magnā diei partem campos occupat. Et in humidis degunt, ita vt hyems quidem perpetua, æstas verò paucis diebus, & iis non valida existat. Sublimes enim sunt planities, & nudæ, neque montibus circumsepta, sed accliues sub Vrsis. Et feræ non nascuntur magnæ, sed quæ sub terra cooperiri valeant: prohibet enim hyems, & terræ nuditas, in qua neque est æstus, neque verò tegumentum.

Prosequitur conditiones terræ Scytharum, potissimum autem magnæ illius solitudinis, de qua sermonem iam instituerat. Et inquit Ἠέρτε, &c.] Diximus superiùs Hippoc. nomine aëris sæpiùs intellexisse nebulam, & aërem caliginosum: propterea eorum lectionem non amplector, qui loco primæ illius lectionis legunt ἡμέρας, & quòd alicubi apud antiquos libros lectio illa in margine reperitur, censendum est esse scholium, explicans, quid dictio, ἀὴρ, significet. Abūdat igitur terra vaporibus, & nebulis, quia solum est multis aquis refertum. Vigebunt igitur in hyeme ob vehementiam frigoris, & eius diuturnitatem, & ob æstatem breuissimam, & minimè calidam, tum & aliis temporibus.

Et in humidis degunt.] Legendum enim est in Græco, ἐν τούτοισι: quòd si qui in suis manuscriptis legunt ὑγροῖς, id potiùs est Scholion primam lectionem exponens: malè etiam interpretantur, in subterraneis habitaculis.

Sublimes enim sunt planities.] Docet hoc loco Hippocr. quod & recentiores Scythicarum rerum scriptores asseruerunt, in eo loco non esse montes, sed planities, & totam arboribus vndequaque esse nudam, aliquantò tamen elatiorem versus polum: quod etiam docuit Aristot. Meteorolog. capite 1. qua etiam ratione, cùm nulla ex parte à montibus protegatur, à ventis Borealibus, nullæ sunt arbores, sed arbusta, quæ ventis perflantibus cedant, & flectantur: & hoc est, quod voluit Hippoc. iis verbis: ἀλλ' ἀνάντη ὑπὸ τὰς ἄρκτους, quæ nos verrimus, sed accliues sub Vrsis. Sciò hic variam esse lectionem, aliis hoc loco ἀνάντες, aliis αὐτά, aliis, vt est in Aldino, ὑπ' αὐτά, aliis tum demum passimè omnium ἄναυδα, legentibus. Placuit tamen potiùs im-

V

pressionem Basiliensem hoc loco sequi, quæ & verum sensum continet, & idem cum Aristot. loco cit. significat.

Et feræ non nascuntur magnæ, sed quæ sub terra cooperiri valeant.] Occasione eorum, quæ proximè dixerat, terram esse nudam, id est, arboribus; redit ad probandum id, quod ab initio proposuerat. Cùm enim nemora, & loca syluis vndequaq; referta reperiuntur, magna etiam animalia reperiri verisimile est, quòd illa sint ferarum magnarum domus, & habitacula, quòd arbores eas protegant in superiori parte ab aquis, grandine, & niue, à lateribus à ventis; suppeditent que illis tum foliis, tum fructibus, & radicibus victum. Duo verò sunt circa hanc particulam, quæ nō paruam habent difficultatem, quorum alterum ad magnas arbores pertinet, & syluas, quas dicit non reperiri in Scythia: alterum autem ad feras, quas dicit magnas in ea regione non nasci. Quis enim nesciat, nulla loca videri tempore nostro, & antiquorum, magis syluarū feracia, quàm Septentrionalia? Quæ enim famosiores Hercynia, Barniana, Hyrcania, & apud Boëmos hodie Semana, & in Sarmatiæ parte ea, quę Samogethia vocatur, eiusdem nominis alia. Est etiam Hercynia adeò nobilis prope Russiam nigram: quin & in Asiatica Sarmatia versus paludem Mæotidem, & prope Rha fluuium in ipsa Scythia. Ea etiam pars Sarmatiæ, quę Liuonia dicitur, ferè tota syluis est referta. Maiorum animalium etiam, quod secūdo loco propositum est, quætuam maiora, & robustiora sunt Vris, Bisontibus, Rigiferis, Alcibus, & Vrsis: quæ omnia Septētrio mittit? quin & ex bubalorū coriorū magnitudine, quanta sit boum, & bubalorum illarum regionum crassities, intelligere cuilibet licet. Dissolui facilè posset controuersia hæc, quantum ad primam partem attinet, si diceremus sequi hic Hipp. de solitudine hac magna Scythię, in qua arbores magnę non inueniuntur: at verò non negare, in reliquis Septentrionalibus partibus syluas reperiri, nisi ratio, quam tradit, communis esset, tam ad hanc partem, quàm ad aliam, ex verè Septentrionalibus. Quapropter dicendum est, verum esse eas regiones, quæ è directo stantem vehementer Boream excipiunt, neq; quippiam habent, quod à ventis eos protegat, non posse habere lucos, & syluas arborum magnarum, quales sunt regiones Laponum, & Scrifiniorum: quemadmodum etiam testis est Olaus Magnus diligens rerū Septentrionalium scriptor. Quòd si alicubi magnæ syluæ in iis regionibus reperiuntur, aut ea loca protecta sunt à ventis per montes, vel ea certè sunt admodum decliuia: quod vel Scotiæ exemplo constat, vbi hac ipsa ratione arbores magnæ non nascuntur, & per consequēs neque magna animalia, aut magnæ feræ. Magna verò illa animalia, quæ in Septentrione nasci diximus, in iis solùm conspiciuntur, vbi sunt magnæ syluæ arborum: attamen neque in illis locis magna omnino animalia, & feræ reperiuntur, qualia sunt Elephantes, Rhinocerotes, Leones, Cameli. Quinimò boues in iis regionibus, de quibus loquitur Hipp. parui sunt ob hanc ipsam causam. Qui verò in Sarmatia magni reperiuntur ex bubalorum genere, contrarium non arguunt, cùm neque nudæ sint arboribus magnis eæ regiones, neque omnino expositæ omnibus iniuriis ventorum borealium.

XXXV.

Αἱ γὰρ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων οὐκ εἰσὶ μεγάλαι, οὐδὲ ἰσχυραί, ἀλλ᾽ ὅμοιαι, καὶ ὀλίγον μεταβάλλουσαι. διότι καὶ τὰ εἴδεα, ὅμοια αὐτὰ ἑωυτοῖς εἰσιν. σίτῳ τε χρέονται αἰεὶ ὁμοίως, ἐσθῆτί τε τῇ αὐτῇ καὶ θέρεος καὶ χειμῶνος. τόν τε ἠέρα ὑδατεινὸν ἕλκοντες καὶ παχύν, τά τε ὕδατα πίνοντες ἀπὸ χιόνος καὶ παγετῶν, τοῦ τε ταλαιπώρου ἀπεόντος. οὐ γὰρ οἷόν τε τὸ σῶμα ταλαιπωρέεσθαι, οὐδὲ τὴν ψυχήν, ὅκου μεταβολαὶ μὴ γίγνονται ἰσχυραί.

Etenim temporum anni mutationes neque magna, neq; fortes sunt, sed similes, & parū euariātes: quapropter & formæ ipsæ sibi ipsis similes sunt. Eodē quinctiā victu et vestitu vtuntur æstate, & hyeme, aeremq; aquosum, & crassum attrahunt. Aquas insuper bibunt ex niue, & glacie, nullo accedente exercitio. Neq; enim vel corpus, vel animus ad labores confirmari potest, vbi mutationes temporum non fiunt fortes.

Propositio γὰρ in principio huius particulæ posita videtur quasi innuere hic probari, quæ superiùs proposita sunt. Verùm cùm aliquando etiam ponatur ad maiorem explicationē, hoc loco ita positam esse censendum est: nam hæc particula videtur conniungi cum illa parte, in qua fœcundam minimè esse gētem Scythicam docuit. Docet autem formas, & corporis structura inter se similes esse. Idque colligit ex eo, quòd in Scythia non sunt magnæ temporum mutationes, quando perpetuo ferè frigore algeant, & iis conuenire potest, quòd Stratonicus de Ponti æuo per iocum dicere solebat, quatuor illic mensibus hyemem esse, reliquis frigus. Multò enim veriùs huic parti mundi tribui queat, in qua hyems longissima est, æstas sanè quàm breuissima, sed tamen etiam frigida: Cùm igitur tempora anni temperamento non sint inter se contraria, vt in aliis regionibus, efficitur, vt etiam homines inter se sint similes: variantur enim ex variis temporum tēperatura tum inter se, tum successiuè, annorum progre[illegible]. Verùm difficultatē faciunt, quæ ab Olao Magno scripta sunt lib. 7. cap. 19. vbi in regionibus Septentrionalibus ponit magnum discrimen inter anni tempora. Satisfieri iis potest, Olaum Magnum de suia regionibus sermonem habere, quę multò sunt Scythia austra-liores, nonnunquam etiam de Germanis. Boreales

teales autem regiones tum in lõgitudine, tum in latitudine, quàm maximè latè pateat: propterea non est censendum, quod vni conuenit, alteri etiam conuenire. Docet tamen & ipse lib. 4. cap. 6. in pluribus partibus Nortuegiæ, & Gothiæ glaciem durare vsque ad finem Maij, atque in fluminibus quidem ita densam, vt super eam & nundinæ celebrentur, & ludi parentur.

Eodem quinetiam victu, & vestitu vtuntur æstate, & hyeme.] Huius ea est ratio, quia semper frigore algent.

Aeremq; aquosum, & crassum attrahunt.] Hæc est altera ex causis, cur forma inter se similes sint, tum & cur plerique talem formam nanciscantur. Docebit enim infrà humida esse, & pinguia, tum & crassa: quod facilè euenit ex crasso, & humido aëre perpetuò inspirato. Quis enim nesciat, quòd cùm tum singulo die tanta quantitas aëris inspiretur, tum per nares, & cerebrũ, tum per ora vasorum, & vigilando, & dormiendo, & exercendo, & quiescẽdo, neque vnquam mutetur, vt in aliis locis accidit pro temporum vicissitudine, & constitutionum varietate, necessarium esse tandem, vt omnino similia reddantur inter se corpora, & itẽ humore affluant.

Aquas insuper bibunt ex niue, & glacie.] Hæc est alia ratio tum similitudinis, tum humiditatis omnium, maximè addita alia causa, cùm dicit; *nullo accedente exercitio*, quo superfluæ humiditates consumi possint. Quod ostẽdit per sequentia verba: *neque enim vel corpus, vel animum, &c.*] Simul autem ostendit, quid per exercitium intelligat. Dicit autem se non modò de corporis, sed & animi exercitiis loqui. Animus quidem non redditur aptus ad exercitia, quòd tempora, & loca sint similia; quæ vbi sunt huiusmodi, omnem auferunt aut dubitãdi, aut admirandi occasionem. nam propter admirationem rerũ homines cœperunt philosophari, vt docet Aristot. in prooemio lib. de Sapiẽtia. Vnde in tam magna regione vnum solum memorant philosophum Anacharsidem, natione quidem Scytham, qui tamen neque in Scythia fuerit philosophatus, sed in Græcia: propter sapientiam autem fuit à suis interemptus, vt docet Herod. lib. quarto. Corpore etiam non exercẽtur: quoniam cùm referta sint vndequaque quàmplurima humiditate, & pinguedine, excrementitia corpora exercitiis redduntur inepta. Non possunt autem dici multum sese exercere, quòd ferè perpetuò ferãtur equis. Est enim potiùs ipsis otium, quòd equis non sese exercent, arte eos mouentes, & agitantes, sed lento motu equis delati pabulum quærunt.

XXXVI.

Διὰ ταύτας τὰς ἀνάγκας, τὰ εἴδεα αὐτῶν παχέα ἐστὶ καὶ σαρκώδεα. καὶ ἄναρθρα καὶ ὑγρὰ καὶ ἄτονα. αἵ τε κοιλίαι ὑγρόταται, καὶ πασέων κοιλιῶν αἱ κάτω. οὐ γὰρ οἷόν τε νηδὺν ἀναξηραίνεσθαι ἐν τοι-

A *αὐτῃ χώρῃ, καὶ φύσει καὶ ὥρης καταστάσει. ἀλλὰ διὰ τὴν πιμελήν τε καὶ ψιλὴν τὴν σάρκα, τά τε εἴδεα ἔοικεν ἀλλήλοισι, τά τε ἄρσενα τοῖς ἄρσεσι, καὶ τὰ θήλεα τοῖς θήλεσι. τῶν γὰρ ὡρέων παραπλησίων ἐουσέων, φθοραὶ οὐκ ἐγγίνονται, οὐδὲ κακώσιες ἐν τῇ τοῦ γόνου ξυμπήξει, ἢν μή τινος ἀνάγκης βιαίου, τύχης ἢ νόσου.*

Propter has causas formæ ipsorum crassæ sunt, & carnosæ: & iunctura, & humidæ, & eneruatæ: ventrésque humidissimi, & omnium cauitatum
B *inferiores maximè. Non possunt enim exsiccari in huiusmodi tum regione, tum natura, & temporis constitutione. Sed ob pinguedinem, & glabritiem carnis, formæ adinuicem similes sunt, masculi masculis, fœminæ fœminis. Temporibus enim inter se similibus existentibus, corruptiones non generantur, neque malitiæ in seminis coagmentatione. Nisi fortuita aliqua extrin-*
C *secus occurrens causa occurrat, quæ alteratiònem pati possit, aut morbus aliquis.*

Dixerat Hippoc. Scythas forma inter se similes esse, idque retulerat in temporum anni similitudinem, quòd nõ multum inter se distinguantur, nec variæ, vt alibi fit, constitutiones temporum producantur: non docuerat autem, quales essent eorum formæ; quod hoc loco ex ante dictis colligit, dicens, eas esse crassas, & carnosas: impropriè verò hic carnosum sumit;
D quando secũdo de Temper. cap. 4. Gal. carnem à calido, & humido fieri docuerit. Scythæ autem cùm potiùs frigidum, & humidum temperamentum sortiti sint à natura, censendum est Hipp. hoc loco per crassos, & carnosos intellexisse pingues. Dicit autem habere eosdem iuncturas humidas, & eneruatas, quòd docuerit lib. de articulis excidere articulos facilè ob humidum, quo abundant nerui, quibus connectuntur: ideo natura humidis facilè luxationes
E accidunt, quemadmodum etiam ob maciem: exemplo boum eo loco id ostendebat, quibus ob macilentiam articuli excidunt, & maximè circa finem hyemis. Scythis ergo ob humidam intemperiem infirmi sunt articuli, non tamen adeò, vt illis excidant.

Ventresq; humidissimi, maximè inferiores.] Quamuis enim aër crassus potiùs soleat superiora afficere; nihilominus, quòd distillationes excitet, quæ ad inferna mittuntur; maximè cùm eis
F ventres debiliores redditi sint ob malarum aquarum, crudarúmque vsum, inferioribus potiùs mala eueniunt. Verùm difficultatẽ faciunt, quæ superiùs, vbi de aquis agit, docuit Hipp. cùm dicit: quorum ventres molles, & pituitosi, iis durissimæ, & crudissimæ, & subsalsæ aquæ conferunt: sic enim maximè resiccari poterũt. Tantum igitur abest, vt aquæ eæ duræ, & crassæ possint Scythia mollitiem, & immodicam humiditatem ventris inferioris afferre, vt, si adesset, potiùs auferri deberet iis aquis epotis. Ve-

rùm docuimus nos loco cit. intelligere Hipp. non de aquis crudia tàrùm, sed de subsalsis, quibus vis reliccandi non parua inest.

Sed ob pinguedinem, & glabritiem carnis, &c.] Manifestè ostēdit, quod superiùs dixerat esse crassos, & carnosos, per pingues intelligere: & inquit similes inter se esse Scythas potissimùm in hoc, q̀ omnes sint crassi, & ꝑpingues, & glabri. Reddit etiam immediatā causam similitudinis eorum, cùm superius vniuersali fuerit contentus; nam dixerat, vbi est similitudo inter tempora in temperamento, nec multū inter se euariant, non posse vllam mutationē inferri semini in vtero existenti, cùm concrescit; q̀ vbi non sit varietas temporū, corpora vni aëris tēperamento assuescāt, etiamsi malum sit, nec mutationes in corporib' patiantur incolæ, secus, q̄ penes nos, in quibus sæpiùs tum ob varietatē temperaturarum temporum anni, & constitutionum, semen alterationes potest pati. Ponit posteà exceptionem, *nisi fortuita aliqua extrinsecus occurrens causa occurrat, qua alterationē pati possit, aut morbus aliquis.*] Obseruandum autē, doctissimū Zuingerum in principio huius contextus, vbi communiter legitur καὶ ἄρθρα, in margine legisse καὶ ἄναρθρα, quod est, & malè articulatæ, vel inarticulatæ, vt ad formas referret: quæ lectio optimè recipi potest, quod eundē sensum retineat. Quinimò videtur etiam probabilior, quoniam subdit καὶ ὑγρά: si enim dixisset καὶ ἄρθρα, id est, & articuli; non erat, quòd adderet cōiunctionem, καὶ, dictioni ὑγρά: coniunctio enim illa demōstrat hæc omnia epitheta conuenire dictioni εἴδεα, quod est, formæ. Recepimus tamen aliam, tanquàm communiorem, & quę non ita magnam habeat difficultatem ex coniunctione καὶ, cùm frequētissimus sit apud Græcos loquendi modus. Dicimus enim aliquem habere faciem & perpulchram, & venustam, & manus & albas, & rubore perfusas. Habet & aliam ibidem variam lectionem, vt loco eiusdē dictionis ἄρθρα, aut alterius, ἄναρθρα, quod est adiectiuum nomē, & epithetum, vt diximus, legamus νωθρά, quod segnem significat: quæ etiam non reiicitur; sed ob eam, quam diximus, rationem, retinendam communiorem censemus: nunquam enim mutandam censeo communem lectionem, nisi vrgens adsit necessitas, vt si sibimet repugnare in eodem lib. auctorem videamus grauem, aut si sensum non habeat, vt si constructio orationis eam non ferat. Addidimus tamen, καὶ, ante κοιλίην κοιλίαν, q̄d maximè adiumēto sit ea dictio illi orationi, & quasi perfectionē ferat. Zuingerus verò in suis manuscriptis habuisse ostēdit.

XXXVII.

Μέγα δὲ τεκμήριον ἐς τὴν ὑγρότητα παρέξομαι. Σκυθέων γὰρ τοὺς πολλούς, ἅπαντας ὅσοι Νομάδες, εὑρήσεις κεκαυμένους τούς τε ὤμους, καὶ τοὺς βραχίονας, καὶ τοὺς καρποὺς τῶν χειρῶν, καὶ τὰ στήθεα, ἰσχία, καὶ τὴν ὀσφῦν, δι' ἄλλ' οὐδὲν, ἢ διὰ τὴν ὑγρότητα τῆς φύσιος καὶ τὸ μαλακόν. οὐ γὰρ δύνανται οὔτε τοῖς τόξοις ξυντείνειν, οὔτε τῷ ἀκοντίῳ ἐμπίπτειν τῷ ὤμῳ ὑπὸ ὑγρότητος καὶ ἀτονίης. ὁκόταν δὲ καυθῶσιν, ἀναξηραίνεται ἐκ τῶν ἄρθρων τὸ πολὺ τοῦ ὑγροῦ. καὶ ἐντονώτερα μᾶλλον γίνεται καὶ τροφιμώτερα καὶ ἠρθρωμένα τὰ σώματα μᾶλλον.

Magnum autem signum humiditatis eorum exhibebo. Scytharum quàmplurimos, & omnes, qui Nomades sunt, inuenies exustos habere humeros, & brachia, & manuum iuncturas, & pectora, & coxas, & lumbos, nullam hanc aliam ob causam, quàm propter humiditatem, & mollitiem: neque enim arcus intendere, neq; humero telum iaculari possunt præ humiditate, & mollitie. Cùm autē vrūtur, copia humoris articulorū cōsumitur, & validiora magis reddūtur, & magis enutrita, magisq; articulis firmata corpora.

Reuertitur ad probandum corpora Scytharū esse nimia humida: & hoc ab auxilio, siue à iuuantib. & lędentibus, qd' apud Medicos firmissimū solet esse argumentum. Dicit igitur Scythas omnes ferè, potissimū aūt Nomades, habere exustos articulos, vt consumat' humiditas superflua articulorū, & validiores reddantur, faciliùs nutriantur eę partes atq; articuli firmiores efficiant'. Dixit aūt potissimū id iis accidere, qui Nomades dicunt' ob eam, quam inferiùs afferet rationem, cùm dicet id esse in iis potissimum, quia dum pueri adhuc sunt, ferè semper in curribus cum mulieribus degunt, nullis exercitiis vtentes, sed non sedentariam vitam agentes.

Inuenies habere exustos humeros.] Ea potissimū ratione articuli ij exuunt', q̀a in iis vis ferè omnis telorū, & sagittarū eiiciendarū, tū & ponderū, & armorum ferendorum consistere videtur.

Brachia.] Vt in tractandis leuiorib. armis multò reddātur agiliores, vt gladio, quę potiùs dexteritate, quàm vltimo conatu solent indigere: nam in humeris vis tota quasi est corporis: in brachiis autē agilitas potiùs conspicitur cum auxilio ipsius humeri.

Et manuum iuncturas.] Manuum iūcturæ quamuis ad agilitatem maximè conferant brachiorum, ad retinenda tamen arma, & arcus tendendos maximè robustæ desiderantur.

Pectora.] Vt in laborib. diutius perdurare possent: cùm enī humiditate refertum est pectus, graue est corpus, difficulter respirat; atq; ꝓpterea in laboribus succumbūt homines iis præditi. Quòd si pectus variis in locis aduratur, & cōsumitur illa humiditas, & cicatrice inducta articuli magis indurantur: quò fit, vt in armis ferendis & robustiores sint, & præterea in laboriosis exercendis operibus minùs defatigārur.

Coxas.] Vt ad ambulandū, & currēdū, si sit op', sint magis idonei, tū etiam in equitando, & equis exercendis: exciderent enim ossa coxæ, nisi consumpta igne humiditate adiacente firmiora ligamenta redderentur. Vt verò diutius in equi-

in equitatione perdurare possint, neq; humore superfluo spina dorsi elanguescat, lumborum regio, & adiacentes partes inurebantur. Obseruandum autem est, Scythas vstione non esse vsos, quemadmodũ nos vtimur emissariis, igne vel caustico medicamẽto factis: vstio enim, quę in vsu apud Scythas fuit, siccabat, non auertebat: facta enim vstione, & crusta cadẽte, cicatrix inducebatur, sicque locus ille siccior, & durior remanebat: emissaria verò auertunt: credoque potiùs esse genus medendi recẽtiorum, quàm q antiqui illud posuerint. Fortasse autem emanauit ab Aëtio lib. 8. cap. 37. in cura difficultatis spirandi, dum crustas inurit circa pectus, & diu sinit apertas. Nolo aũt in p̃sentia ad examẽ reuocare, an tãta possint p̃stare, quemadmodũ aliqui sibi p̃suaserũt, qui quãdoq; duo, quãdoq; etiã 4. talia emissaria in brachij superiori parte, & cruribus fieri debere cõstituunt; turpissimo, an stultissimo vsu dicam magis, nesciuerim.

Cùm autẽ vrũtur, copia humoris articulorũ cõsumitur.] Hæc est illa vtilitas vstionis, de qua mẽtio facta est ab Hipp. 6. Aph. 60. cùm dicit; quibuscunq; à coxendicũ dolore molestatis diuturno excidit coxa, iis crus tabescit, & claudicãt, si nõ vrãtur. De qua etiã vstione fit mentio primò de articulis, part. 41. vbi de inurẽdis brachiis excisis legitur. Reddit enim rationem etiam Galenus in comment. vt, quod mucosum est, absumatur, & laxitas cutis, ad quam articulus lubricat, magis ex adustione contracta arctet, & prohibeat articulum transponi. Qua autem ratione & diligentia adustiones eæ sint faciendæ, docet Hipp. loco citato, primo de articulis.

Et validiora magis redduntur.] Accidit hoc, q, fiant sicciora: certũ enim est, humiditatẽ superfluam torpidũ reddere corpus, & particulas, tum præterea ob mollitiem ineptas motui. *Et magis enutrita.*] Humiditas superflua vbi est, & frigidus is humor mucosus, impedit, quo minus bona fiat partis illius enutritio, & quasi spiritus extinguit. Quòd verò particulæ transmittitur nutrimentum, aut corrũpitur, aut aliò defluit, q nec apponi, nec vltimam illã perfectionem assequi possit. Vtebãtur autem antiqui ob multas causas vstione, vt docet Auic. quarta primi, Doct. 5. cap. 29. & Albucasis primo lib. suæ chirurgiæ multis capitibus: aliquando vt retineant effluentia, q vstione quasi coarctentur loci. Cùm enim caro tollatur, natura instaurante carnem, vndique maximè contracto loco, nullo relicto vacuo, carne impletur solidiore, vt fit in enterocele, & fluxu sanguinis aliquando, vt educatur materia, vt in suppuratione, & ascite, de qua Hipp. 6. Aphor. 27. quicunque suppurati, aut aquam intercutem patientes vruntur, aut secantur, si pus, aut aqua vniuersim effluat, omnes moriuntur. De qua re etiam lib. de locis in homine. Vtebantur etiam ad dissipandam materiam in aliquo membro contentam, & induratam: de qua re lib. de internis affectionibus, vbi etiam optimè auctor ille docet modum inustionis. Vtebantur etiam vstione, vt callosæ partes in fistula exciderentur: de qua re, lib. de fistulis, & Albucasis loco cit. Cui conuenire fortasse potest, quod dicitur 7. Aph. 81. quæcunque non sanat medicamẽtum, ea ferrum sanat, quæ ferrum nõ sanat, ea ignis sanat. Vtebãtur etiam ad impediẽdum, quo minus vlterius procederet putredo, aut corruptio; & erat prima vtilitas posita ab Auic. loc. cit. de qua re Gal. 8. in 6. Epid. 5. vbi vstionem adhiberi dicit pessimè affectis locis ob prauorum humorum exuberantiam, vt in cancro, & malignis vlceribus. Et 13. Meth. 6. vbi extia esse p̃sidiis notat, quæ totã eius, quod infestat, substantiam exinaniunt. Adhibetur autem potissimum, vt primo loco dicebamus, & docuit Auic. loco cit. vt intemperies frigida, & humida auferatur, materiaq; eadem consumatur eo modo, quo diximus.

XXXVIII.

Ῥοικὰ δὲ γίνεται καὶ πλατέα. πρῶτον μὲν ὅτι οὐκ ἀποσπαργανοῦνται, ὥσπερ ἐν Αἰγύπτῳ, οὐδὲ νομίζουσιν, διὰ τὴν ἱππασίην, ὅκως ἂν εὔεδροι ἔωσιν. ἔπειτα δὲ διὰ τὴν ἕδρην. τά τε γὰρ ἄρσενα, ἕως ἂν οὐχ οἷά τε ἐφ' ἵππου ὀχέεσθαι, τὸ πολὺ τοῦ χρόνου κάθηνται ἐν τῇ ἁμάξῃ, καὶ βραχὺ τῇ βαδίσει χρέονται, διὰ τὰς μεταναστάσιας καὶ περιελάσιας. τὰ δὲ θήλεα θαυμαστὸν οἷον ῥοικὰ εἶναι τὰ εἴδεα:

Fluida verò fiunt & vasta: primùm quidem, quia fasciis non colligantur, quemadmodum fieri solet in Aegypto. Neque verò id curant equitationis causa, vt ad equitandum meliores reddantur. Deinde verò ob desidiam. Masculi enim eorum, antequàm equos conscendere queant, plurimum temporis desident in curribus, raroq; prodeunt, vt ambulent, propter transmigrationes, & circuitiones. Muliebres autem forma mirum est, quàm sint fluxiles.

Non eiusdem reddit rationem, nempe, quare mollia sint, & humida Scytharum corpora, vt Cardanus censuit, sed aliud diuersum, ad figuram, & conformationem pertinens, cur scilicet sint vasti, & fluxili corpore. Duasq; reddit solùm rationes, non tres, vt communiter censuerunt expositores. Reddit igitur primò rationem vastitatis, & laxitatis corporum Scytharũ; primùm extrinsecam, quòd fasciis non inuoluantur, & circumligentur infantes, vt fit in Ægypto, & alibi: Malè verò traducunt antiquus interpres, & recentiores verbum ῥοικά, distorta. Primùm quòd noua est significatio, præterea, q non distorquentur membra, si fasciis non circumuoluantur, sed potiùs recta in sua natura, quantum ad longitudinem attinet, efficiuntur, quamuis non extendantur in longitudine, quantum oportet, sed in crassitie: distinguentur enim potiùs, si nimis cõstringantur. Fasciis autem nõ circumuoluunt in Scythia infantes,

fortasse ob defectum lini, & eorum, quæ ex lino parantur; secus, quàm in Ægypto, vbi ob copiam lini fortasse cœperunt primùm fasciis infantes conuoluere: aut etiam, quòd barbaris admodum sint præditi moribus, vt docet etiam Gal. de Germanis, 1. de san. tuend. q suos infantes nuper natos mergunt frigidissima aqua.

Neq; verò id curant equitationis causa, vt ad equitandum meliores reddantur.] Pessimè interpretes hunc locum interpretati sunt; nã Cornarius sic: Deniq; quòd non animaduertant, quocunque inter equitandum equis insideant. Cardanus sic: Deinde quòd non assuescant ad equitationem, quo equorum insessores fiant. Baccius autem hoc modo: Neque curant, quomodo ad equitationem firmi fiant. Caluus autem sic vertit: Nec reputãt, cogitántve, quantũ ad hoc equitatio cõferat. Melius Zuingerus, sed nimis luxuriat, qui sic vertit: Fasciis autem communi consensu abstinent equitationis causa, vt ad insidendum aptiores reddantur. Primæ enim omnes omnino sensum nullum habent: neque vllo modo intelligi potest, quomodo ita interpretata, & intellecta sententia Hipp. facere hic locus possit ad reddendam rationem, cur vasto corpore Scythæ sint præditi. Accedit, quòd volunt hanc esse rationem, qua probet Hippocr. Scythas tales esse; cùm potiùs reddat rationẽ, cur Scythæ fasciis non inuoluant filiolos. Neque verò dictio deniq; vllo modo poni potest; cùm statim subdat aliá rationẽ, & dicát postremò. Promanauit autem mala hæc intelligentia ex variato codice Græco, leui tamen mutatione. Nam cùm legeretur ὅτι νομίζουσι, διὰ τὴν ἱππασίην, ὅκως ἂν ἔνεδροι ἔωσιν: Primùm nõ intelligebãt, quid sibi vellet illis primis verbis ὅτι νομίζουσι, cũ tamen referretur ad proximè dicta verba, & esset subintelligẽdum δεῖν σπαργανοῦσθαι. Cùm etiam non intelligerent, quid nomine ἔνεδρος sibi vellet Hippoc. malè interpretati sunt: cùm alioqui loco ἔνεδρος legi debeat εὔεδρος: facilis antè fuit lapsus mutata solùm litera ν, in υ, quæ facilè fieri potest ob maximam, quam habent inter se, similitudinem. Adiuuant autem nostram hanc coniecturam manuscripti libri, ex quibus nostræ illæ in omnes Hipp. libros variæ lectiones sunt desumptæ, in quib. est εὔεδροι, quam in iis, quos habuit, libris manuscriptis habuisse etiá visus est diligentissimus Zuingerus. Sensus igitur erit: Scythas vasto esse corpore, tum natura, quòd humidi sunt, tum instituto, & consuetudine iam inde à pueris contracta. Etenim infantes nuper natos fasciis nõ constringunt, vt apud Ægyptios in more positum est, neque curant id facere eo consilio, vt carnosi reddantur, & vasti tum reliquo corpore, tum potissimũ natibus, vt sint ad insidendum equis aptiores.

Deinde verò ob desidiam: Masculi enim eorum, &c.] Est hæc altera causa laxitatis, & vastitatis, vel potiùs crassitiei corporum Scytharum per se manifesta, quòd scilicet puerorum, antequàm equos conscendere possint, deses omnino, & otiosa sit vita; quòd non soleant sese exercere, currere, deambulare, sed in curribus retinentur otiosi, quando in perpetua fere sunt peregrinatione, vt superiùs diximus, pabuli opportunitatem sequentes: maximè cùm ferè niue perpetua cooperiatur terra, frigoreque loca algeant; qua ratione in curribus conclusi vitam degunt ab ambientis iniuriis hoc modo, se, dum teneri, & pueri sunt, protegantes.

Muliebres autem formæ mirum est, quàm sint fluxiles.] Manifestum est hoc ex iis, quæ diximus; si enim pueri, quòd in pueritia in curribus vitam agũt, redduntur tales, quid fiet in mulieribus, quæ perpetuò ferè hoc inclusę carcere vitam agunt? maximè coadiuuante peculiari natura eorum, cùm soleant natura sua molliores esse viris. vnde dicebat Galen. quarto de compos. med. sec. gen. capite 1. in carne molli preditorum numero contineri mulieres candidas, pueros, eunuchos, & viros alba cuti. Insuper qui regionem frigidam incolunt, humidi ij quoque & pituitosi, ideoque molles, & albi.

XXXIX.

Πυῤῥὸν δὲ τὸ γένος ἐστὶ τὸ Σκυθικὸν διὰ τὸ ψῦχος, οὐκ ἐπιγιγνομένου ὀξέος τοῦ ἡλίου. ὑπὸ δὲ τοῦ ψύχεος ἡ λευκότης ἐπικαίεται, καὶ γίγνεται πυῤῥή.

Ruffum verò est Scythicum genus ob frigiditatem, quòd vehementer illis Sol non superueniat, à frigore verò albedo exuritur, & fit rufa.

Scythicam gentem ruffam esse hoc loco testatur, & quamuis de colore cutis ruffo videatur iis verbis Hipp. intelligere, pilis tamen potiùs ruffo colore præditis, & in capite, & in mento aspersos esse voluisse Hippoc. censeo: tum q. coloris in cute talis non conspicitur in Scythis, vt annotãrũt Scythicarum rerum scriptores, sed potiùs albus ad liuidum accedens: tum quòd aspersionem bilis rufæ, aut flauę sub cute cum admixtione pituitæ significat: neq; is color aliunde prouenit in cute. At verò in pilis, siccescente humiditate à frigiditate excedente, facilè fieri posse, pręterquàm q. hoc loco docet Hipp. autor etiã lib. de coloribus, quicunq; ille sit, doct⁹ sanè, ac erudit⁹, atq; antiquus, forteq; Theophrastus, manifestè ostẽdit, & nos postea docebim⁹. Quòd verò de pilis intelligi debeat, manifestum nobis fecit Aristot. 2. problem. vlt. sectionis, cùm scribit, omnes incolas plagæ Septentrionalis esse ruffo pilo, & tenui. Sed qd omnẽ tollit dubiũ est Galen. 2. de Temper. cùm enĩ cap. 5. dixisset, qui humidã, frigidamq; regionẽ habitãt, vt Illyrici, Germani, Dalmatę, Sarmatę; & omnis Scythica plaga, pilos rufos obtinere; cap. sequenti hoc nõ conuenire cuti eorũ ostendit, sed potiùs eosdẽ alba cuti, & glabra præditos iis verbis ostendit. Celtis. enĩ & Germanis, & omni Thracio, & Scythico generi, frigida; humidaq; cutis est, ideoq; etiam mollis, alba, & pilis

pilis nuda. Solet verò etiã hoc obseruare communis dicendi modus, cùm rufum aliquem dicimus, quòd pilis rufi coloris præditus sit.

Πυῤῥὸν.] rufum interpretati sumus, Plinium secuti, q quod Aristot. de regibus apum scribit, ὁ μὲν βελτίων, πυῤῥὸς· ὁ δ' ἕτερος, μέλας καὶ ποικιλώτερος. ipse sic Latiuè: Melior rufus, quàm niger, variusque. Quare non placet interpretari fuluũ, vt Cornarius & alij. Siquidẽ quãuis impropriè aliquando sumatur pro rufo; propriè tñ colorem significat ex rufo, & viridi mixtũ, in aliis plus viridis, in aliis plus rufi habens. Nam Aquilam fuluam quandoq; dicunt, quandoq; aurum, quandoque arenam, quandoq; leonem: quæ tñ rec nonnihil colore differunt. Quinimò iaspidem fuluam vocant, quæ alioqui viridis est. Docet aũt Gal. 1. de Crisib. 12. qualis sit color rufus: πυῤῥὸν, inquit, proximè accedit ad flauũ, sed in rufo prçualet albedo, in flauo splendor. Verùm Gal. 1. in 6. de Morb. vulg. C. 6. manifestè, qualem intelligat colorem rufum, ostendit, exemplo Sandarachæ, quæ subflaua est, ad albedinẽ vergens. Vnde lib. de Salub. diæt. Com. 6. ostendit maximi momenti esse cognitionẽ harum differentiarum, inter colorẽ nempe flauũ, & rufum, q diuersum temperamentum indicent. Et, inquit, malè loquuntur, qui Germanos flauos appellant, cùm nõ sint huiusmodi, sed rufi. Inquit igitur rufos esse Scythas, i. pilis ob excessum frigoris: subditq; immediatè rationem, quia cùm non perueniat ad eos Sol potens, præualet frigiditas maxima, quæ albedinẽ exurit. Sed quomodo exurit frigiditas? impropriè sanè: nã sola similitudine exustio dicitur: quemadmodũ enim ignis humiditatẽ adurit: ita ingens & perpetuum frigus, quocunq; contingit, contrahit, condensat, constringit, vt 4. de Simpl. med. fac. docet Gal. substantia cõtracta tenues humores excernuntur, calor natiuus extinguitur. Frigus verò etiã hoc modo adurere docuit Theoph. 2. de Caus. plant. cap. 4. his verbis: Ex toto propè flatus frigidi cõmodiores sunt calidis, nisi germina nuper edita sint, aut flores prouenire incœperint: tunc enim frigidi aduruunt. Rufum autẽ fieri colorẽ consumptione partis humiditatis, & siccatione, docet auctor lib. de Colorib. vbi ostendens causam colorum rufõrum, scribit talia reddi quæcunq; prouenta, priusquã in ipsis humidum perfectè mutetur in nigrũ colorem. Siccantur igitur alba, sed nõ consumitur omnino humiditas, vt rufa fiant. Demonstrat postea hoc ratione ex multis desumpta: nã puerorũ, inquit, capita initio sunt rufa, propter alimenti paucitatem: atq; id manifestum est: nam capilli imbecilles sunt, & rari eandẽ ob causam. Probat hoc idem exemplo alio, q capilli, anteq̃ ad canitiem tendant, per rufum colorẽ transeunt; non alia ratione, q̃ ob defectum alimenti, i. humiditatis. Vnde problem. 2. vlt. sect. dicebat piscatores, purpurarios, & omnino, q artem marinam exercent, rufo colore præditos esse. Et quærens huius rei rationem, tandem post alias, quas, vt solet, multas ponit probabiles, vnam adfert, q ob siccitatẽ marinæ aquæ humiditas pilorũ consumatur, vt quasi folia coarescentes capilli rufescant. Quam rem insinuasse visus est auctor libri de Coloribus, vbi maritimorum pilos rufos reddi scribit, consumpta humiditate, & arefacta illa materia.

XL.

Πολύγονον δὲ οὐχ οἷόν τε εἶναι φύσιν τοιαύτην. οὔτε γὰρ τῷ ἀνδρὶ ἡ ἐπιθυμίη τῆς μίξιος γίνεται πολλὴ, διὰ τὴν ὑγρότητα τῆς φύσιος, καὶ τῆς κοιλίης τὴν μαλθακότητά τε καὶ τὴν ψυχρότητα, ἀπὸ τῶν ἥκιστα εἰκὸς εἶναι ἄνδρα οἷόν τε λαγνεύειν. καὶ ἔτι ὑπὸ τῶν ἵππων ἀεὶ κοπτόμενοι ἀσθενέες γίγνονται ἐς τὴν μίξιν. τοῖσι μὲν ἀνδράσιν αὗται αἱ προφάσιες γίγνονται.

Neq; verò fieri potest, vt talis natura fœcũda sit. Neq; enim viris ob humiditatem naturæ, ventrisq; mollitiem, ac frigiditatẽ, multus appetitus coitus fit: propter quæ verisimile est viros nõ admodum esse salaces. Præterea ab equis continuò delassati impotentes ad coitum fiunt: & ea quidem causæ sunt in viris infœcunditatis.

Infœcundam esse Scythicam gentẽ, superiùs quasi historicè dixerat, neq; tñ probârat: hoc autem loco illius rei probationẽ, & confirmationem instituit. Cùm verò infœcũditas vniuersalis gentis alicuius prouenire possit, aut rationẽ maris, aut ratione fœminæ, docet Scythicã gentem maximè esse infœcundam tam ratione marium, q̃ fœminarũ causa. Dicit igitur primùm ratione marium id accidere, q ob excedentẽ humiditatẽ, ventrisq; inferioris mollitiẽ, minùs salaces reddantur: humiditas enĩ superflua, & spiritus, q instrumenta sunt tensionis virgæ, & quasi formç ipsius seminis genitalis, extinguit, & partes oẽs eneruat. Quinimò si lib. Art. med. 48. Gal. infœcundos esse, & aut nõ generantes, aut potiùs fœminas producentes eos dicebat, q frigida, & humida sunt testium temperatura, quid censendũ erit, vbi nõ testes modò, sed omnia mẽbra principalia, & tandẽ vniuersum corpus, eandẽ sortita sint intemperiem? Argumentatur igitur Hippoc. ab impotẽtia ad Venerem ad infœcunditatẽ. Non valẽt verò ad Venerem ob humidam illã excedentẽ intemperiem, ex qua nec conficitur semen ad fœcunditatẽ, nec spiritus generãtur ad tensionem. Quòd si quis exemplũ Regis illius Scytharũ, cuius mentionem facit Plutarch. in lib. de Garrulitate, in medium afferat, qui 80. habuerat filios, quibus moriens fasciculũ sagittarũ cũ iussisset afferri, & vt frangeret ab eorũ robustissimo imperasset, nec ita potuisset, singulas ipse postea cùm fregisset, docuit, si in vnũ consentirẽt, regnaturos, si dissiderent, regnũ & vitam amissuros. Respondërem, apud Scythas in more positum fuisse, eum sibi ipsis Regem eligere, qui & robustior, fortior, & speciosus magis esset; qui quidem sunt

vt plurimũ magis fœcundi. Cùm igitur Regea tales sint, & illis liceat, quotquot velint, fœminas habere; nihil mirum, si singularis ille, à quo nõ potest regula desumi, tot filios habuerit, maximè cũ ꝑ laude illis cederet tanta fœcunditas.

Præterea ab equis continuò delassati, impotentes, &c.] Est altera causa infœcunditatis Scytharũ à perpetua ferè equitatione desumpta, quę nisi rectè intelligatur, & difficultatẽ habebit, & Aristoteli repugnare videbitur. Is em̃ 4. problem. lib. 12. proponens, cur, q equitant assiduè, libidinosiores euadunt. An, inquit, caloris, agitationisque causa afficiuntur eo modo, quo p coitũ? quocirca æstatis quoq; accessione membra genitalia contrectata, agitataq;, pleniùs augentur. Quòd igitur semper eo vtantur motu, q equitãt, hinc fluẽtiore corpore, pręparatoq; ad concumbendum euadunt. Verùm Hippoc. immoderatã equitationem intelligit, & quæ perpetua est, ad quamq; ob continuitatem totius corporis lassitudo sequitur, quæ, vt optimè docet Paul. lib. 1. cap. 35. vna causa est abolendæ Veneris, atque potissima, q & corpus debilitet, & multos spiritus absumat, pręsertim in frigidissima regione.

Et ea quidem sunt causæ in viris.] i. infœcũditatis. est veluti epilogus primæ partis, sequit altera.

XLI.

Τῇσι δὲ γυναιξὶν, ἥ τε πιότης τῆς σαρκὸς καὶ ὑγρότης. οὐ γὰρ δύνανται ἔτι ξυναρπάζειν αἱ μῆτραι τὸν γόνον. οὔτε γὰρ ἐπιμήνιος κάθαρσις αὐτῇσι γίγνεται ὡς χρεών ἐστιν, ἀλλ' ὀλίγον καὶ διὰ χρόνου. τό, τε στόμα τῶν μητρέων ὑπὸ πιμελῆς ξυγκλείεται, καὶ οὐχ ὑποδέχεται τὸν γόνον. αὐταί τε ἀταλαίπωροι, καὶ πιεραὶ, καὶ αἱ κοιλίαι ψυχραὶ καὶ μαλακαί. καὶ ὑπὸ τουτέων τῶν ἀναγκαίων οὐ πολύγονόν ἐστι τὸ γένος τὸ Σκυθικόν.

Mulieribus verò carnis pinguedo, & humiditas: non enim vteri genitale semen ad se rapere possunt. Neq; quidẽ menstrua purgatio ipsi fluit, vt opus est, sed pauca, & rara: vteriq; os à pinguedine concluditur, & semen nõ recipit: ipsæq; otiosæ sunt, & pingues, ventresq; earum frigidi sunt, & molles. His de causis fit, vt Scythicum genus sit infœcundum.

Infœcunditatis Scytharum penes viros sumptas causas in superiori particula ꝓsecutus est Hippoc. Nunc eas, quæ à fœmina emergunt, ad censum reuocat, & inquit, primùm pinguedinem carnis, & humiditatẽ superfluã steriles fœminas reddere, quarum ratione vteri minimè possunt semẽ iam eiaculatũ à viro aut suscipere, aut susceptũ retinere. Valdè autem pingues intelligit, de quibus etiã Hippoc. 5. Aphor. 45. quæcunq; præter naturã crassæ nõ concipiunt vtero, iis omentũ os vteri comprimit, & priùs, q̃ extenuẽtur, non concipiunt. Vnde lib. de Natura muliebri idẽ repetebat, vbi inquit; si præter naturam crassescat mulier, nõ concipit; nam omentum crassum supariacẽs os vteri multum premit: quò fit, vt genituram non suscipiat. Eadem ad verbum repetit lib. de Sterilib. Vberior etiam, & hæc omnia ferè continens, est sententia posita lib. de Superfœt. Mulier, inquit, quæ præter naturam crassa est, & pinguis, & pituitã repleta, non concipit hoc tempore. Verùm Vesalius vir in Anatomica administratione, & cõsideratione omnium pręstantiss. lib. de Fabrica corp. hum. omnium optimè hanc Hippoc. sententiam exposuit, iis verbis: Arbitratur Hippocrates in huiusmodi fœminis molẽ incrementi omenti inter vterũ, & vesicam interpositi collectam & aggeratã, ita vteri os cõprimere, arctareq;, vt fœminis conceptum sese recludere, aperireve nequiret: & ceruicis vteri iuxta fundum aptitudo à pene, eoq; potissimùm languidiore, minusq; procero, ita distẽdi haud posset, vt semini in fundum vteri aditus pateret. Quod verò de humiditatis excessu dicebat, comprobat ex eodem Hippoc. lib. 5. aphor. 62. quæcunque frigidos, & spissos vteros habẽt, nõ concipiũt, & quæcunq; pręhumidos vteros habẽt, nõ cõcipiũt: extinguitur em̃ in eis genitura. Propterea aũt dixit præhumidos, vt excessum humiditatis ostenderet, siue simplex sit humiditas, siue cum humoribus aliis mixta. Hæc igitur retentricem vteri vim imbecillã reddit, & ipsum vterum lubricũ, ne semen continere possit, & quodammodo naturalis seminis calor suffocatur. Vnde dicebat reddens rationẽ, semen quasi extingui, perinde ac in cœnosa terra cerealia omnia. Prætarea humiditas alia ratione vbi excedat in vtero, sterilitatẽ producit; quia lubricum ita vterum facit, vt semen continere haudquaquam possit. Minorem etiam, q̃ par sit, & inordinatam sanguinis menstrui euacuationẽ superioribus libris ostensum à nobis longa oratione est, sterilitatem solere producere: quam causam inter potissimas in præsentia recenset Hippocrates, cui Scythicę mulieres admodum sint infœcundæ. Scythicis em̃ mulieribus *menstrua purgatio non fluit, vt opus est, sed pauca.*]

Καὶ διὰ χρόνου, & ex tempore.] Hac particula censeo Hippoc. nihil aliud sibi voluisse, q̃ prætęrquàm q parcè fluant purgationes menstruæ, id etiam nullo seruato certo ordine, & tempore, contingere. Non igitur satis commodè ij verterunt, q longum tempus eas dictiones transtulerunt: cùm iis verbis significari videatur longo tempore perdurare has fluxiones.

Vteriq; os à pinguedine concluditur, & semen non recipit.] Videri possit fortasse alicui eandẽ esse hãc causam, ac ea est, quæ superiùs dicta est de pinguedine: verùm illa ad omentum comprimens ipsum vterum, hęc verò ad os vteri pertinet. Postremò refert causam infœcunditatis in otium, quo refrigerantur partes omnes, & excrementitij humores colliguntur, tũ in vniuerso, tum verò potissimùm in vtero, tanquam cloaca.

XLII.

Μέγα δὲ τεκμήριον αἱ οἰκέτιδες ποιέουσιν. οὐ γὰρ

φθάνουσι πρὸς ἄνδρα ἀφικνεύμεναι, ἢ ἐν γαστρὶ ἴσχουσι, διὰ τὴν ταλαιπωρίην καὶ ἰσχνότητα τῆς σαρκός.

Magnum verò horũ signum famulæ faciunt; etiamsi enim neque viros appetant, in vtero tamen concipiunt propter exercitium, & carnis gracilitatem.

Videtur hic mihi Hippoc. comprobare eam, quam postremo loco infœcunditatis causam posuerat: dixerat enim immoderatũ otium, & vitam nimis desidem infœcundas Scythicas fœminas efficere: q, nec calor naturalis ob frigidam, & humidam excedentem regionis temperaturam, & aquarum crudarum quotidianũ vsum quasi extinctus otio etiã torpescat magis, ac sordibus quasi extinguatur, hic à contrario id verum esse comprobat. Seruæ enim Scytharum, quamuis nec ipsæ ob eandem illam tũ aëris, tum aquarum communem causam admodum sint salaces, si tamen viris misceantur, inquit, & cõcipere faciliùs, & vtero commodiùs gerere. Ita verò potiùs hanc partẽ mihi transferendam esse videtur, q̃ vt Cornarius, qui affirmatiuè proponit hoc modo primã partẽ, cùm dicit; nam hæ viris misceri plurimùm gaudẽt, cùm negatiuè potiùs id proposuerit Hippocr. Caluus enim ita hoc loco hæsitauit, vt neque Hippoc. hæc verba transtulerit omnia: quæ verò vertit, omnino contrariam Hippoc. habent sententiam, vt cuique constabit, qui hanc partem apud eũ legerit. Causa verò, inquit, huius diuersitatis duplicẽ esse dicit, exercitium, quo & humiditas superflua vteri consumitur, & carnis gracilitas inducitur, quæ fortasse ex exercitio pendet. Eo eñ & calor innatus excitatur, & superflua humiditas consumitur, & pinguedo superflua tollitur. Exercitium verò hic nõ verè exercitium intelligit, sed motum lenem, & mediocrem, qualis est deambulatio, & domestica negotiatio.

XLIII.

Ἔτι τε πρὸς τουτέοισιν εὐνουχίαι γίγνονται οἱ πλεῖστοι ἐν Σκύθῃσι, καὶ γυναικεῖα ἐργάζονται, καὶ ὡς αἱ γυναῖκες διαλέγονταί τε ὁμοίως· καλεῦνταί τε οἱ τοιοῦτοι ἀνανδριεῖς.

Amplius autẽ præter hæc inter Scythas Eunuchi plurimi fiunt, & muliebria officia obeũt, instarq; mulierum loquuntur; vocanturq; huiusmodi euirati.

Prosequitur Hippoc. hoc loco probare, q̃d iam & proposuerat, & probauerat, Scytharum gentem infœcundã esse: eo verò nititur hæc ratio, q, inter Scythas multi sunt, q eunuchi redduntur: vtitur autẽ Hippoc. hoc loco nõ vsitato nomine, q̃d est εὐνοῦχος, sed alio apud ipsum ferè solùm & Aristotelem vsurpato εὐνουχίαι, q̃d potest esse adiectiuũ, & Latinè esset, spadonius: aut certè substantiuũ est, & aliquo modo à nomine εὐνοῦχος distinguitur: quod insinuasse visus est Aristotel. in Problem. cùm dicit; οἷον συμβαίνει τοῖς εὐνούχοις, καὶ εὐνουχίαις: vnde in veteri Lexico Græco Latino traditum est εὐνουχίας testes habere posse, sed inutiles, q, effœminatus sit: εὐνοῦχον verò euiratũ, & castratum intelligi. Cæterùm q, ad etymon vocabuli attinet, εὐνοῦχος dicitur ἀπὸ τοῦ τὴν εὐνὴν ἔχειν καὶ ἐπιμελεῖσθαι (quoniam videlicet ad cubilium & gynæceorũ custodiã, curamq; cõparari solebãt. Iu eo mulieribus præstantiores, q, non adeò cum illis consentiant. Nam mulieres cõmuni consensu, & reginis, & nobilibus mulieribus, vt amatores habeant, inuicem consentiunt. Sunt etiã ancillis expeditiores, & ad coitũ inepti, ob exemptos testiculos, vel aliam ob causam; vel ab εὖ τὸ νοῦ ἔχειν, eò q, res venereæ αἰδοῖα ab antiquis dicerentur. Eustath. autem dictum vult quasi εὖνιν, i. ἐστερημένον, ὄρχεων. Verũ censeo, si qs Latino vocabulo eunuchũ vocare voluerit, lecticustodẽ nuncupare poterit, significato, quo tegatur iniuria naturæ facta. Sunt aũt Eunuchi, alij, q priuati sunt virilibus; alij, qui ob vitium aliquod in illis contractum, impotentes casu, aut arte redditi sunt: aliqui autẽ ob naturę impotentiam nõ generantis semen, aut in generatione spirituũ, & flatuũ, maximè deficientis. Ad Venerem eñ tria potissimũ necessaria sunt; membra inseruientia, materia, & spiritus eiaculationẽ faciens. Possunt aũt hæc deficere aut vi, artéve, aut naturâ, aut casu. Certum est hic de eunuchis vi, & arte factis, exsectis testibus, aut etiã membro virili, vt faciunt in pręsentia Turcę, minimè sermonẽ habere: neq; eñ referretur is morbus in Deos, neq; esset in veneratione, & ipse se explicat se intelligere de casu. Multos igitur inter Scythas inquit reperiri euiratos, & eunuchos, non spadones verè, quibus testes sunt exsecti: sed ex iis, qui impotentes sunt ad Venerem, quos frigidos, vel maleficiatos appellant.

Muliebria officia obeunt.] Texunt eñ, domum custodiunt, liberos educãt, supellectilem explorant, & denique mulieribus inseruiunt, tanquàm ancillæ, & earum curam habent.

Instarq; mulierum loquuntur.] id est, vocẽ acutam more mulierũ emittunt. Aristoteles, siue quis alius, lib. 11. probl. 65. quærit, cur pueri, mulieres, spadones, senesq; vocem reddant acutam. Redditq; causam, & inquit esse, quia parũ aëris attrahunt, tum ob imbecillitatem, tum fortasse etiam ob diminutum calorem. Verùm præstat verba Aristotelis hoc loco apponere, quæ q̃ plurima notatu digna continent, subibuntque vicem commentarij huius partis: inquit igitur: An q, motus velocior, qui acutior est? & cùm motus idem sit, motu facilius est, quod minus, quàm quod plus est. Quamobrem, qui firma ætate sunt, plus aëris trahere possunt. Plus igitur illud tardiùs permeans, vocem efficit grauiorem. Pueris, & spadonibus contrà res euenit, quoniam minus aëris capiunt. Senes autem ideò tremunt, quoniam vocem continere

non possunt, quomodo imbecillibus, & pueris vsu venit, cùm ligni prælongum parte extrema ceperint. Alterum enim extremum quatitur, quia nequeunt superare, quod tenent, & vincere. quod idem & trepidantibus hominibus; & metuentibus, & rigentibus, causam vocis tremulæ afferre credendum est. Cùm enim, qui vocem ita emittit, eius calor pulsus ab affectibus illis intrò se colligat maxima ex parte: reliquum, quod exiguum extat, vocem continere non potest: quapropter quatit & intremit. Vnde artium liberalium professores, qui se solitos trepidare nouerunt: principio agunt voce submissa, dum resideant, & stabiliantur: vocem enim exiguam vincere, continereq; facilius possunt. Quòd igitur frigidiora sint eunuchorum corpora, & calor eorum sit imbecillis, viæq; angustiores, in causa est, vt vox reddatur acutior. Vnum tamen retinent spadones, viri magis, quàm fœminæ proprium, quod est, quòd corpora eorum proceriora euadunt. De qua re, eiusque causa consulendus est Aristoteles sect. 10. Problem. probl. 38.

Vocanturq; huiusmodi euirati.] Nomen *ἀνανδριεῖς* placuit vertere euirati, secutus Græci nominis veram significationem & deriuationem.

XLIV.

Οἱ μὲν ἐπιχώριοι τὴν αἰτίην προστιθέασι θεῷ, καὶ σέβονται τούτους τοὺς ἀνθρώπους καὶ προσκυνέουσι, δεδοικότες περὶ σφῶν αὐτῶν ἕκαστοι.

Regionis quidem incolæ causam Deo attribuunt, & venerantur hos ipsos homines, & adorant, singuli sibi ipsis timentes.

Qua ratione Scythæ à Deo immissum illorum genti hoc morbi genus crediderint, non video expositores annotasse; cùm alioqui apud Herodotum hoc manifestè positum sit. Is enim libro 1. quem Clio inscribit, habet hæc verba: Porrò Scythæ vniuersa Asia potiti, hinc rectà in Ægyptum contendunt: quibus iam Syriam Palæstinam ingressis, Psammiticus occurrens Ægypti Rex, muneribus, precibusq; effecit, ne vlteriùs progrederentur. Scythæ verò regredientes, cùm in vrbem Syriæ Ascalonem peruenissent, plerisq; nullo illato damno prætergressis, pauci aliquot relicti Veneris Vraniæ fanum spoliârunt, omnium (quantum quidem intelligo) huius Deæ templorum vetustissimum: siquidem quæ in Cypro est eiusdem Deæ ædes, ex hac prodiit. Id quod ipsi etiam Cyprij referunt. Quinetiam illud apud Cytheros delubrum Phœnices ex hac Syriæ regione orti condiderunt. At verò Dea ipsa Templi spoliatoribus, eorumq; posteris morbum immisit fœmineum; quemadmodum & ipsi fatentur Scythæ, se videlicet illo morbo ob id laborare, & alios, qui in Scythiam veniunt, eo morbo affectos conspici, quos Scythæ ipsi enareas, i. exec rabiles, aut execrationi obnoxios appellant. Eos enim venerantur, & colunt, sibi ipsis timentes, ne illis simile accidat. Quinimò Sacerdotum & diuinatorum munus exercent apud Scythas. Hoc ita esse docet in Melpomene, cùm dicit: sed Enaries, qui sunt Androgyni, aiunt sibi a Venere traditam diuinationem, qui tiliæ fronde vaticinantur. Tiliam vbi quis trifariam sciderit, digitis suis eam implicando, & resoluendo tractat, atq; in hunc modum vaticinatur. Horum tres maximè probatos accersit Rex, quoties ægrotat, &c.

XLV.

Ἐμοὶ δὲ καὶ αὐτῷ δοκεῖ, ταῦτα τὰ πάθεα θεῖα εἶναι, καὶ τἄλλα πάντα, καὶ οὐδὲν ἕτερον ἑτέρου θειότερον, οὐδὲ ἀνθρωπινώτερον, ἀλλὰ πάντα θεῖα. ἕκαστον δὲ ἔχει φύσιν τῶν τοιούτων, καὶ οὐδὲν ἄνευ φύσιος γίγνεται.

Mihi verò affectus diuini quidem esse videntur, quemadmodum & reliqui alij: neq; etiam alius alio diuinior est, neque humanior, sed omnes diuini. Vnusquisque autem naturam habet; neq; aliquid sine natura fit.

Eorum hoc loco sententiam refellit, qui crediderunt morbum hunc Scytharum esse à Dijs immissum ob vindictam: omnes enim eodem modo diuinos, & humanos esse censet: nam primam causam Deum ipsum omnium rerum esse & ipse fatetur: at verò hæc immediatè operari, hoc est, quod negat: mediantibus enim causis secundis hæc efficere censet, & propterea dicit; vnusquisque naturam habet; neq; aliquid sine natura fit. Natura verò hæc, & secundæ omnes causæ à Diuina mente reguntur. Quapropter concedit ipse Deum cognoscere, & efficere, tanquam causa communis, at vti tanquam ministra natura. In eandem etiam sententiam iuit lib. de Morbo sacro, quisquis tandem ille sit auctor, doctus sanè, eruditus, & antiquus, vbi longa, & erudita oratione sententiam hanc proponit, & quibus fulciantur rationibus, qui huiusmodi sententiam sequuntur, docet, diluitq; præterea eorum rationes, atq; multis comprobat, morbos omnes diuinos esse, & humanos æqualiter, quia à Deo prima, & summa causa producantur, sed omnes naturales sunt, quia hac mediante natura omnes efficiantur. Verùm difficultatem fortasse facere posset sententia Hippoc. lib. 1. Progn. in Proœm. cùm dicit, considerandum esse, an in morbis quippiam diuinum reperiatur. Verùm hanc difficultatem Galenus loco citato sustulit, cùm per diuinum, ab aëre productum, aut ab astris calore genitum intellexit.

XLVI.

Καὶ τοῦτο τὸ πάθος ὥς μοι δοκέει γίγνεσθαι, φράσω. ὑπὸ τῆς ἱππασίης αὐτοὺς κέδματα λαμβάνει, ἅτε αἰεὶ κρεμαμένων ἀπὸ τῶν ἵππων τοῖς ποσίν. ἔπειτα ἀποχωλοῦνται καὶ ἑλκοῦνται τὰ ἰσχία, οἳ ἂν σφόδρα νοσήσωσιν. ἰῶνται δὲ σφᾶς αὐτοὺς τρόπῳ τοιῷδε. ὁκόταν ἄρχηται ἡ νοῦσος, ὄπισθεν τοῦ ὠτὸς ἑκατέρην φλέβα τάμνουσιν. ὅταν δὲ ἀποῤῥυῇ τὸ αἷμα, ὕπνος ὑπολαμβάνει ὑπὸ ἀσθενείας καὶ καθεύδουσιν. ἔπειτα ἀνεγείρονται, οἱ μέν τινες ὑγιέες ἐόντες, οἱ δ' οὔ. ἐμοὶ μὲν οὖν δοκέει ἐν ταύτῃ τῇ ἰήσει διαφθείρεσθαι

φθείρεσθαι. εἰσὶ γὰρ παρὰ τὰ ὦτα φλέβες, ἃς ἐάν τις ἐπιτάμῃ, ἄγονοι γίνονται οἱ ἐπιτμηθέντες. ταύτας τοίνυν μοι δοκέουσι τὰς φλέβας ἐπιτάμνειν. οἱ δὲ μετὰ ταῦτα ἐπειδὰν ἀφίκωνται παρὰ γυναῖκα, καὶ μὴ οἷοί τε ὦσι χρῆσθαι σφῆσιν αὐτῇς, τὸ πρῶτον οὐκ ἐνθυμεῦνται, ἀλλ' ἡσυχίην ἔχουσιν. ὁκόταν δὲ δὶς καὶ τρὶς καὶ πλεονάκις αὐτέοισι πειρωμένοισιν, μηδὲν ἀλλοιότερον ἀποβαίνῃ, νομίσαντές τι ἡμαρτηκέναι τῷ θεῷ, ὃν ἐπαιτιῶνται, ἐνδύονται στολὴν γυναικείην, καταγνόντες ἑωυτέων ἀνανδρίην, γυναικίζουσί τε καὶ ἐργάζονται μετὰ τῶν γυναικῶν, ἃ καὶ ἐκεῖναι.

Quomodo ergo hic affectus fieri mihi videtur, dicam. Propter equitationem diuturni eos corripiunt articulorum dolores, nimirum pendentibus semper ex equis eorum cruribus. Deinde claudi fiunt, contrahunturq́; coxendices, cùm morbus inualuerit. Hoc autẽ modo sibiipsis medentur: Morbo inchoante, vtranque venã post aures secant. Cùm verò effluxerit sanguis, somnus superueniens præ imbecillitate, & obdormiscunt, deinde expergiscuntur: aliqui quidem sani existentes, alij verò minimè. Mihi quidem videtur, in hac medicatione seipsos perdere: Sunt enim post aures venæ, quas si quis secuerit, ij, quibus secãtur, steriles fiunt. Has ipsas igitur venas secare mihi videntur. Hi verò postquam ad vxores accedunt, nec cum illis rem habere possunt, primò quidem nihil suspicantur, sed quiescunt. Cùm autem bis, aut ter, aut etiam amplius opus tentârint, neq; diuersum aliquid accidat, existimantes aliquid in Deum peccasse, in eum causam reijciunt, muliebrem vestem induunt, euiratos se esse confitentes, & muliebriter viuunt, & exercent cum mulieribus, quæ & ipsæ operantur.

Aggreditur iam causam naturalem reddere impotentiæ ad Venerem, quæ est, sectio venarum post aures; vt verò ostenderet, qua ratione secarent venas istas, debebat ostendere, in quibus morbis curãdis id præstarent, sed neq; hoc priùs, nisi cùm morbus is sit communis, ostendisset etiam à causa communi prouenire; ea verò erat assidua equitatio, quæ ad viuendi rationem pertinet. Cùm enim, vt ab initio dicebamus, perpetuò ferè vitam degunt equo insidentes, ob equitationem hanc assiduam inferiores partes humoribus replentur, tam bonis, quàm excrementitiis, potissimùm tibiæ, pedes, coxę, & coxendices, cùm ex equitatione crura ex equis semper pendeãt: vnde crassiores ij humores, qui in corpore, tum ex mala victus ratione, tum ex intempestiua exercitatione generãtur, omnes ad inferna descendunt: vnde dolores articulares, & potissimùm podagra, atq; coxendicus affectus, accedente maximè crurum imbecillitate, cruribus diuaricatis, atq; dilatatis. Potissimùm cùm carerẽt eo tempore, vt ex antiquis statuis quilibet colligere potest, stapedum commoditate: pendebant enim ex ephippiis crura magno incommodo. Equitatio igitur huiusmodi facit dolores acres, coxendicũ primùm, mox contractis iis partibus, claudicant. Vnde liquidò constat, claudicationem in coxẽdico morbo factam fieri eo decurtato, nõ autem longiore facto, vt multis visum est. Non negauerim tamen in quibusdã accidere, vt crus patiens dolorem extendatur, cùm fuerit ex sola luxatione: cùm enim articulus exciderit, necesse est membrum reddi longius. Docebat Galenus 2. de Tuend. val. cap. 8. equitationem non modò exercitationẽ dici posse, sed opus. Quod cap. 11. declarat, docens, quòd, qui equitat, oculos exercet, spinã dorsi, crura quoque, & femora: quinimò & collum laborat, & intestina agitantur. Cùm igitur adeò sit immoderata, & incommoda, vbi assidua sit, potissimùm sine stapedum auxilio, confluũt humores ad inferas partes, & dolent. Ex dolente autẽ parte itidem humores magis attrahuntur; vnde tum propter dolorem, tum propter contractionem, aut etiam luxationem claudicent; nisi vtantur, dicebat Hippoc. 6. Aphor. vlt. Quapropter hæc non possunt ipsi perferre incommoda, sed aliquo modo conantur illa auertere. Ideò subdit, [*Hoc autem modo sibiipsis medentur. Morbo inchoante venam vtranque post aures secant.*] Aggreditur docere modum, quo occurrebãt huic morbo, vt ostendat ex hac curandi ratione pendere affectum illũ, de quo principalis est disputatio; impotentia nempe Veneris. Non est autem vera hæc curatio; quando docuerit Galen. lib. 14. Meth. med. cap. 13. eam dici veram curationẽ, quæ quidem si non iuuat, saltem non lædat. At verò in medicatione hac Scytharum tantum abest, vt curaretur morbus, vt in plurimis in multò deteriorem affectum transmutaretur. Multò enim deterius est sterilem, aut etiam, quòd multò magis est, ad Venerem impotentẽ esse, quàm esse claudum: inter enim affectus perpetuos minimus ferè censetur. Quæ, qualésve sint venæ istæ, quę secantur post aures, qualisque sit earum ortus, processus, & finis, exquisitè admodum docuit nos doctissimus Vesalius lib. 3. cap. 7. cuius verba sunt: Exterior externæ venæ iugularis portio p capitis exteriora passim repens, mox glandulas suis quoque distributionibus præfectas obtinet, quæ inibi sub aure reponuntur, vbi inferior maxilla superiori articulatur. Præsens portio inter has glandulas bipartitur, & uno ramo in buccas, narium alas, & ad frontem variè exporrigitur: altero autem tempus, & auris regionem adit. Hic enim ramus denuò in duos pręcipuos surculos diuisus, vnum in sui lateris tempus admodũ errabundo, & inuoluto ductu digerendum offert, alterũ verò post aurem, & ad occipitis cutem diffundit, exterioris iugularis soboles, in faciem, ac capitis cutem digestæ, hoc sibi priuatim vendicant, quòd dextrã

lateris venæ sinistri lateris venis, quibusdã sedibus permisceantur, & inuicem coëant, idque potissimùm in facie, & vertice, & inprimis adhuc in fronte: adeò vt frontis vena plerunque ab vtrarumque iugularium propaginibus per internos oculorum angulos sursum deductis confletur. Ad hæc per exigua verticis ossium foramina, & suturas, gracillimæ venulæ in caluariam procidunt, non aliter, atque rursus ex caluaria in cutem alias emergere tunc dicã, quando cerebri vasorum seriem priuatim enarrabo. Quippe hoc opportunè tantisper, dum in caluariæ arterias sermonẽ produxero, asseruabitur, quòd varia sit cerebri, venarũ, arteriarumq; permixtio, quam, incognito adhuc arteriarum ad caluariam deductu, arduum foret percipere.

Cùm verò affluxerit sanguis, somnus superuenit præ imbecillitate, & obdormiscunt.] Iis verbis ostendit Hippocrates, fortasse nõ solùm ob sectas has venas, quatenus tales, ea sequi, sed etiam quòd refrigeretur cerebrum, à qua parte & superiùs ostendimus, & infrà patebit, credidit Hippoc. multam seminis copiam transmitti. Dixit enim *ἀπῤῥυῇ*, quod nos affluere, id est, abundanter, & copiosè fluere traduximus, id ipsum, quod diximus, indicans. Quod etiam clariùs ostendit, cùm ad hãc affluxionem, & imbecillitatem sequi scribit, & per consequens somnum, & somnum profundum: quod etiam magis nobis ob oculos posuit; cùm, postquam dixit somnum superuenire, addit, & obdormiscunt.

Aliqui quidẽ sani existentes, alij verò minimè.] A' somno, inquit, aliqui sani euadũt, quidam minimè, quos constat deteriùs affectos esse ex hac sanguinis missione. Sed quinam sunt, qui sectis iis venis post somnũ sani euadebant, & qui in deterius labebantur, & quæ causa huius differentiæ? Quibuscunque & vires erunt validæ, & affluxus hic sanguinis erat aut humorũ non multum à natura sanguinis distantium, ij retractis humoribus affluentibus, & in contrariam partem reuocatis, facilè poterunt ad sanitatem reuocari: maximè cùm esset copiosa admodum hæc euacuatio. Membra eñ superiora alimento & sanguine destituta, ab aliis partibus attrahunt humores, quos postea aut in sui substantiam vertunt, aut in halitũ dissipant, & consumunt. Quibus verò humores in eas partes defluxi pituitosi, aut biliosi, aut melancholici inueniebantur, & vires non ita validę erant, sectis iis venis, spiritibus inanitis, calore languido reddito, neque tamen retracto humore, non modò affectio non ibat in melius, sed omnia in deterius ruebant: refrigerabãtur enim omnes principes partes, & quasi eneruatæ, aut debilitatæ languescebãt: & sequebatur inde, vt à podagricis affectibus nõ curarentur, maius autem malum etiam incurrerent, & euirati redditi impotentes ad Venerem redderentur.

Mihi quidem videntur in hac medicatione seipsos perdere. Sunt etiam post venæ, quas si quis secuerit, ij, quibus secantur, steriles fiunt.] Quæ hoc loco ab Hippoc. de venarum post aures sectione dicuntur, ad quam sequitur sterilitas, & ad Venerem impotentia, repetita sunt ab eodẽ, si modò Hippoc. censendus est liber ille de Genitura, iis verbis: Quibuscunque venæ post aurem sectæ sunt, ij coëunt quidem, & genituram emittunt, verùm modicam, & infœcundam, & debilem: nam plurima genituræ pars à capite iuxta aurès in spinalem medullam procedit: ipse autẽ transitus cicatrice sectione inducta cõsolidatus est: sicq; causam etiam declarat. Idem affirmauit lib. de Locis in homine, cùm dicit: Aliæ duæ venæ à vertice iuxta aures ab anteriore colli parte vtrinque ad cauam venam appellatam feruntur. Hę & infœcundum faciunt hominem, cùm fuerint sectæ, &c. Auicen. lib. 3. Fen. 20. cap. 3. proposita hac sententia Hippoc. dicit Galenũ hac in re ambiguum esse, verãne sit hæc Hippocratis sententia, nempe an à sectis venis post aures sterilescant homines: id verò fortasse dixit Galenus in Commentariis, quos se ad hos libros scripsisse docuit lib. de Libris propriis. Ipse autem veram esse dicit sententiam Hippoc. quamuis non sit verum genituram à cerebro proficisci. Sed inquit, cõtingere hoc quidem, vt sectis venis post aures, sterilescant homines, quòd ad fœcundum efficiendum semen debent, & materia & spiritus à principalibus membris, potissimùm autem à cerebro, transmitti. Verùm aliud est, loqui de sterilitate, aliud de impotẽtia: hoc loco impotentes omnino reddi scribit ad Venerem: at lib. de Genitura, & de Locis in homine, & semen emittere, & rem veneream exercere posse eos scribit, quib⁹ sectæ sint venę post aures, sed infœcundum, & debile semen reddi: quæ nullo modo inter se dissentiunt: nã quamuis sectis venulis post aures (intelligit aurem transuersim) intercipiatur via sanguini, & seminali materiæ, & spiritibus ex hac parte, quominus ad loca ad generationem instituta deferantur: attamẽ remanet via patens per spinam dorsi. Sed infœcundum remanet semen, quòd per eas partes spiritus deferatur simul cum sanguine. At verò per spinã dorsi ob frigiditatem materia spiritus in minori quãtitate perfertur. Quòd si hoc loco non modò infœcundos effici, sed omnino euiratos, & ad Venerem impotentes reddi scribit Hippoc. sectis iis venis, vtique verum etiam hoc esse potest, si illud adiungamus, qđ vtiq; adiungit Hippoc. qua de re in aliis locis præcitatis nullam facit mentionem: sectis enim illis venis, permittebãt effluere magnam copiam sanguinis, ex qua & pars imbecilla reddebatur, & spiritus inaniebatur, & tandem nõ modò caput, sed & subiacentes partes; & vniuersum corpus frigidum, molle, atq; effœminatum reddebatur. Quod etiã insinuasse superiùs docuimus, tũ per dictionem (*affluxisse*) tum q, ad eam & somni profundi sequebãtur: quemadmodum enim homo non potest viuere cum

re cum dimidio cerebro; ita nó potest generare dimidio illius perfrigerato, vt materia, ex qua semen generatur, concoqui nó possit. Non quidem, q totum semen, aut materia seminalis à toto descendat; sed quia plus ex eo, & magis necessarium emanat, tanquam à membro principali. Faciliùs verò patitur, & vitiatur cerebrũ exangue. Neq; verò dicendum est, quod aliqui faciũt, venas illas externas esse, nihilq; ad substantiam cerebri pertinere. Falsum enim hoc esse vel ex ipsa ab Andrea Vesalio tradita earum descriptione, & insinuatione facilè cõstat: nam venæ istæ in cerebrum per cranei suturam facilè penetrant. At si quis obiiciat; quare igitur, quæ sunt in fronte, nó idem incommodum afferunt? illis vtique satisfaciam, neq; eas in cerebri substantiam inferri, neq; tantá copiam sanguinis deferre. Quòd si fortè etiam ab ea multus sanguis inaniatur, ad quam euacuationem refrigeretur cerebri substãtia, & inaniantur spiritus, proculdubiò dixerim, & exinde fortasse impotentiam hanc secuturam. Et hæc pro explicatione huius longæ particulæ sufficiãt: quę enim sequuntur, cùm ferè solùm ad historiam pertineant, nec vllam eruditioné afferant, consultò tanquàm clara relinquimus.

XLVII.

Τοῦτο δὲ πάσχουσι Σκυθέων οἱ πλούσιοι, οὐχ οἱ κάκιστοι, ἀλλ' οἱ εὐγενέστατοι, καὶ ἰσχὺν πλείστην κεκτημένοι διὰ τὴν ἱππασίην· οἱ δὲ πένητες, ἧσσον. οὐ γὰρ ἱππάζονται. καίτοι ἐχρῆν, ἐπεὶ θειότερον τοῦτο τὸ νόσευμα τῶν λοιπῶν ἐστιν, οὐ τοῖς γενναιοτάτοις τῶν Σκυθέων καὶ τοῖς πλουσιωτάτοις προσπίπτειν μούνοις, ἀλλὰ τοῖς ἅπασιν ὁμοίως, καὶ μᾶλλον τοῖσιν ὀλίγα κεκτημένοισιν, οὐ τιμωμένοισιν ἤδη, εἰ χαίρουσιν οἱ θεοὶ καὶ θαυμαζόμενοι ὑπ' ἀνθρώπων, καὶ ἀντὶ τουτέων χάριτας ἀποδιδοῦσιν. εἰκὸς γὰρ τοὺς μὲν πλουσίους θύειν πολλὰ τοῖς θεοῖς, καὶ ἀνατιθέναι ἀναθήματα ἐόντων χρημάτων, καὶ τιμᾶν. τοὺς δὲ πένητας, ἧσσον, διὰ τὸ μὴ ἔχειν. ἔπειτα καὶ ἐπιμεμφομένους, ὅτι οὐ διδόασι χρήματα αὐτοῖσιν. ὥστε τῶν τοιούτων ἁμαρτιῶν τὰς ζημίας, τοὺς ὀλίγα κεκτημένους φέρειν μᾶλλον, ἢ τοὺς πλουσίους. ἀλλὰ γὰρ, ὥσπερ καὶ πρότερον ἔλεξα, θεῖα μὲν καὶ ταῦτα ἐστὶν ὁμοίως τοῖς ἄλλοις. γίγνεται δὲ κατὰ φύσιν ἕκαστα. καὶ ἡ τοιαύτη νοῦσος ἀπὸ τοιαύτης προφάσιος τοῖς Σκύθῃς γίνεται, οἵην εἴρηκα.

Hoc autẽ patiuntur Scytharum ditißimi, non infimi, sed nobilißimi, & qui potentia multa pollent ob equitationem, pauperes verò minùs; non enim multũ equitant. Atqui opus erat, si reliquis diuinior est hæc affectio, non generosißimis Scytharum, & ditißimis solis accidere, sed omnibus æqualiter, & magis ijs, qui pauca poßident, nec Deos venerantur, si modò gaudent Dij ab hominibus venerari, & pro ijs beneficia retribuunt: Verisimile enim est, diuites quidem sæpiùs Dijs sacrificare, & donaria offerre, vt qui opibus abundent: pauperes autem minùs, quòd eas non habeant: quin & eos incusantes, quòd ipsis pecunias non suppeditent: vt perinde verisimilius sit inopes hoc malo propter crimina laborare magis, quàm diuites. Verùm (vt anteà dixi) sacra quidem, & hæc, vt alia sunt, naturâ verò quælibet fiunt. Et hic quidem morbus, à tali, quam dixi, causa Scythis accidit.

Docuerat superiùs naturalem causam impotentiæ ad Venerem, qua multi Scytharum corripiuntur, vt ostenderet morbum hunc nó magis esse diuinitùs immissum, q̃ reliquos omnes; eamq; esse dixerat assiduam equitationé, qua cùm homines podagra, arthritide, & neruorum contractione corripiũtur, vt ab eo morbo liberentur, sibi venas post aures secare permittebant, ex iisq; multũ sanguinem effluere. Nunc duplici ratione probat hoc idem, nempe non esse diuinos hos affectus. Primùm autem est eiusmodi; si morbus is esset à Diis immissus, æqualiter omnes, tam diuites, & potentes affligeret, q̃ ignobiles, & pauperes. Atqui solet hic morbus ditissimos potiùs, & multa potẽtia valentes magis affligere, minùs autẽ pauperes. Igitur hic morbus à Diis nó est immissus. Maiorem nó probat, sed secundo loco ponit: sed potest fortasse colligi ex iis, quæ in secunda argumentatione sumuntur. Siquidẽ si Dij iustitiam administrant, & vniuersaliter operantur, æquè tam in pauperes, q̃ in diuites debẽt immittere. Minorem supponit, tanquã certam experiẽtia, & ex historia. Loco verò probationis subdit rationem, quare potiùs diuites hoc morbo laborent, q̃ pauperes, desumptã ex iis, quæ superiùs dixerat, q illi multò magis assiduè equitent, secus, quàm pauperes. Qui verò assiduè magis equitant, magis etiam contractione neruorũ, & doloribus articularibus corripiũtur: qua ratione fit, vt etiam sæpiùs, & frequentiùs in nobilibus, & diuitibus opus sit ea medicatione, nempe sectione venarũ post aures. Pòst idem probat alio argumento, ex eodem rũ fonte desumpto: [*Et magis ijs, qui pauca poßident, nec Deos venerantur.*] Est verò argumentatio: Si hæc affectio cæteris diuinior esset, vtiq; magis eos infestaret, q pauca possident, & Deos non venerantur. Sed affectio hæc non magis eos infestat, qui pauca possident, & Deos non venerantur; igitur non est cæteris diuinior. Maior probat ab Hippoc. Si Dij gaudent, & ab hominibus venerari, & pro iis beneficia retribuunt, verisimilius est eos magis in illos morbum hunc immittere, à quibus non venerãtur: tales verò sunt pauperes: Diuites autẽ, & magis Deos venerantur, & victimas illis sacrificant, q etiã magis pecuniis affluant. At pauperes neq; ita Deos venerantur, nec illis victimas offerunt, cũ potiùs Deos & incusent, & detestentur, q opes illis nó suppeditauerint. Quod fit, inquit, vt verisimilius sit, si diuinitùs immissus esset hic morbus, vt potiùs pauperi-

bus eum morbũ Dij immitterent ad vindictam si mẽdam de execrationibus, quàm diuitibus; secus quàm fieri experientia ostendat. Hæc sunt, quæ tanquã Philosophus, & Philosophus Ethnicus, hoc loco probabiliter argumentãdo, proponit Hippoc. quę cùm in multis à veritate Christiana q̃ maximè abhorreant, pertineantq; ad ea, quæ de Prouidentia Diuina censuerunt Philosophi, cùm extra nostrum propositum in pręsentia ea sint, à nobis relinquuntur. Nos ẽm in præsentis nihil ampliùs facimus, q̃ sententias Hippoc. obscuras, quantũ imbecillitas nostra fert, dilucidas facere. Cùm verò hæc sententia & longiori oratione, & dilucida admodum ab Hippoc. tradita sit, multũ laboris nobis hoc loco erit sublatum.

XLIIX.

Ἔχει δὲ καὶ κατὰ τοὺς λοιποὺς ἀνθρώπους ὁμοίως. ὅκου γὰρ ἱππάζονται μάλιστα καὶ πυκνότατα, ἐκεῖ πλεῖστοι ὑπὸ κεδμάτων καὶ ἰσχιάδων, καὶ ποδαγριῶν ἁλίσκονται καὶ λαγνεύειν κάκιστοί εἰσι. ταῦτα δὲ τοῖσι Σκύθῃσι πρόσεστι, καὶ εὐνουχοειδέστατοί εἰσιν ἀνθρώπων διὰ τὰς προφάσιας, καὶ ὅτι ἀναξυρίδας ἔχουσιν αἰεὶ, καί εἰσιν ἐπὶ τῶν ἵππων τὸ πλεῖστον τοῦ χρόνου. ὥστε μήτε χειρὶ ἅπτεσθαι τοῦ αἰδοίου, ὑπό τε τοῦ ψύχεος, καὶ τοῦ κόπου ἐπιλαθέσθαι τοῦ ἱμέρου καὶ τῆς μίξιος, καὶ μηδὲν παρακινεῖν πρότερον, ἢ ἀνανδρωθῆναι. περὶ μὲν οὖν τῶν Σκυθέων οὕτως ἔχει τοῦ γένεος.

Circa reliquos verò etiam homines res se habet similiter. Ibi enim maximè, & frequentissimè equitant, ibi plurimi ab articulorũ, & coxendicum doloribus, tum & podagris corripiuntur, & ad concubitum imbecilles fiunt. Hæc verò Scythis adsunt, & ijs de causis omnium hominum ad coitum minimè sunt idonei: tum etiam quia braccas semper habẽt, & plurimo tempore equis insidẽt: ita vt neq; penem manu tractare liceat, atq; præ frigore, & lassitudine, delectationis & congressus obliuiscãtur: & nihil potius habẽt, q̃ vt euirentur: & hæc quidem de Scytharũ gente.

Videtur mihi Hippoc. hac particola nihil aliud præstare magis, q̃ confirmare causam, cur in Scythia tam multi reperiantur eunuchi, vel potiùs euirati. Neq; tñ extra locũ suum, vt fortasse alicui videri posset. Cùm ẽm docuisset superiùs, vt iam docuimus, duplici ductus argumento, morbũ hunc adeò Scythis communem non esse magis diuinum, q̃ reliqui sint morbi, quorũ manifesta est naturalis causa, dixissetq; veluti per epilogum, omnes tandem æqualiter morbos esse diuinos, & humanos, sed omnes naturalem secum causam habere: subdit tandẽ, [*Et hic quidem morbus à tali causa, quam dixi, Scythis accidit.*] Hæc verò erat saltẽ remota, cõtinua equitatio; nunc veluti ad maiorem huius rei corroborationem hoc ita esse confirmat exemplo etiam aliorum particularium, in quibus hoc obseruatũ est, q̃ vbi adeò assiduè equitant, doloribus articularibus, & partiũ inferiorum contractione corripiuntur. Docet autem impotentiam hanc ad Venerem, etsi, vbi absoluta sit, ita vt nullo modo rem habere cum mulieribus possint, accidere quidem ex earũ venarum post aures sectione, & multa p eas partes sanguinis effluxione: attamẽ etiã eos, in quibus nõ secantur eæ venæ, ob multas alias, quas recenset, causas, etiam maximè esse ad congressus venereos torpidos. Vnde, inquit, etiã reliquos Scythas omnium minimè ad Venerem esse idoneos: id verò primùm refert in continuã equitationem, idque aliorum etiam exemplo probat: q̃, cùm adeò assidui sunt in equitatione, minuit coëundi facultas. Aliam communẽ causam affert, & inquit; eò q̃ semper ἀναξυρίδας habẽt. Sunt verò ἀναξυρίδες braccarum genus testes angustè subligans, vt & Suidæ, & Eustathio, & Hesychio placet. Vtuntur verò eo, vt commodiùs possint equis insidere, & citra impedimẽtum. Fit verò, vt ob continuũ illius vsum testes angustia compressi neq; augeantur, neq; probè nutriantur: quò fit, vt cùm quasi atrophia laborent, & meatus, p quos transit semen, & spiritus, sint coarctati, minùs idonei reddantur ad congressus venereos. Ponit etiã aliam causam, cùm dicit, [*Et longo tempore equis insideant.*] hic nõ eadem est tradita causa, ac ea, quæ superiùs allata est. Siquidem superiùs ex continua equitatione volebat sequi, ob nimiam compressionẽ earũ partium, & agitationem lumborũ, qua dissoluantur spiritus, ignauiam illã. Hic verò ex eo, q̃ cùm continuè equis insideant, neq; membra genitalia tractare possint, neq; ob frigus, quod patiũtur, aut lassitudinem, vlla apud eos relinquitur recordatio aut delectationis, aut congressus venerei. Loquitur autem de ea tractatione manibus, quæ in congressibus fit, vt concalescãt: abstinentes enim ab exercitatione, functionis eius fiunt impotẽtes. Facit & ad hoc frigus, quo omnia rigent, & contrahuntur.

[*Et nihil potius habent, quam vt euir. &c.*] Non intelligit hic Scythas liberari hoc morbo corripi. Sed q̃ cùm continua equitatione contrahãtur inferiores partes, nihil habent potius, q̃ vt secentur venæ illæ pro curatione, ad quã sectionem sequitur, vt euirentur. Quamuis autem hic Hippoc. assiduam illam equitationem ita vituperet, vt ex ea euirari homines scribat; nõ propterea censendum est, omnem equitationem etiam inualidam, id præstare: docet ẽm oppositum Philosophus 4. probl. 12. cùm equitationẽ assiduam ad Venerem concitatiores efficere docet: supponit ẽm exercitij loco id fieri, & commodè; ita vt nõ modò ex ea eneruetur corpus, sed potiùs validius reddatur. At vbi ita excedat modum, vt nimis delassentur corpora, tantum abest, vt ad Venerẽ ex ea promptiores reddantur, vt delassati languescant. Quod insinuauit Aristoteles 5. probl. 31. vbi delassatis admodum semẽ per somnũ profluere scribit, q̃ quasi colli-

quescat corpus. Solet autem gonorrhœa, qualiscunque sit, debilem reddere hominē ad concubitum: tum quia minuitur materia, tum quia humectantur nimis partes illæ. Tum demum, facta peroratione, se hactenus de Scythis egisse scribit: & meritò, quòd maiorem partem huius tractationis, quæ ad Europam pertinet, in Scytharum tractatione consumpserit.

XLIX.

Τὸ δὲ λοιπὸν γένος τὸ ἐν τῇ Εὐρώπῃ διάφορον αὐτὸ ἑωυτῷ ἐστι, καὶ κατὰ τὸ μέγεθος καὶ κατὰ τὰς μορφὰς διὰ τὰς μεταλλαγὰς τῶν ὡρέων, ὅτι μεγάλαι γίνονται καὶ πυκναί. καὶ θέρεά τε ἰσχυρὰ, καὶ χειμῶνες καρτεροὶ καὶ ὄμβροι πολλοὶ, καὶ αὖθις, αὐχμοὶ πολυχρόνιοι, καὶ πνεύματα, ἐξ ὧν μεταβολαὶ πολλαὶ καὶ παντοδαπαί. ἀπὸ τουτέων εἰκὸς αἰσθάνεσθαι καὶ τὴν γένεσιν ἐν τῇ συμπήξει τοῦ γόνου ἄλλην, καὶ μὴ τῷ αὐτῷ αὐτὴν γίνεσθαι, ἔν τε τῷ θέρει, καὶ τῷ χειμῶνι, μηδὲ ἐν ἐπομβρίῃ καὶ αὐχμῷ. διότι τὰ εἴδεα διηλλάχθαι νομίζω τῶν Εὐρωπαίων μᾶλλον, ἢ τῶν Ἀσιηνῶν, καὶ τὰ μεγέθη διαφορώτατα αὐτὰ ἑωυτοῖσιν εἶναι κατὰ πόλιν ἑκάστην. αἱ γὰρ φθοραὶ πλείονες ἐγγίγνονται τοῦ γόνου ἐν τῇ ξυμπήξει ἐν τῇσι μεταλλαγῇσι τῶν ὡρέων πυκνῇσι ἐούσῃσιν, ἢ ἐν τῇσι παραπλησίῃσι καὶ ὁμοίῃσιν.

Reliquū autē in Europa hominū genus inter se diuersū est, tū secūdum magnitudinē tū secūdum formas, ꝓpter temporū anni mutationes, quia fiunt magnæ, & frequētes, & æstus graues, & hyemes fortes, & pluuia multa, rursusq; siccitates diuturnæ, & venti: ex quibus mutationes multæ, & cuiusuis generis fiunt. Quamobrē par est generationem persentire diuersitatē in seminis concretione, neq; eādē eandē fieri æstate, & hyeme, neq; in pluuia, & siccitate. Quapropter forma differunt, vt existimo, Europæorū magis, quàm Asianorū, qui & magnitudines diuersissimas ad inuicē secundū singulas ciuitates habent. Plures enim corruptiones innascuntur semini in concretione in mutationibus temporum, quæ frequēter fiunt, quàm si eædem sint, & similia.

Aggressus Hippoc. Europæorū tractationē, cum Asianos in hoc ab Europæis longè diuersos esse dixisset, q̄ non ita formis inter se distinguantur, atq; ab aliis differāt, quemadmodum Europæi: id verò accidere dixerat ꝓpter paruā temporum anni mutationem: statim in principio tractationis Europæorum aggressus est de Scythis agere, tanquā de iis, qui, præterquàm q̄ longè maximā Europæ partem continent, id etiā haberēt peculiare, vt ab aliis omnibus Europæis viuendi genere, formis & corporū magnitudinibus lōgè essent diuersi: quamuis hoc habuerint postea peculiare, q̄ inter se essent forma simillimi. Nunc de reliquis in genere Europæ populis agit, & inquit, & gētes inter se maximè esse diuersas: & quinimò etiam in eadem regione, & prouincia, quin & ciuitate, magis homines forma & magnitudine inter se esse & differentes, idq; in temporū anni magnas, & varias mutationes refert, & in hūc modum inquit: [*Reliquum autē in Europa hominū genus inter se diuersum est, tum secundùm magnitudinem, tum secundum formas.*] Subdit statim causam, propter temporum anni mutationes. Cùm Europæ pars hæc reliquis sit magis in medio, quàm Libya, aut Scythia, qualitas aeris maiorē faciet mutationem: illi enim perpetuo calore ferè æstuantes, hyemem vix vllam persentiunt: quin si qua est, nō tam frigore cognoscitur, quàm pluuiis: non est autem nunc sermo de Ægypto. Scythæ autem frigore ferè, & niuibus perpetuis algentes, nullam ferè temporum mutationem persentiunt. Qui verò medium locum tenent, magnas temporum mutationes à frigore ad calorē, & è contra, tum & à siccitate ad humiditatem, & vicissim ab hac ad siccitatem. Quòd autem in Europa differant, & magnitudine, & forma, vel ipsa experientia in magnis prouinciis id constat. Hispani vt plurimum corpore funt aliquātum paruo, colore ad nigrum vergente, capillo nigro, corpore in pluribus macilēto, agili, & neruoso. Galli statura corporis aliquanto maiore, colore albi, capillo subrufo, corpore magis carnoso, non satis agili, atq; torpido potiùs. Germani magna ex parte adhuc maiores, carne alba, barba, & capillo capitis rufo, carne flaccida, & nō multum musculosa. Itali mediocritatem in iis omnibus præ se ferunt: Et quamuis multò iis trib⁹ prouinciis magnitudine sit inferior Italia; videre tamen est etiam multò maiorem tum in magnitudine corporum, tum in formis diuersitatem: videas enim Neapolitanū, & eos omnes, qui tractum illum incolunt, statura corporis mediocri, corpore nō pingui, sed potiùs carnoso, & non multum crasso, capillo nigro, carne aliquantum subnigra, facie nulla ex parte effœminata, sed potiùs aspera, & bellicosum referente. Romani, & eam partem incolentes, procero magis corpore, & in cęteris dimensionibus optimè respondente, cute non ita fusco colore prædita, sed non alba, capillo nigro, sed plano, viribus firmis, aspectu bellicoso. Qui verò tractum hunc nostrum incolūt, & magna vt plurimum sunt structura corporis, & carnosa etiam, aliquantumq; crassa, & pingui; capillo non ita nigro, carne, & cute molli, & alba, ruborem verò referente, viribus validis, quę tamē non ita firmæ sint, facie perpulchra, at non ita bellicā constantiam referente. Verùm & in hoc tractu videre est maximā differentiā: quis enim non videat Cremonēses, Brixianos, & Vicentinos, potiùs Neapolitanū nescio quid præ se ostēdere; cùm & maiori ex parte colore sint magis nigro, q̄ Mediolanēses, capillo obscuro, facie aspera, & magis bellicosa. Nouocomenses videas cute alba, capillis minùs obscuris, & ad rufedinem vergētibus, facie perpulchra, rubore affusa, quæ nihil asperi, aut bellicosi præ se

ferat. Gennensem videre licet, ita ab iis omnibus differentem, tum magnitudine corporis, tum figura extrinseca, vt non in Italia natum, sed aliunde delatum ad hanc regionem, quiuis suspicari facilè possit. Ferrariensem & loquendi modo, & facie asperum, dirum, ferreúmve nescio quid in se habere facies ostendit. Sed quemadmodum in corporis structura, & forma faciei inter se hos ipsos distinctos videmus; ita multò maior obseruata est diuersitas in iis, quæ ab animo pendent. Distinguuntur præterea miro quodam modo tum viuendi ratione, tum in iis, quæ ad varietatem vestitus attinent. Quæ omnia prosequi non est consilium nostrum, neque cætera recensere, in quibus vel maximè distinguũtur, ad cæteras animi passiones attinentia, tum quòd non satis mihi nota sint, tum ne dum vitia aliquorũ peculiaria recenseam, in me eorum odia concitem. Verùm hæc ad confirmandum, quod hoc loco ab Hippocrate de diuersitate gentium, quæ in Europa degunt, in mediũ producitur, sufficere possint. Causam huius diuersitatis refert Hippocrates in temporum anni magnas, & frequentes mutationes. Causa verò huius ea potissima est, quę pendet ex situ, quòd eo loco reliqua pars Europę posita est, vbi Sol maximas facit mutationes: is verò est Occidens. Nam cùm aëreas mutationes, & impressiones à ventis magna ex parte aut efficiantur, aut comitentur, cùm pars, quę Orientalis est, puta Asia, Oceanum habeat, vnde Sol oriri videtur, non potest non nisi paulatim tepore affici. At cùm Sol ad Occidentalem partem peruenit, terras habet medias, & montes, à quibus eleuati venti multas, magnasq; mutationes in temporibus efficere possunt. Neque enim venti à mari, aut aquis prouenire possunt; vt docuit Aristoteles lib. 2. Meteorolog. & 27. problem. 7. & 8. Habet autem, cùm deseritur à Sole, mare ab Occidentali parte, vnde spirare venti nullo modo possunt, vt ab iis refrigeretur: & ea ratione Hispani magis sunt calido aëre. At verò Asia, cùm deseritur à Sole, habet terram oppositam Europam, à qua venti eleuati calorem relictum à radiis solaribus temperent. Et hæc ratio non ita à multis fuit cognita; vnde in reddenda huius rei ratione omnes hæsitàrunt.

Et æstus graues, & hyemes fortes.] In iis potissimùm, tanquam actiuis qualitatibus, mutatio hæc temporum intelligitur. Sed pòst etiam addit humiditatem, & siccitatem excedentem, tum & ventos varios, quibus variatis sequitur diuersitas hæc.

Quamobrem par est etiam generationem persentire diuersitatem in seminis concretione: neque eidem eandem fieri æstate, & hyeme, neque in pluuia, aut siccitate.] Diuersitatem hanc non respectu vnius regionis Europæ ad aliam, neque vnius ciuitatis ad aliam intelligere solùm Hippoc. his verbis ostendit; Sed in eadẽ propè etiam ciuitate, q. semen mutationes alias, atque alias in sui ipsius in vtero concretione recipit, non secus atque in terra sata, plantataque: animalia enim penè easdem suscipiunt differentias, quas plantæ, vt docet Theophrastus libro primo de Historia plantarum, capite primo. Cùm verò videamus plantata, & sata tempore hyemis meliùs, & frequentiùs prouenire, quàm æstate, & feliciùs vere, quàm autumno; credendum etiam, in animalibus aliquid tale esse, si vno, aut altero anni tempore semen in vterum eiaculauerit, potissimùm verò in hominibus: & non solùm penes anni tempora inter se varia, sed etiam penes constitutionẽ temporum eorũdem omnino sæpenumerò distinctam. Vnde quemadmodum in plantis dicebat Theophrastus libro tertio de Causis plantarum, cap. 17. in solo humido, & frigido conuenit sub vere serere, quòd tũ terra calidissima sit, & siccissima, nempe ob frigora diuturna, & magna hyemis præcedentis: & in solo calido, & sicco post æstiuum solstitium, quòd tum terra refrigerata sit, & postmodum imminẽtibus imbribus humectanda: ita ij, qui calidissimo sunt temperamento cordis, & testium, optimè temperatũ producent, si in tempora incident frigida, & humida, cùm generationi incumbunt; sicq; in aliis proportione habita. Verùm, vt dicebamus, variatur etiam semẽ pro generatione penes constitutiones temporum eorundem varias. Potest enĩ æstas esse frigida, & humida respectų sui, quæ alioqui calida est, & sicca. Generabuntur igitur maximè sospites, maiores, & pleni, qui in contrariis constitutionibus sibi ipsis, vbi præter naturam excesserint, generabuntur: contrà verò, si in temporibus similibus.

Quapropter formæ differunt Europæorũ magis, quàm Asianorum, qui & magnitudines diuersissimas, &c.] Quasi per epilogum recolligit, quod iam dixerat, nempe magis diuersas esse formas, & magnitudines hominũ in Europa, quàm in Asia, propter hanc tantã diuersitatẽ temporũ, quę in Europa maxima est, quæ in Asia vix persentitur, nisi in extremitatibus quibusdam. Dixit autem formas: per formam intelligit figuram: nempe, quòd sint recti corporis, vel obliqui, membris teretibus, aut tenuibus & latis: proportionem & symmetriam habeant inter se, & pulchritudinem exhibeant, aut deformitatem, vel quòd sint carnosi, aut exiles, pingues, aut macilenti, densa cute, aut rara, rubente, pallida, & nigra: crispis, aut planis pilis, pilosi, glabri, molles, duri, asperi, læues. Per magnitudinem potissimùm altitudinem, & proceritatem intelligit, aut solam, aut cum crassitie, aut tenuitate; ita & paruitatem.

L.

Περί τε τῶν ἠθέων ὁ αὐτὸς λόγος. τό τε ἄγριον, καὶ τὸ ἄμικτον, καὶ τὸ θυμοειδὲς ἐν τῇ τοιαύτῃ φύσει ἐγγίγνεται. αἱ γὰρ ἐκπλήξιες πυκναὶ γιγνόμεναι

τῆς

τῆς γνώμης τὴν ἀγριότητα ἐντίθησι, τὸ δὲ ἥμερόν τε καὶ ἤπιον ἀμαυροῦσιν. διότι δὲ ψυχοτέρους νομίζω τοὺς τὴν Εὐρώπην οἰκοῦντας εἶναι, ἢ τοὺς τὴν Ἀσίην. ἐν μὲν γὰρ τῷ αἰεὶ παραπλησίως, αἱ ῥαθυμίαι ἔνεισιν. ἐν δὲ τῷ μεταβαλλομένῳ; αἱ ταλαιπωρίαι τῷ σώματι καὶ τῇ ψυχῇ. καὶ ἀπὸ μὲν ἡσυχίης καὶ ῥαθυμίης, ἡ δειλίη αὔξεται. ἀπὸ δὲ τῆς ταλαιπωρίης, καὶ τῶν πόνων, αἱ ἀνδρεῖαι.

De moribus etiam eadem est ratio: Esse enim ferum, insociabile, atque animosum, innascitur Europæis à natura. Perculsiones namque animi frequenter facta, mentis feritatem inducunt, lenitatem autem, & mansuetudinem extirpāt; quamobrem etiam magis magnanimos esse eos, qui Europam incolunt, quàm qui Asiam, iudico: siquidem in perpetua rerum similitudine segnities inest; in mutatione autem exercitationes & corporis, & animi: quin & ab otio, & desidia augetur timiditas: ab exercitatione verò & laboribus, virilitas:

Dixerat superiùs reliquos Europæos ita inter se esse constitutos, vt & ab Asianis maximè tum forma, tum magnitudinibus corporū essent distincti: quin etiam inter se ipsos ita formis, & corporum magnitudinibus esse distinctos, vt non modò ij, qui in diuersis proninciis essent forma, & magnitudine inter se dissimiles; sed etiam in vna eademq; ciuitate; idq; in magnas, & vehementes temporum anni mutationes retulerat: Nunc subdit, ob easdem causas diuersos esse mores Europæorum ab Asianorum moribns. Quapropter dicit, περὶ τὰ ἤθεα ὁ αὐτὸς λόγος: quę verba pessimè interpretes verterunt: Eadem autem morum ratio in vtrisque existit. Quibus verbis præterquam quòd nō transfertur sententia Hippoc. falsum etiam assumitur. Nos igitur transtulimus sic: De moribus etiam eadem est ratio.

Esse enim ferum, insociabile, atq; animosum innascitur Europæis à natura.] Antequam autē hæc Hippoc. verba explicemus, obseruandum est, primùm Hippoc. vbi nos diximus ferum, habere τὸ ἄγριον, quod agreste significat, & ferum. In omnibus præterea impressis codicibus Hippoc. est τὸ ἀμίαντον, quod est, incorruptum, fidum, integrum, constans: quæ non ita rectè cohærere videntur cū fero, & animoso, siue iracundo. Propterea doctissimus Zuingerus credidit loco illius dictionis legendum, ἀμείλικτον, quod est, implacabile, durum: cùm τῷ ἀγρίῳ statim τὸ ἥμερον, τῷ ἀμειλίκτῳ, τὸ ἤπιον opponat. Ego verò optimè laudo Zuingeri suspicionem, & emendationē loci. At verò censeo loco dictionis illius, τὸ ἀμίαντον, esse apponendam alteram, τὸ ἄμικτον, quam etiam non in annotationibus, sed in margine ipse annotauit: significat autem vox illa insociabile, vt Plinij verbo vtar: Gellius incoibile dicit. Pluribus verbis nos dicere possemus, commercio non vtentes. Lectionem hanc nos docuit Gal. lib. Quòd animi mores corporis tēperaturam sequantur, vbi multis ductus auctoritatibus Hippocratis, ex hoc loco sumptis, suam confirmat sententiam, & loco dictionis ἀμίαντον, habet ἄμικτον, tam in Aldina editione, quàm in Basiliensi. Quin & Caluus antiquus interpres videtur eadē etiam habnisse, cùm solitarij vertit. Quòd si priorem Hippocratis lectionem quispiam etiam defendere voluerit, & legere ἀμίαντον, vtique dieere poterimus, intelligere Hippocratem, fide integra præditos esse Europæos, & in rebus omnibus; potissimùm autem bellicis, animo constanti, & pertinaci, quòd à sua sentētia dimoueri nō ita facilè possint, quod non distat ab animosis: quod subdit post illam dictionem. Quod verò ad Galeni lectionem attinet, non minùs possumus affirmare eius codices esse deprauatos, & loco ἀμίαντον legi in Galeni libris ἄμικτον. Placet tamen mihi magis lectio Galeni, quæ cum cæteris moribus magis conuenit. Sunt igitur feroces animo, & animo implacabiles, tū & audaces propter calorem, & spiritus sæpiùs ad interna circa cor reuocatos, maximeque ex mutationibus magnis, & frequentibus temporum anni, tum & aliarum rerum circa eandem partem agitationibus, tum præterea, quòd maxima copia caloris & spirituum præditi sint: quemadmodum enim ventres hyeme calidissimi sunt, & multitudine spirituum maxima præditi; quòd in frigidis temporibus soleat augeri, & ob meliorem factam nutritionē, & spirituum calorisq; ad internas partes reuocationem: Ita cùm iam statutum à nobis sit, totam Europam magis ad frigiditatem inclinare ipsa Asia, secto orbe in duas partes, quemadmodum fecit Hippocrates, qui eam partem orbis habitabunt, quæ Europæ attribuitur, & maiori interno calore erūt præditi, & per consequens animi ferocitate, & audacia, tum & implacabilitate Solet enim magnus calor animi concitationem, & ferocitatem, quin & sæpe, vbi magis ac magis augeatur, furiosam quandam, ac temerariam, perditamque ferocitatem generare.

Animosum.] Græcè est θυμοειδὲς, quod est, iracundia, & animositas. Significat igitur eos animum habere ad subeunda pericula vel maximè paratum. Subdit harum animi passionum in Europæis rationem, & inquit: *Perculsiones namque animi frequenter factæ mentis ferocitatem inducunt: Lenitatem autem & mansuetudinem extirpant.*] Solent enim frequentes animi agitationes, & caloris commotiones, & excessus feritatem generare, nisi moderetur eas, & compescat ratio: quod tempore nostro Europæis contingit: qui quamuis à natura tales sint, educatione tamen & legibus ex parte moderātur, & quod erat illis vitio vertendum priùs, nunc virtutis formam assumpsit, maximeque laudari in illis solet. Vnde eæ gentes, quæ nullam ferè filiis, &

adolescentibus educationem adhibent, quæque vi legibus tenentur, hæc adhuc à natura indita habere videmus, vt in Germanis gentibus, & cæteris iis, qui Septentrionalem plagam incolunt.

Quamobrem etiam magnanimos magis eos, qui Europam incolunt, quam qui Asiam, esse iudico.] εὐψυχοτέρους vocat eos, qui magno, excellentique animo, & natura præditi sunt, quiqus valenter se periculis exponunt. Magnanimos transtuli, quòd Latina lingua commodiorem vocem non subministraret. Huius rei rationem reddit, cùm dicit; [*Siquidem in perpetua rerum similitudine inest segnities, &c.*] Crediderunt aliqui rationem hanc sumptam esse ex similitudine solùm temporũ anni, quòd vbi nunquã euariantur, sed semper in eodem statu permanent, neq; reuocent quandoque calorem naturalem, & spiritus ad interna, neque potos cutis constipando robustiores homines faciant; secus autem, vbi variantur anni tempora. Nã hyeme frigida superueniente corpus languidius factum ex æstatis calore euaporatis spiritibus, & cõsumto calore, robustius redditur, & calore naturali ad interna reuocato, meliores coctiones facit. Ego verò vtique hac ratione similitudinem hanc, & varietatem temporum comprehendi fateor. Sed vt hæc ratio diuersa sit à superiori, ad cætera etiã, quæ in hac mundi vniuersitate continentur, extendi crediderim. In rerum enim omnium similitudine, & æqualitate torpescit animus, neque ad actionem vllam excitatur. Vbi verò diuersæ res, & omnino dissimiles occurrerint, commouetur, admiratur, & subinde ad agendum, & discendum excitatur. Quod etiam Aristoteles in Proœmio libri de Sapientia nos docuit. Vbi igitur rerum omnium, & omnium temporũ fuerit similitudo, & vniformitas, torpescit animus, & desidia, otioque languescit. Vbi verò diuersitas rerum omnium conspicitur, potissimùm autem temporũ, ad agendum excitatur animus, corpusq; laboribus, & exercitatione incalescit: vnde & vrilitas augetur, & magno animo, atq; præstanti redduntur homines. Verùm de hac re longiori oratione superiùs in recensendis Asianorum moribus, & naturis, à nobis actum est.

L I.

Διὰ τοῦτο εἰσὶ μαχιμώτεροι οἱ τὴν Εὐρώπην οἰκοῦντες, καὶ διὰ τοὺς νόμους. ὅτι οὐ βασιλεύονται, ὥσπερ οἱ Ἀσιηνοί. ὅκου γὰρ βασιλεύονται, ἐκεῖ ἀνάγκη δειλοτάτους εἶναι. εἴρηται δέ μοι καὶ πρότερον. αἱ γὰρ ψυχαὶ δεδούλωνται, καὶ οὐ βούλονται παρακινδυνεύειν ἑκόντες εἰκῆ ὑπὲρ ἀλλοτρίης δυνάμιος. ὅσοι δὲ αὐτόνομοι. ὑπὲρ αὐτῶν γὰρ τοὺς κινδύνους αἱρεῦνται, καὶ οὐκ ἄλλων προθυμεῦνται ἑκόντες, καὶ ἐς τὸ δεινὸν ἔρχονται. τὰ γὰρ ἀριστεῖα τῆς νίκης αὐτοὶ φέρονται. οὕτως οἱ νόμοι οὐχ ἥκιστα τὴν εὐψυχίην ἐργάζονται. τὸ μὲν οὖν ὅλον καὶ τὸ ἅπαν οὕτως ἔχει, περί τε τῆς Εὐρώπης καὶ τῆς Ἀσίης.

Propter hoc etiam bellicosiores sunt, qui Europam incolunt, tum & propter leges; quandoquidem Regibus nõ sunt subditi, vt Asiani. Vbi enim sub Regibus degitur, ibi necesse est homines timidissimos esse. Dictum est aũt à nobis de hoc priùs. Animi namque eorum seruitute pressi, sponte nõ lunt propter alienã potentiam periclitari. ij autẽ contrà, cùm sui sint iuris, pro se ipsis, & non pro alijs pericula suscipiunt, volentesq; contendunt, & grauia quæq; aggrediuntur: præmia enim victoria sibi reportant: sic leges non parum ad magnanimitatem conferunt. In vniuersum igitur sic res se habet de Europa, & Asia.

Quæ hoc loco ab Hippoc. dicuntur, ita mihi manifesta esse videntur, vt nulla explicatione indigeãt, si qua verò ad eorũ confirmationem, aut explicationem etiam reliqua erant, longa satis oratione, & quantũ ingenij nostri tenuitas poterat, fuêre superiùs à nobis explicata, cùm de Asianis tractans hanc eandem iisdem propè verbis sententiam tradidit Hippoc. Propterea ad alia properemus.

L I I.

Ἔνεισι δὲ καὶ ἐν τῇ Εὐρώπῃ φῦλα διάφορα ἕτερα ἑτέροισι, καὶ τὰ μεγέθεα, καὶ τὰς μορφὰς, καὶ τὰς ἀνδρείας. τὰ δὲ διαλλάσσοντα, ταῦτά ἐστιν, ἃ καὶ ἐπὶ τῶν πρότερον εἴρηται. ἔτι δὲ σαφέστερον φράσω.

Sunt autem & in Europa gentes inuicẽ differentes, & magnitudine, & formis, & fortitudine: quæ autem eas dirimũt, hæc sunt, quæ in præcedentibus retuli, & nunc manifestius dicam.

Dixerat Hippoc. ex Europæis aliquos reperiri, qui cùm omnes ferè & magnitudine, & figura inter se similes sunt, ab Asianis, & reliquis Europæis omnino essent diuersi. Mox reliquos Europæos ab Asiaticis, magnitudine, figura, & multis aliis animi doribus esse distinctos, docuerat: & in hoc potissimùm, quòd Asiani non multùm inter se essent formis, & magnitudine distincti: quod efficiebant temporum anni nullæ ferè, aut paruæ admodum mutationes. Europæos autem etiam inter se docuerat maximè esse diuersos formis, & magnitudinibus, non modò vnius regionis incolas, ab aliis alterius regionis, & prouinciæ: sed etiam in vna ipsa prouincia, quin etiam in vna, eademque ciuitate: causãmq; rei huius vniuersalem posuerat, vniuersalem nempe maximam varietatem, & variam mutationẽ temporum. Nunc aggreditur idem particulariùs ostendere, magisque proprias causas illius varietatis formarum, magnitudinum, & virium, potissimùm fortitudinis inuestigare: & inquit; [*Sunt autem in Europa gentes inuicem differentes, & magnitudine, & figura,*

guras, & fortitudine,) & vt paulatim continuaret sequentia præcedentibus; cùm iam vniuersalem illam causam nos docuisset, quæ erat magna temporum anni varietas, ne iterum facere videretur, quę iam egisset, dicit; *quæ autem eis*, id est, gentes, *diriment, hæc sunt, quæ in præcedentibus retuli*, id est, causa vniuersali in medium proposita: *Et nunc manifestiùs dicam.*) particulares magis, & proprias causas assignãdo, præter vniuersalem illam, quæ in omnibus communis est. Cur enim diuersi sint Europæi, illa vna est causa potissima; at cur ij tales sint, aut omnino alio modo, particulares aliquæ causæ sunt inueniendę, de quibus aggreditur tractationẽ in præsentis. Per fortitudinem autem hoc loco intelligit Hipp. non veram fortitudinem, quæ virtus est, quæq; doctrina, & educatione vltra robur corporis solet acquiri. Loquitur enim potiùs Hipp. hic de verarum virtutum effectibus, quę à natura loci proueniunt, ob indita quædam à natura cordi semina: ex quibus certum est, etiam Galenum lib. Quòd animi mores corporis temperaturã sequantur, colligere, tum ex mẽte Hipp. & Plut. tum & ex Aristot. mores corporis temperaturam sequi. certum enim est id solùm intelligi posse de naturalibus animi propensionibus, virtutibúsque & vitiis animi, quæ virtutes impropriè dici possunt. Verùm hoc obiter. Ptolomæus 2. Aposelesc. cap. 3. diuersitatem hanc Europæorum optimè recenset, atque particulatim refert, quamuis vi Astrorum diuersitatem hãc referat, secus quàm Hipp. de qua ra in præsentia non laboro. Hoc vnum ad rem nostram faciet, si Ptolom. sententiam, & commentarij loco diligenter quis legerit, qua particulatim mores, & consuetudines hominum Europæorum refert, vt veram hanc sententiam Hipp. esse, quantum ad quæstionem primam, si est, magnorum etiam aliorum virorum sententia ostendã. An verò diuersitas illa ex anni temporum diuersitate, terrarumq́ue vario situ, & aquarum proueniat, vt censuisse visum est Hipp. an vi astrorum, vt Ptolom. an ex vtrisq; potiùs, vt etiã Hipp. aliquãdo visum est magis placere, alterius erit speculationis, quæ limites commentarioũ transgredi mihi videtur: quapropter lectorẽ ad Ptolomæum relegasse sufficiat.

LIII.

Ὁκόσοι μὲν χώρην ὀρεινήν τε οἰκοῦσι τρηχείην καὶ ὑψηλὴν καὶ ἔνυδρον, καὶ αἱ μεταβολαὶ αὐτέοισι γίνονται τῶν ὡρέων μέγα διάφοροι, ἐνταῦθα εἰκὸς εἴδεα μεγάλα εἶναι, καὶ πρὸς τὸ ταλαίπωρον καὶ τὸ ἀνδρεῖον εὖ πεφυκότα. καὶ τό τε ἄγριον καὶ τὸ θηριῶδες αἱ τοιαῦται φύσιες οὐχ ἥκιστα ἔχουσιν.

Quicunque quidem regionem montanam, asperam, altam, & inaquosam incolunt, tempestatumq́; mutationes valdè differentes habent, illic hominum figuras magnas esse, & ad laborem, & fortitudinem aptas esse verisimile est, agrestisq; & feri non parum huiusmodi natura habent.

Aliquot regionum exemplis differentias insignes Europæorum enumerat, ex quibus alias locorum minùs differẽtium licet colligere. Primámque hoc loco proponit, in cuius qualitate est aliqua difficultas ob contextus Hipp. varietatem. Certum enim est eum mõtanam statuere, & asperam: verùm aliæ duæ conditiones aliquo modo sunt controuersæ: nam legimus in omnib. Græcis impressis codicibus ὑψηλὴν, quod altam significat. At verò Cornarius visus est legisse in suo libro ψιλὴν, cùm nudam interpretatur, id est, nemoribus maiori ex parte non obsitam. Quæ lectio primò ea ratione non probatur, quòd omnes tam impressi, quàm manuscripti, ex quibus eæ in omnes Hippoc. libros animaduersiones sunt collectæ, de quibus ab initio diximus, habent ὑψηλὴν, quin & Galenus lib. Quòd animi mores corporis temperaturam sequantur, dum hanc ad verbum assumit ex Hippoc. sententiam, ad suam comprobandam opinionem hanc eandem retinet dictionẽ, vt constat tum ex Aldina, tum ex Basiliensi Græca editione: quin & interpretes, tum antiquus, cui hac in parte plurimum tribuo, tum & recentiores, tum Crassus, tum Rasarius, altam sunt interpretati. Quin etiam cùm hoc loco velit ex natura locorum per quandam similitudinem colligere incolarum naturam, & mores, morea autem dixerit agrestes multùm esse, & vt vtar verbis antiqui interpretis, syluestreitate multa præditi: censendũ est montes non solùm nudos non intellexisse, sed potiùs arboribus multis refertos, & syluosos. Sequitur postea alia conditio, cùm dicit, καὶ ἔνυδρον, quod & aquosam significat: sicque habent omnes impressi codices. Verùm Cornarius visus est legisse ἄνυδρον, cùm interpretatus hanc particulam, non aquosam vertit: quam lectionem magis ipse probo: tum quòd superius dixerit; dantur enim naturæ, quarum aliæ montanis, syluosis, & inaquosis, aliæ tenuibus, & aquosis, aliæ pratensibus, & palustribus, aliæ planitiebus nudis, & siccis sunt similes: de qua re etiam eo loco. Præterea Galenus libr. citato, Quòd animi mores animi temperaturã sequantur, dum ex hoc loco hanc Hippocr. sententiam ad suam firmandam opinionem assumit, non ἔνυδρον, sed ἄνυδρον dixit: vt videre est in Græcis impressis omnibus codicibus: quin & antiquus interpres, qui solet verbõ verbum reddere, locum Galeni in Latinũ trãsferens, sic legit: quicunque quidem montanam terram habitãt, & asperam, & altam, & inaquosam: quam lectionem etiam secuti sunt omnes recentiores Galeni interpretes. Corrigendus igitur contextus Hipp. hoc loco, & legendum, mutata litera, ἄνυδρον, vt sensus sit: qui habitant in mõtibus asperis, saxosis, altis, aquaq; multa carentibus, iis mutationes temporũ contingũt

diuersæ & magnæ: vnde & corpora fiũt magna; & animi fortes; rũm verò ex vtrisque laborum maximè patientes: sunt tamen feri, atque agrestes. Sunt autem hæc explicata part. de qua superiùs, quamuis breuiter. Sunt igitur, inquit, figura magni, quòd ob ventos frigidos (tales em̃ solent perfentiri, vbi mõtes alti sint huiusmodi) & ob varias mutationes temporum soleat calor validior reddi, & subsequentes in operationibus magis extendendo augmentationem adiuuare.

Et ad laborem & fortitudinem aptus esse.) Sunt ad labores subeundos apti, quia duri. At verò per fortitudinem non intelligit hic veram fortitudinem, quæ virtus est: de natura enim potiùs, & corporis robore, fermò est Hipp. tum ob terram, in qua degunt, cui vel maximè dicebat suprà Hipp. incolas assimilari, tum propter aërẽ, qui quauis varias patiatur mutationes; nihilominus ob ventos vt plurimum frigidos ad frigidum potiùs vergit, & siccum: tum quia non ita incalescit aër à Sole. Sunt præterea etiam illic, vbi ficciores carnea sylueftriũ animalium, castaneæ; vnde etiam ex alimẽto duri redduntur. Accedit autẽ exercitatio, qua maximè idonei redduntur ad labores subeundos, & ferendos; coguutur enim & peragrare montes itineribus laboriosis.

Non parum tamen agrestis & feri habent.) Quòd calido sint, & sicco cordis temperamento; q. nõ superetur cordis caliditas, sed potiùs ex retractione caloris ad interna augeatur: suntq́; etiã vtplurimum ob eandẽ rationem calido hepate; vnde bilis crassa, & terrestris generatur. Agrestes, & sæuos esse dicit, quòd nihil aliud sit feritas, & sæuitia, quàm iræ perseuerantia: nam sæuitia fit ab odio: neq; enim quisquam est sæuus, nisi in eos, quos odit. Ita autem est vindictæ cupiditas. Vt igitur perseueret, debet materia esse crassa, & dura: quæ enim tenuis est, facilè q. dem accẽditur; at facilè etiam extinguitur: crudeles verò esse nõ possunt, nisi in primo impetu pugnæ, aut iracũdiæ. Vnde poëta noster fingit misericordem Æneam suum etiam in Turnum æmulum suum, & Lausum acerbissimi bo stis filium, vt breuẽ fuisse iram suam oftẽderet, & nõ nisi ex honesto ardore pugnæ profectam.

LIIII.

Ὁκόσοι δὲ κοῖλα χωρία καὶ λειμακώδεα, καὶ πνιγηρὰ, καὶ τῶν θερμῶν πνευμάτων πλέον μέρος μετέχουσι ἢ τῶν ψυχρῶν, ὕδασί τε χρέωνται θερμοῖς, οὗτοι δὲ μεγάλοι μὲν οὐκ ἂν εἴησαν, οὐδὲ κανονίαι. ἐς εὖρος δὲ πεφυκότες, καὶ σαρκώδεες, καὶ μελανότριχες. καὶ αὐτοὶ μέλανες μᾶλλον ἢ λευκότεροι. φλεγματίαι δὲ ἧσσον ἢ χολώδεες. τὸ τε ἀνδρεῖον καὶ ταλαίπωρον ἐν τῇ ψυχῇ, φύσει μὲν οὐκ ἂν ὁμοίως ἐνείη. νόμος δὲ προσγενόμενος ἀπεργάσαιτ' ἄν. καὶ εἰ μὲν ποταμοὶ ἐνείησαν ἐν τῇ χώρῃ, οἵτινες ἐκ τῆς χώρης ἐξοχετεύουσι τό τε στάσιμον καὶ τὸ ὄμβριον, οὗτοι ἂν ὑγιηροί τε εἴησαν καὶ λαμπροί. εἰ μέντοι ποταμοὶ μὲν μὴ εἴησαν, τὰ δὲ ὕδατα λιμναῖα τε καὶ στάσιμα πίνοιεν καὶ ἑλώδεα, ἀνάγκη τὰ τοιαῦτα τῆς γαστρὸς ἀτηρέα εἶναι καὶ σπληνώδεα.

Quicunq. verò loca concaua, pratensia, & æstuosa habitant, ventisq. calidis magis perflãtur, quàm frigidis, & aquis vtũtur calidis, ij quidem magni esse non possunt, neq. substricto ventre, sed crassi, carnosi, & capillis nigris: quin & ipsi magis, quàm albi, & minus pituitosi, quàm biliosi. Virilitas autem, & laborum tolerantia non aquè ipsis à natura inest, nisi consuetudo accedẽs hac ipsa efficiat. Et si quidem flumina extent in ea regione, quæ stagnantes, & pluuias aquas inde deriuent, ij salubres, & bene habiti viuent: si verò flumina desint, aquasq. puteorum stagnantes, & olentes bibãt, necesse est has aquas & ventri, & lieni esse nocuas.

. Aggreditur nunc exemplo alio Europæorũ differentias varias docere: assumit autem oppositum superiori, & montanæ regioni opponit concauam, altæ, & ex consequẽti liberæ, & perflatæ à ventis frigidis æstuosam, & calidis potiùs ventis, quàm frigidis expositam, asperæ pratensem, vt quæ mollissima sit, aquis carenti, palustribus, & calidis refertã. Ex quib. colligit, qualea sint cõditiones incolarũ illius regionis tã circa corporis q̃ animi affectiones: dicẽs, nõ posse esse magnos, neque substricto ventre, sed esse crassos, & carnosos, subnigrisq́ue capillis, & ipsamet cute; quin & potiùs bile esse refertos, quàm pituita, eosdemq́ue, inquit, neq; fortes esse, neque laborum patientes.

Κοῖλα χωρία.) concaua illa loca, quæ aut inter montes sunt, aut non longè à montibus distãt. *λειμακώδεα* pratensia asperis, & siccis opponit, quæ & aquam habẽt, eamq́; retinent, neq; præcipitem refundunt. *πνιγηρὰ* æstuantia: hæc vox non refertur ad ventos, sed ad qualitatem soli, q. ob cauitatem minùs venti trãsitum habeant: quò fit, vt aër densior fiat, diutiusq́; calorem in se contineat. Addit, *& ventorum calidorum magis participes sunt, quàm frigidorum*, vt aëris non modò natiuam qualitatem respiceret, sed etiam aduentitias ventorum perflantium.

Et aquis vtuntur calidis.) Est altera mala huius situs conditio, cuius superiùs quàm maximam habẽdam esse rationem docuerat, ex aquis, quæ pro potu in vsum veniunt, desumpta, quæ est, vt stagnantes, & calidas aquas ebibant.

Ii quidem magni esse non possunt.) Quauis magnitudinis tres sint differentiæ, longitudo, latitudo, & profunditas: per magnitudinẽ, communẽ dicendi modũ secutus, longitudinem hoc loco intelligit, quod vel ex sequentibus verbis constat; vbi apparet velle eosdem non longos quidem esse, at tamen esse crassos, carnosos, & ventricosos: dicit enim; *οὐδὲ κανονίαι.*) Circa hãc dictionem est aliqua difficultas; quòd aliqui libri

libri habeant οὐδὲ εὐμήκεες, quod est, neque proceri. Quę lectio quamuis vera sit, & quasi explicās primā dictionem; tamen quia communior est prima, & omnium impressorū librorū, & manuscriptorum plerumq;, nō esse immutandam lectionem censeo; sed puto fortasse in margine illorum librorum ab aliquo scriptore esse adiectum, vt quod κανονίας significaret, legētibus explicaret; cùm vox illa sit Hippoc. peculiaris, & non aliorum: quod fortasse ex Galeno sumpserūt, lib. Quòd animi mores, &c. qui eam habet dictionē, dum hāc particulam sibi assumit; cùm alioqui Galenus omnino sententiam Hippoc. recēseat, aliqua quandoq; verba immutat, vt etiā in principio particulæ, cùm λαπάσσειν pro λαπάζειν ponit. Quod verò hanc nostrā coniecturam adiuuat, est, q̄ Galenus in explicatione linguarū Hipp. & Erotian⁹ in Onomastico huius dictionis mentionē faciunt, eamq; explicant, cuius tamē vix alibi vlla apud Hipp. est mētio. Retinenda igitur est vox illa: sed videndum, qd significet. Nomen est plurale apud Hipp. cuius singulare est κανονίας κανονίη, significat autē, quib⁹ vētres veluti ad regulam exacti, & directi Galeno interprete loco cit. vbi duo annotāda sunt, primùm perperā legi καρονίας, in vulgatis exemplaribus nō ipsius Galeni solùm, sed etiā Erotiani, qui καρονίας ab Epicle explicari dicit μακροὶ καὶ εὐμήκεις, i. longi, & proceri, cùm potiùs significetur hoc nomine, οἱ ὀρθοὶ καὶ λεπτοὶ, i. recti, & graciles, cùm nō καρονίας, sed κανονίας legi debeat. Sicut etiam apud Galenum, vbi dicit κανονίαι ὀρθοὶ καὶ προσεσταλμένοι τὰς γαστέρας, quod est, vt Nizolius interpretatur, qui sunt rectis, & promissis ventribus. Rasarius verò interpretatur, qui rectos habent, & prominentes ventres. Vbi primò constat vel ex hoc, q̄ nunquàm illa dictio reperta est talem habere significationem. Hēricus Stephanus, vt eum laude sua non defraudem, quem vel maxima, in iis potissimum, quæ ad vtriusque linguę cognitionem attinent, dignum semper existimaui, ex antiquis manuscriptis κανονίας substituendum meritò ducit, & vel ex eo id constat, quòd in illo libro Galeni non ponatur in ordine syllabæ καρ, sed inter syllabas καν, videlicet post καλ. Pręterea ὀρθότης, optimè conuenit κανόνι, vt vel vno exēplo ex Nicarcho 2. Epigrammat. colligi potest; vbi habet γέγονε δ' ὀρθότερος κανόνος, de quodam loquens, cui mira quadam chirurgia gibbus erat ademptus. Est verò etiam aliud circa eadem verba Galeni annotandum, quòd malè vulgati codices habent ὀρθοὶ καὶ προπεπταμένοι, quod vertunt, vt dixi superiùs, promissos, aut prominentes, interpretes; cùm alioqui malè quispiam rectus dici possit, qui prominentem ventrem habeat. Legendum igitur est, vt etiam placet Hērico Stephano, προσεσταλμένοι, quod verti potest, quibus rectus, & substrictus est venter: quibus opponuntur ventricosi à Plauto, ventrosi à Plinio: sicut & huiusmodi ventri opponitur planus venter ab Ouidio.

Sed crassi, & carnosi.] Est oppositum eius, quod superiùs dixerat, incolas esse, nō procera figura, neq; substricto vētre, sed quod deficit in proceritate, naturam dicit supplere in crassitie, & per crassos credo intelligere ventricosos. Neq; fortasse verè carnosos intelligit, sed quasi prætumidos. Huius rei ea est ratio, quòd cùm regio sit humida: corpora etiam humidiora, & crassa habere debet: crassa quidē ab initio magis pinguia, mox carnosa aliquo modo: Vnde etiam mollia, & minùs robusta. Cùm enim raræ sint texturæ, & cutis diffletur, prauæque aquæ ebibantur, calor naturalis infirmior redditur: quò fit, vt in altum corpus eleuare nō possit. Quòd si præter calorem ad auctionem diuiniorem aliquam facultatem requiri cum Galeno. 1. de facultat. natural. cap. 6. est concedendum, quæ ab elementis, aut cibis iuuari non potest, non aget tamen, quin vtatur calore illo, vt instrumento, quod corporeum est, indigetque materia, in quam operetur.

Et capillis nigris.] Quia deusto vi caloris excrementitio, quo vel maximè abundāt, humore, & vapore, excrementū in exactam fuliginē transmutatur, cuius color est subniger.

Quin & ipsi nigri, magis quàm albi.] Pilos docuit Galen. 1. de tuend. val. cap. 12. fieri ex excremento fuliginoso terreo, quod exit cum excrementis alimenti membrorum, & tertiæ coctionis. Cùm verò ex malis aquis ostendit lædi hepar, & potissimum lienem, vnde generatur humor melancholicus, & genitus non rectè expurgatur, efficitur, vt & pili vniuersi sint nigri, & habitus vniuersi corporis sit subniger, affluēte eò humore. Est etiam alia causa: quia aër illis est calidus admodum, qui calorem nostrum naturalem, qui est in corde, minimè repurgat, nec instaurat, vnde membra inficit per arterialem sanguinem, & quasi adurit: quę etiam causa est, vt abundet potiùs bile, quàm pituita, quamuis non bene concoquant; quòd calor alienus in bilem potiùs, quàm in pituitam, alimentum conuertat, sanguinemque adurat.

Virilitas autem, & laborum tolerantia non æquè ipsis à natura inest.] Possūt autē duo hęc attribui corpori, vt per fortitudinē robur corporis intelligamus, non virtutē; quomodo hoc libro sæpiùs Hipp. sūpsisse videmus. At verò satius est, nō de corporis robore, sed de animi virtute intelligere. Quę etiā ita intelligenda est, vt non omnino dicat esse sine virilitate, cū superiùs in vniuersū Europęos Asianis viriliores docuerit: nō possūt autē ex solo situ adeò fieri timidi, sed sunt minùs viriles, laborumq; minùs patientes præcedentibus montosis: neq; enim calor naturalis omnino probus est, spiritusque vegeti, sed torpidi, & fuliginibus melancholicis referti. Quin cùm robur corpori etiam sit necessarium ad laborum tolerantiam, vbi molles sint, crassi, ventricosique, non possunt aut robur multum habere, aut diutius ærumnas ferre.

Nisi consuetudo, aut lex accedens hæc ipsa efficiat.] Innuit in iis, quæ ad corpus attinent, aërē, aquas, victus ratione, sydera plus mutare, q̃ leges, aut cõsuetudines, aut philosophiæ præcepta: in animi autem affectionibus plus posse consuetudinem, & leges, quàm regionis naturam.

Et si quidē flumina extent in ea, &c.] Quemadmodū dixerat in iis, quæ ad animi affectiones pertinent, legem, & consuetudinem posse immutare naturalem illam habitudinem, qua neq; sunt fortes, neq; laborum patientes: ita hoc loco docet, quæ sint, quæ vitia illa corporis possint imminuere: & dicit, si fortè in ea regione adfuerint flumina, homines incolumes reddi, & pulchros: q; aquæ stagnantes, & pluuiæ corruptu faciles corriuātur per eos, at non inquit mutari omnino omnes eas corporis dispositiones, de qbus dixerat, sed nō laborare morbis, de quib. statim subdit, neque esse ita nigro colore: quod patet; quia maiorem, & potissimam causam coloris subnigri in illis corporibus referebamus in humorem crassum melācholicum, ex aquis prauis productum: vnde, quaurum ad hunc corporis habitum pertinet, sani oriuntur, & incolumes, pura in iis affectibus, qui à ventriculo, iecinore, & splene producūtur, vt sunt hydropes, morbi regij, melācholiæ, lapides in vesica, diarrhœæ, dysenteriæ, quartanæ, quas affectiones superius docuit ad deprauatæ aquę potum sequi. Non erunt tamen incolumes omnino, quia tentari poterunt aliis morbis, potissimùm iis, qui ab aëre calido, & suffocato inspirato proueniunt. Erunt igitur splendidi facie, & satis incolumes respectu aliorum, quibus non est datus fluuius, aquas istas corriuans. At non erunt incolumes, vt fuot ij, quos montana loca habitare docuit.

Si verò flumina desint, & aquas lacustres, & stagnantes, & olentes bibant, &c.] Oppositum eius, quod superius dixit, nunc apponit: nempe, q, si in ea regione nullus sit fluuius, eas aquas corriuans, & aquas bibant; Gręcè est κρηναῖα, quod est, fontanas: verùm malè: nam neq; aquæ fontanæ in vniuersum sunt malæ, sed earum aliquas optimas esse docuimus: ob id Cornarius videtur legisse φρεατιαῖα, cùm puteales cōuertit. Ego verò, leui facta mutatione, putàrim legēdum λιμναῖα, i. lacustres: sic enim maximè contextui Hipp. quadrat, & nullam habet repugnantiam, aut falsitatem; cùm tamen leuissima sit literarum mutatiō.

Necesse est has aquas & ventri, & lieni esse nocuas.] Non est, cur multum in præsentia immoremur in explicādis iis noxis, quæ solent ob id genus aquarū & ventriculo, & lieni infligi; quum satis superiùs in Commentariorum lib. 3. cùm de palustrium, & lacustrium aquarū noxis loquemur, de hac re à nobis sit pertractatum.

L V.

Ὁκόσοι δὲ ὑψηλήν τε οἰκέουσι χώρην καὶ λείην καὶ ἀνεμώδεα, καὶ ἔνυδρον, εἶεν ἂν εἴδεα μεγάλοι, καὶ ἑωυτοῖς παραπλήσιοι, καὶ ἀνδρογυνότεροι, καὶ ἡμερώτεραι αἱ γνῶμαι.

Quicunq; verò altam habitant regionem, & planam, & ventis expositam, eorum formæ magnæ, ac inuicem similes sunt, & erecta, animi quoque eorum mansuetiores.

Proponit alio exemplo varietatem hāc gentium Europæarum explicare, post traditā duarum ferè extremarum regionum historiam: hęc em̄ & quasi mediocris est, & multò præstātior. Inquit igitur (*quicunque altam habitant regionem, & planam*) videntur quasi cōtraria hæc. Quæ enim alta sunt, non omnino plana videntur; at si bene intelligantur, longe secus est: iis enim verbis coniunctis significauit nobis eam mediam esse inter concauam, & sublimem, siue inter vallosam, & montanam.

Ventis expositam.] Alemanus intelligit Boreæ, & Euro, qui salubriter aërem purgant. Ego verò cùm vniuersaliter ꝓponat, vniuersaliter intelligendum esse centerem: non enim dicit, frigidis, aut calidis, sed omnib᷒, vt in medio quasi sit calidi, frigidi, humidi, & sicci.

Et aquosam.] Nō palustrem intelligit, sed aquis salubribus abundantem; non enim vllo modo salubris talis regio esse posset: cùm siccitates humiditatibus multò sint salubriores. Intelligit igitur, in quibus & fontes scaturiunt boni, siue fluxiles sint, siue resides, quas aquas puteales appellant, & aquæ stato tempore decidant, quę commodè in cisternis corriuari, & colligi possint. Hos igitur dicit esse optimè dispositos & secundum corpus, & secundùm animū. Secundùm corpus tres apponit conditiones, quòd sint figura magni, inter se similes, & erecti figura. Circa animum vnum tantùm apponit, vt in eo, tanquàm in aliarum multarum virtutum fonte, alias plerasq; inesse intelligeremus: Hæc autem est animi quædam tranquillitas; dicit ἡμερώτεραι γνῶμαι, tranquilliori animo: dicitur enim de comi, placido, beneuolo, benigno, & humano. Apposuit autem comparationem, vt huius virtutis excellentiam ostenderet. Cùm verò 3. Ethic. docuerit, Heroicā virtutem esse oppositā feritati: feritati autē humanitas è directo aduersetur: ceusendum est, humanitatem heroicam illam esse virtutem omnibus numeris absolutam. Heroica autem fit accedentibus lege, & institutis. Sine iis verò aderit genus aliquod humanitatis. Triplicē enim Plato hāc faciebat humanitatē. Prima, qua amicos, & cognatos excipimus, quæ plus habet aliquid comitate: siquidem hæc veriùs amat, & amplectitur arctiùs: illa blandiloquētia magis constat. Secunda, qua miseris, & afflictis opē ferimus. Tertia, qua vtimur in conuiuiis: humanū em̄ est homioē homini compati, cùm sint eiusdem naturæ. Hæc natura aliquibus inest, nec tamen heroica est virtus, nisi lege, institutione, & doctrina, regulis quibus-

quibusdam regatur, & disponatur. Cùm verò Hippoc. de naturalibus inclinationibus loquatur, primam intelligit. Sunt verò magni, non quidem magnitudine, qua solens excellere ij, qui regiones Aquilonares habitant ob humiditatem excedentem: sed per magnitudinem intelligit, inter homines esse mediocres in magnitudine: magni tamen sunt, quia inter homines multò minor pars est, quæ minùs moderato in paruitate peccant. Dum dicit, inuicem similes, ostendit hos homines esse moderatos: nam cùm moderatio vna sit, immoderatorum infinitæ species, eæ inuicem similes esse non possunt. Moderatis autem optimè id accidere potest: maximè cùm superius similitudinem hanc constituat, produci ex similitudine, & inuariabilitate temporum anni. Erecti sunt, quia & robusta facultate prędi[t]i sunt, nec nimio humore referti, aut nimiũ sicci. Tribus enim causis solent incuruari res quæcunque; aut humiditate superflua, aut exiccatione nimia, aut imbecillitate. Infantes incuruantur ob humiditatem superfluam, senes ob imbecillitatem, & humiditatem etiam excrementitiam. Quòd si hęc nó adfuerit, vbi decrepiti sint, ob siccitatem excedentem incuruari poterũt; quæ verò mediocria sunt inter humiditatem, & siccitatẽ, & virtute robusta præditi sunt, erecta figura redduntur: videmus enim morus omnes, quandiu tenorem, & robur seruãt, rectà fieri; cùm verò debilitantur, obliquos duci.

LVI.

Ὁκόσοι δὲ λεπτά τε καὶ ἄνυδρα καὶ ψιλά, τῇσι δὲ μεταβολῇσι τῶν ὡρέων οὐκ εὔκρητα ἔχει, ἐν ταύτῃ τῇ χώρῃ τὰ εἴδεα εἰκός τι σκληρά τε εἶναι καὶ σύντονα, καὶ ξανθότερα ἢ μελάντερα. καὶ τὰ ἤθη καὶ τὰς ὀργὰς αὐθάδεάς τε καὶ ἰδιογνώμονας. ὅκου γὰρ μεταβολαί εἰσι πυκνόταταί τῶν ὡρέων, καὶ πλεῖστον διάφοροι αὗται ἑωυτῇσιν, ἐκεῖ καὶ τὰ εἴδεα καὶ τὰ ἤθεα καὶ τὰς φύσιας εὑρήσεις πλεῖστον διαφερούσας.

Quæcunque verò macra, aquis carentia, & nuda loca, mutationesq́ temporum non habent temperatas, hórum figuras verisimile est esse duras, & robustas, & flauiores potiùs, quàm nigriores. Secundùm mores autem, & animi impetus, rigidi sunt, & contumaces. Vbi enim temporum mutationes contingunt admodum frequẽtes, & plurimum adinuicem differentes: ibi & figuras, & mores, & naturas plurimum differentes reperias.

Refert aliam pro varietate soli incolarũ Europæ varietatem, & inquit, quibuscunque obtigerint ad habitandum loca λεπτὰ, tenuia, macra, sabulosa, aut quasi argillosa, καὶ ἄνυδρα, non aquosa, sicca, id est, in quibus neque fontes scaturiant multi, neque irrigentur terræ, nec terra per se sit mollis, & quasi humore referta, ψιλὰ nuda, non nemorosa, aut pratensia, sed iis ferè [illegible]

A carentia. Sequitur in Aldina, & Basiliensi impressione, τῇσι δὲ μεταβολῇσι τῶν ὡρέων οὐ κεκρημένα, quod vertit Cornarius; & quæ temporum mutationibus non sunt permixta: quod cùm ipse contemplater, suspicatus sum mendum subesse: quia non viderem, quomodo si locus nudus, & aridus sit, non sit subiectus mutationibus temporum: colles enim tales esse solẽt; at in illis temporum mutationes maximè persentiuntur, & venti contingũt. Si locus sit cauus, fieri vix potest, B vt aquis non affluat, defluentibus illis ex locis eminentibus, si in valle sit: adhæc ventos nó sentiet, maximè si vndecunq; montibus circumclusa fuerint, neque sic vera erit sententia Hipp. æstuabunt enim, & non solùm in anno, sed in singulis diebus anni maximam mutationem sentient, à Meridie vsque ad vesperam caloribus æstuantes; inde & matutinis horis immodicè frigebunt. Quapropter in eam veni sententiam, hæc verba legenda esse alio modo. C Sed quomodo? Galenus loco citato quòd animi mores, &c. hanc sentẽtiam sibi pro argumento ad suam firmandam sententiam assumens, loco οὐ κεκρημένα, habet οὐκ εὔκρητα ἔχει, quod est: (vt nos trãstulimus) mutationes temporũ non habẽt bene temperatas: quam etiam lectionem habuerunt ij libri manuscripti, vnde correctiones illæ, & varię lectiones collectę sunt in Hippocr. de quibus aliàs, & Gadaldinus in suo lib. manuscripto: quin etiam Caluus eandẽ habere D visus est, cùm vertit hoc loco: temporumque mutationes temperatas non habent: quod significabit, ita vicissitudine temporum anni, & eorundem constitutionibus successiuè factis, non reddi temperatam regionem, neq; moderationem illam facere in äere, sed esse inæqualem admodum.

Horum figuras verisimile est esse duras.] Magis propriè vertitur σκληρὰ, dura, quàm aspera: ad animum enim magis, quàm ad habitum corporis, E mihi referri videtur.

Et flauiores potiùs, quàm nigriores.] Dubitat Alemanus, quomodo, cùm color is parum ab albo declinet, conueniat istis, qui calidi sunt, & sicci; quæ potiùs qualitates denigrare videntur: & quod siccum est, in fuliginem mutatur ab agente calore, vt in Æthiopibus, & iis, qui calidas regiones incolunt, sicca, dura, & nigra cutis fit. Et propterea respondet, intelligere per flauum colorem, illum intensè flauum, vel F potiùs fuluum, quo caminorum verritores per vrbes vagantes pertinguntur. Quasi verò cùm temperamento biliosi sint, & siccitas potiùs prædominetur, fieri non possit, vt bilis in vniuerso corpore perdominetur; minùs autẽ melancholia, quæ calorem maiorem, vt fiat, requirit per adustionem. Accedit, quòd color cutis præter humorum efflorescentiam ab ambiente maximè originem ducit, maximè vbi communis sit omnibus is color. Reddit autem horum rationem, maximè si legamus, vt nos ex

Galeno docuimus: cùm dicit; *vbi enim temporum mutationes contingunt, &c.*] quæ verba amplius explicare superfluũ duximus, cùm superiùs duobus in locis satis superq; de iis verba fecerimus.

LVII.

Μέγισται μὲν οὖν εἰσιν αὗται τῆς φύσιος διαλλαγαί. ἔπειτα δὲ καὶ ἡ χώρη ἐν ᾗ ἄν τις τρέφηται καὶ τὰ ὕδατα. εὑρήσεις γὰρ ἐπὶ τὸ πλῆθος τῆς χώρης τῇ φύσει ἀκολουθοῦντα καὶ εἴδεα τῶν ἀνθρώπων καὶ τοὺς τρόπους.

Maxime quidem igitur sunt hæ naturæ varietates. Deinde verò etiam regio, in qua quis nutritur, & aqua. Inuenias enim vt plurimum formas hominũ, et mores regiõis naturã imitari.

Dixerat superiùs multis in locis, potissimũ autem in fine proximæ superioris particulæ, q. vbi mutationes temporũ contingunt frequentes, & plurimum inter se diuersæ, ibi & figuras, & mores, & naturas plurimum inter se diuersas reperiri. Probauerat hoc superiùs ex Asianorum similitudine in naturis, formis, & morib᷒ ob temporum similitudinem, & ex Europæorũ maxima in iisdem tribus diuersitate. Nunc ne quis putaret, ex hac vna causa varietatem hanc tam magnam naturarũ, formarum, & morum prouenire: statim subdit, causam quidem illam potissimam esse, & quæ aliis cæteris omnibus præualeat, cùm dicit: *Maximæ quidem igitur sunt hæ naturæ varietates*] idest, factę à mutatione temporum frequenti. At verò non solùm, sed & naturam soli, & regionis plurimum conferre; in qua etiam aquas compræhendit, cùm dicit: *deinde verò etiam regio, in qua quis nutritur, & aquæ*: aquarũ autem naturam cum regione coniungit, secus, quàm fecerint interpretes, qui primum temporum mutationibus, secundum regioni, postremum aquis locum tribuunt in iis rebus producendis, contra contextus Græci veritatem, cùm aquam cum regione manifestè coniũgat. Cornarius verò dicit prętet Hippoc. veritatem, *postremũ verò aquæ*. Quòd verò aquæ sub regione ponatur hoc loco, patet; quia, cùm postremum hoc explicet exemplis, aquarũ per se nullã facit mentionem: sed dũ regionis naturã explicat. *Ἐν ᾗ ἄν τις τρέφηται*] malè Alemanus in suo codice vertit; in qua multæ variationes fiunt: cùm potiùs interpretari debeat; in qua qs nutritur; vt patet ei, qui vix à limine Græcas literas salutârit. Dicit autem, in qua quis nutritur: quia nõ sufficit, vt quis naturam regionis referat, vt in ea nascatur, alibi verò nutriatur: semper enim educatio illa, & aër, tũ & regio, in qua nutritur, præualebit, & immutabit. Regio autem naturas, & mores tribus modis immutare potest penes situm. Primò, si generalem orbis situm spectemus, puta, si posita sit regio versus Austrum, sicque erunt nigriores, macilenti, & exangues, capillis crispis, timidi, dolosi, bilingues, inconstantes, seruili animo, rapaces. Aut ad Boream, albi, planis capillis, & ad flauitiem vergẽtibus, glabri, sanguine multo referti, & ideo rubore suffusi; sic animo erunt veraci, & candido, fortes, audaces, edaces, bibaces, sæui, iracundi, qui tamen facilè decipiantur. Quòd si positi sint ad Orientẽ, erunt pulchri, statura mediocres, colore optimo, prudentes, hilares, disciplinarum studiosi, pij, & optimis tandem omnibus moribus. Contrà, qui Occidentalem plagam habitant. Secundo modo, si particularem regionis alicuius situm respicimus: vt quòd à ventis alicuius generis protegatur, Austro, Boreáve, respectu montium, vel decliuitatis terræ, aut ratione maris adiacentis, aut fluminum, lacuúmve. Tertiò, si particulariùs naturã regionis consideremus, vt si montuosa sit, planáve, alta, & decliuis, humida, aquísve irrigata, aut sicca, pratis, arboribusque vestita, aut nuda. De primis duobus satis superq; ab Hipp. hactenus actum est: nunc tertium modum assumit, inquitq; naturã regionis maximè post constitutiones temporum facere ad mutandas naturas, & mores hominum. Quòd si & regionis generalis situs accedat, & specialis, multò magis rem hanc adiuuabunt. Potissimum autem, si præter hæc aẽr temporumque constitutiones concurrent. Dixit autem *vt plurimum*, quòd multa sunt, quæ ex accidente aliquando oppositum inferunt; quales sunt leges vniuersales, aut ciuiles, consuetudines, penuria, & alia quàmplurima, quorum si in vnum concurrant, plura, aut omnia, facilè, quæ naturalia erunt alicui regioni, & hominibus eiusdem prouinciæ, immutare poterunt. Quod vel in nostris Mediolanensibus conspici potest; qui cùm liberi erant, in bellis fortissimi habebantur: Cùm sub Longobardis, mediocriter etiam in bellica re valebant: Cùm sub Exarchis Græcorum Imperatorum, tanquàm mancipia, omnino erant imbelles: Cùm sub tutela Germanorum Imperatorum, Germanicam omnino naturam referebant. Sub Gallis duriore seruitute pressi quasi languescebant. Sub Hispanis iam constituti, eorundem mores aliqua ex parte referũt. Quòd si Regum imperium, & leges, adeò variasse mores videmus, verisimile est, si alia adiungãtur, etiã figuras aliquo modo immutari ab eo, quod regionis naturã producit. Sed hoc rarum est, quòd plura esse debent simul iuncta, & eiusdẽ naturæ; vt quod à regione tanquàm naturale est, immutari possit.

LVIII.

Ὅκου μὲν γὰρ ἡ γῆ πίειρα καὶ μαλθακὴ, καὶ ἔνυδρος, καὶ τὰ ὕδατα κάρτα μετέωρα, ὥστε θερμὰ εἶναι τοῦ θέρεος, καὶ χειμῶνος ψυχρὰ, καὶ τῶν ὡρέων καλῶς κέεται, ἐνταῦθα καὶ οἱ ἄνθρωποι σαρκώδεες εἰσὶ, καὶ ἄναρθροι, καὶ ὑγροὶ, καὶ ἀταλαίπωροι, καὶ τὴν ψυχὴν κακοὶ, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. τό τε ῥᾴθυμον καὶ τὸ ὑπνηρὸν ἔστιν ἐν αὐτοῖσιν, ἔς τε τὰς τέχνας παχέες, οὐ λεπτοὶ, οὐδ' ὀξέες.

Nam

Nam vbi terra pinguis est, & mollis, & aquosa, aquæ aũt valdè sublimes, ita vt æstate calidæ sint, hyeme frigidæ, & anni tempora rectè habeant, ibi homines carnosi sunt, malè articulati, humidi, & laborum impatientes, & animo malo vt plurimum. Segnities quinetiam, & somnolentia eis inest multa: suntq; ad artes crassi, non subtiles, acutive.

Dixerat præter temporũ mutationes, & varietatem ad mutandos homines tum in formis corporum, & iis, quæ ad animum attinent, secundum locum habere naturã soli, in quo quis habitat, in quo aquas comprehẽdebat: addiderat propterea contingere, vt similitudine quadam comparata homines videantur naturam terræ, in qua nati fuerint, & educati, referre: id nunc duplici exemplo confirmat: & inquit, ὅκου μὲν γὰρ ἡ γῆ πίειρα: quid nomine πίειρα, sibi velit, non satis intelligo, quãdo nusquam inueniam huius dictionis apud Græcum scriptorem factam mentionem: fortasse legit πιερὰ, quod pinguem significat: sic eñ putat Zuingerus doctissimus, à quo ipse nullo modo hac in re discedo. Vbi etiam obseruãdum est, Galenum lib. Quòd animi mores corporis temperaturam sequantur, vbi totam hanc ad verbum ex Hippoc. sententiam ad suæ sententiæ confirmationem exscribit, loco huius dictionis habere in Basiliensi Græca editione πικρὰ, & pessimè; cùm ea dictio amarum significet: facit tamen ea dictio, vt magis in meã sententia persistam: quòd non πίειρα legit, sed πιερὰ, quę dictio corrupta est: facilis autem fuit lapsus ex πιερὰ in πικρὰ, mutato ε, in κ: quę enim solet esse, ι, cum, ε, coniũctio, maximè assimilatur literæ κ, sicque etiam Galeni contextum esse corrigendum crederem. An potiùs loco πίειρα, legendum, vt ex nostris varijs lectionib. ex manuscriptis decerptis colligimus, πίειρα, quod Ionico more ex πιερὰ mollia, liquefactaque significante, primo α, in η, & facta, ι, contractione, dependebit: sicque maximè quadrabit contextui Hippocr. & maximè contextui Galeni, vbi hanc citat sententiam, conuenier, vbi πιερὰ habet: facilis enim fuit literæ τ, in π, mutatio. Inquit igitur Hippoc. *Vbi terra pinguis est, & mollis, & aquosa*) sunt distincta terræ epitheta: nam pinguis semper mollis est, & ferè semper aquosa: at mollis aliqua esse potest, quæ non sit pinguis, sed vliginosa, & lacustris: aquosa necessariò est mollis, sed non semper pinguis. Dicit igitur, vbi terra est pinguis, succulenta, in qua est vberras, mollis, tenera facilis culturæ, & aquis referta.

Aquæ autem valdè sublimes, ita vt æstate calidæ sint, hyeme frigidæ.) ὕδατα μετέωρα dicit admodum sublimes, nec de profundo scaturientes, ita vt ęstate sint calidæ, hyeme frigidæ, ita vt ex iis constet esse malas: Ex hac sententia in principio secũdi libri memini me correxisse vulgatam impressam tam Basiliensem, quàm Aldinam impressionem Græcam, vbi de primo situ locorũ ad ventos calidos positorum verba faciens, & referens qualitatem aquarum, quæ sunt peculiares horum locorum, legebatur negatiuè, nõ esse sublimes, & esse æstate calidas, hyeme frigidas. Docuimus tum ex codice manuscripto Gadald. tum ex hoc loco, tum ex ratione, & experientia, legendum esse affirmatiuè, Ita vt dicat necessariò sublimes æstate calidæ, hyeme frigidæ. Neq; enim dici potest, locum hunc esse deprauatum, non autem illum. Præter enim rationes ibi vel maximè ex experimento adductas; quibus probabamus necessariò aquas, quę æstate calidę, hyeme frigidę sunt, esse sublimes, patet ex Galeni contextu, in quo in lib. Quòd animi mores, &c. vt dixi, affirmatiuè legitur: quæ verò huius rei sit ratio, abundè in superioribus libris à nobis est demonstratum.

καὶ τὰ ὥρεα καλῶς κέηται.) Hęc pars difficultatem habet nõ paruã: siquidẽ quę benedisposita sũt, secundùm naturã existunt: quę verò secundùm naturam sunt, bona sunt, nec vnquàm malè, sed bene operantur: propterea Baccius ex quibusdam manuscriptis legit κακῶς, id est, malè. Galeni libri impressi Græci habent καλῶς omnes: attamen qui traduxerũt, in margine annotãrunt loco καλῶς, κακῶς malè, esse legẽdum. Quin quod maiorem facit difficultatẽ, est antiquus interpres Gal. qui in transferendo lib. Quod animi mores, &c. multò aliter videtur nomen ὥρεα, intellexisse, non pro anni temporibus, tempestatibúsve, sed putans sumi pro ὄρεα, vt solent Dorici, & Ionici, pro montibus: & ita interpretatur; & malè montibus iacent. Vbi duo sunt notanda; primùm & ipsum habuisse κακῶς, & ὥρεα, montibus intellexisse. Ego verò crediderim, communem nos posse sequi lectionem: quamuis enim, quæ bona sunt, malũ per se non inferunt, aliis tamen iuncta, aliquando nõ corrigunt, sed maliciam augent. Moueor autem, cur credam bene tempora disposita supponere in hac soli specie ex sequenti; in qua à frigore hyberno nimiùm premi, & à calore æstiuo nimis aduri supponit, quæ alioqui in reliquis est opposita. Intelligit igitur, vbi talis sit, & aqua, & terra, quemadmodum diximus, inq; cæteris temporum ratio, & mediocritas seruetur.

Ibi homines carnosi sunt.) Vbi calor, & humiditas iunguntur, corpulentum, carnosumq; corpus reddunt; quia humor materiam sanguini gignẽdo suggerit; calor verò eandem in carnem mutat. Crediderim tamen potiùs per carnosos intelligere, quemadmodum superiùs dicebamus de Phasianis, quasi prætumidos, & ventricosos; quia calor naturalis validus in iis esse nõ potest, qui ad carnosum corpus reddẽdum necessarius est. 2. de Temperam. cap. 5.

Ἄναρθροι, *malè articulati.*) Possumus duplicem causam huius rei reddere, vnam communem, quæ est, quòd iis, qui sunt perpingues, carnosi, & quasi tumefacti, ob hanc causam abscondan-

turarticuli. Sed est alia causa magis particularis; quia vbi humidum abundat in generatione, membra ficca, vt ossa, & cartilagines, minora proueniunt: & propterea in iis etiam mediocriter pinguibus absconduntur articuli. Vnde 1. de Artic. part. 26. dicebat Hippoc. qui carnosi sunt, firmiores habent articulos, quia carne ipsa continentur: macilentis verò facilè excidunt; maximè cùm tales non sunt natura: atq; exemplo boum tempore hyberno id vel ex Homeri testimonio comprobat.

Humidi.) Aër enim humidus ambiens vniuersum corpus humectabit tum extrinsecus, tum & internè: solent enim primæ qualitates tota corpora permeare, vt docebat Galenus 1. de Elem. & lib. de Constitutione artis med. Quinimo non modò qualitates cõmunicantur corpori, sed ipsemet aër, & vapores admixti inspiratione tum arteriarum, tum per os facta recipiuntur: quinimò cùm cerebrum fit ex iis, quæ primò recipiunt aëris omnes impressiones, cêseridum est & grauedines, & distillationes eo affecto ab aëre humido produci, & in vniuersum corpus transfundi.

Laborum impatientes.) Cùm ad laborem sufferendum requiratur calor, spirituſq; vegeti, hic tales esse non possunt, quòd quasi a multitudine humiditatis extinguatur: quod vel sensuũ exemplo potest cognosci. Vt præterea corpus aptum sit ad laborem tolerandum, requiritur corpus solidum, & musculosum: minùs enim resoluitur, neque ita ex labore laxantur articuli. Cùm verò hic supponamus corpus humidũ, molle, & laxatis articulis, censendum etiam est laborum impatientes esse: quod vel mulierum exemplo, & puerorum, cuique potest fieri manifestum: vnde querebatur 5. problem. 22. cur qui natura humidi sunt, à labore strāgulentur. Quantum ad animi mores, dicit esse (*animo malo vt plurimum.*) An quòd prauis, vitiosisque humoribus cùm vniuersum corpus sit refertum, censendum eos humores animum perturbare, & ad malum peragendum extimulare: an potiùs cùm nec ingenio præstẽt, vt dicet iam iam, neq; ad labores ferẽdos sint apti, sed segnes, torpidi, etiam malis moribus eos præditos esse dicendũ est, & malignos, inuidos, & maledicos?

Segnities quinetiam, & somnolentia eis inest multa.) Docebat Aristoteles lib. de Somno, & vigilia, & Galenus primo de Symptomatum causis, ex copia humidi caput petentis somnũ fieri. Cùm verò in iis abundet quammaxime humidum, opera corporis, quæ ad voluntatem pertinent, cessant maiori ex parte, & animi succedit torpor, & ignauia. Dicit autem segnitiem, & somnolentiam, vt & inclinationem ad somnum ostenderet, longitudinem eiusdem, & profunditatem, tum etiam vt segnitiem illam in agendo, quæ in iisdem cõspicitur, nobis ob oculos poneret.

Suntque ad artes crassi, non subtiles acutive.) Menã quantò magis in humido corpore cõsistit, tantò fit ad operandum ineptior, spiritibus, qui instrumenta sunt operationum, quasi extinctis, & refrigeratis: vnde dicitur prouerbio; mens siccior, mens prudentior. Dixit esse crassos in perceptione, non subtiles in intellectione rei tam perceptæ, non acutos, acrésve in discernendis rebus, collatione rerum facienda. Superflua igitur, & excedente humiditate, & spiritibus aut extinctis, aut crassioribus redditis in operationibus, iis animi reddũtur hebetiores. Hic à nobis illud considerari posset, quod à Galeno lib. Quòd animi mores corporis temperaturam sequantur, diligenter est ad examen reuocatum, an Galeni sententia, quæ præter Platonis, Aristotelis, & aliorum philosophorum testimonia, Hippoc. testimonio ex hoc libro vel maximè desumpto fuit confirmata, veritati consentiat. Verùm quòd præter intentum nostrum est, qui solùm Hippoc. sententias considerantus, & explicamus, prætereundum esse duxi: cùm maximè Galeni sententia aliqua limitatione indigeret: sufficiet illud solùm nobis concedere, aliqua ex parte animi actiones ex temperatura corporis, humoribusque in eo existentibus, vel prædominantibus, immutari; non autem omnino ex iis pendere: quod forsasse Galenus eo libello visus est voluisse.

LIX.

Ὅκου δ' ἐστὶν ἡ χώρη ψιλή τε καὶ ἀνώχυρος, καὶ τρηχεῖη, καὶ ὑπὸ τοῦ χειμῶνος πιεζομένη, καὶ ὑπὸ τοῦ ἡλίου κεκαυμένη, ἐνταῦθα δὲ σκληρούς τε καὶ ἰσχνούς, καὶ διηρθρωμένους, καὶ ἐντόνους καὶ δασέας. τό τε ἐργατικὸν ὀξὺ εἶδεν ἐν τῇ φύσει τῇ τοιαύτῃ, καὶ τὸ ἄγρυπνον. τά τε ἤθεα καὶ τὰς ὀργὰς αὐθάδεας καὶ ἰδιογνώμονας, τοῦ τε ἀγρίου μᾶλλον μετέχοντας, ἢ τοῦ ἡμέρου. ἔς τε τὰς τέχνας ὀξυτέρους τε καὶ συνετωτέρους, καὶ τὰ πολέμια ἀμείνους εὑρήσεις. καὶ τἄλλα τὰ ἐν τῇ γῇ φυόμενα πάντα, ἀκόλουθα ὄντα τῇ γῇ.

Vbi autem regio nuda, immunita, & aspera, ab hyeme pressa, & à Sole adusta est, ibi quidem duri, graciles, bene articulati, vegeti, & hirsuti incolæ sunt, actionumq; promptitudo, & vigilantia eis inest: moribus sunt, & iracundia audaces & pertinaces, feritatisq; magis quàm mansuetudinis participes, & in artibus acutiores, & prudentiores; circa res bellicas meliores: sicq; omnia, quæ ex terra proueniunt, terræ naturam sequuntur.

Proponit iam tandem oppositam superiori hominum qualitatem ex tertiæ naturæ, & habitudine & promanantem, & quodammodo illi similem, & dicit (*vbi autem est regio nuda*) Iam explicauimus, per nudam, & arboribus, & herbis, & bona ex parte vineis destitutam Hippocratem intelligere. (ἀνώχυρος) Interpretes naturâ munita interpretantur. Caluus, difficilis

difficilis accessu, vertit. Ego verò potiùs immunitam verti: composita enim est ex dictione ἀν, negante, & pendet à verbo ὀχυρόω, quod munio significat. Intelligit igitur non munitam ab aquis, sed aridam & siccam: ideo subdit, & asperam, aut non munitam circumcirca montibus, aut arboribus, vt in agro Veronensi conspicitur, quamuis is etiam magna ex parte sit saxosus.

Ab hyeme pressa & à Sole adusta.] Cùm planam statuat, & frigoris, & caloris maximas patietur impressiones. Addit Alemanus in suo Græco codice, [τά ὕδατα μετέωρα, & vertit; *& aquæ profundæ*] qua in re duo annotamus: primùm præter Græcorum codicum veritatem additam esse hanc particulam: potissimùm cùm hic oppositam superiori posuerit habitudinem. In illa verò ὕδατα μετέωρα, id est, vt & ipse vertit, aquas sublimes posuit: non igitur in hac eadem aquæ constituentur. Verùm vt hanc euitaret difficultatem, ipse vertit, aquas profundas, vt sublimibus opponeret. Quasi verò vsus esset æquiuocè hac dictione μετέωρα, nunc pro sublimibus, nunc pro oppositis, id est, profundis: quod omnino esset absurdum. Omittenda igitur est: quod etiam à Galeno factũ videmus lib. Quòd animi mores, &c. Pergit ponere cõditiones hominum in huiusmodi terra degentium: & Inquit [*ubi quidem duri*] ob terræ, & aëris siccitatem, & magnas frigoris, & caloris mutationes.

ἰσχνούς, graciles.] Ob soli, & aëris siccitatem, tum etiam propter agri sterilitatem, quæ huiusmodi terræ comes solet esse perpetua; in qua coguntur homines multum sese exercere pro victu acquirendo. An potiùs ἰσχυρούς legendum; quod fortes significat: quod Galenum in suo codice habuisse constat ex libro citato Quod animi mores, &c. Facilis autem fuit lapsus à dictione ἰσχυρούς, ad ἰσχνούς. quomodocunque legatur, semper vera erit Hippocratis sententia. Subdit [*bene articulati.*] diximus superiùs, quò articuli magis conspicui fuerint, eò robustiores esse homines, corpúsque firmius habere: vnde dicebat Galenus 3. de vsu part. 16. de articulis loquens: nam ferè semper tria hæc obseruauit, vt magnis actionibus grandia ossa, & firma accommodaret, grandibus ossibus grandia vincula, & firma, tum & musculos crassos adnecteret: & vt firmis, & magnis ossibus etiam appendices robusti adnecterentur. Quod iam etiam docuerat libro secundo de vsu part. cap. decimo septimo.

Vegeti.] Id est, ad omnia prompti: quòd non onerentur superfluo humido, vt in humidis, & palustribus locis accidit, vbi sunt tardi, & hebetes.

Et hirsuti.] Qui calido, & sicco sunt temperamento: pili enim ex fuliginosa materia fiunt, fuligo ex crasso humore torrefacto. Torrentur autem à calore natiuo validiùs incendente.

Actionúmque promptitudo, & vigilantia eis inest.] Cùm corde calido sint, imò totius corporis tali temperamento, spiritus sunt subtiles, artes, mobiles. & ad actiones obeundas quàm aptissimi. Cúmque cerebro sint sicco, minimè distillationibus obnoxio, minimè sentiendi facultas ex vaporum multitudine obrui poterit: ideo erunt vigilantes.

Moribúsque sunt, & iracundia audaces, & pertinaces.] Calor vbi moderatus sit, & spiritus, actiones promptè obeunt, animamque operantem validè adiuuant. At vbi humoribus nõ affluat, sed in sicco positus sit calor, & vehementiùs operatur, & constantiùs in ea operatione perseuerat. Quapropter non solùm promptum, & celerem, sed & constantem, pertinacem, fortemque animum, ad iram propensum, vnique sententiæ inhærentẽ reddet. In sicco enim consistens calor acriùs pungit, & vehementiùs vrget. Quòd si humores nonnihil ad operationes has animæ immutandas conferunt; cùm bilis flaua, & nigra in iis corporibus abundet; iram facilè concitabit flaua bilis, nigra autem pertinaci[illegible]am; & contumaciam. Ideo subdit Hippoc. [*feritatísque magis, quàm mansuetudinis participes.*] Solet enim sæuitia, & feritas nihil esse aliud, vt superiùs docuimus, quàm iræ perseuerátia, & pertinacia. Sæuum enim est, in ira persistere. Apposuit autem hanc particulam; quia iracundia sæpenumero iuncta est cum mansuetudine, vbi parum perseueret, neque causas habeat conseruantes; qualis est humor melancholicus.

Et in artibus acutiores, & prudentiores.] Per acutiores intelligit in percipiendis: prudentiores in operibus agendis. Non est aliquid in præsentia pro explicatione huius particulæ dicẽdum; quando in superiori, cùm de humido cerebro, & hebeti satis multa docuerimus, nisi & vigilantiam adiungamus, & acumen ingenij, & perseuerantiam in re aliqua inuenienda, aut tractanda. Quòd si quis dixerit molles potiùs carne aptos esse ingenio, ex Aristotele 2. de Anima 94. vtique de temperatis id concedam, quòd cæteris præualeant. Non de mollibus carne, quales erunt, qui descripti sunt in superiori particula. At verò 3. problem. primæ sectionis docuerat, eos, qui in aliqua arte excelluerunt, fuisse melancholicos, & siccos, quales sunt, qui hic describuntur: quod vel maximè in artibus belliris verum esse docuit hic Hippocrates, & Aristoteles loco citato.

Sicq; omnia, quæ ex terra proueniunt, terræ naturam sequuntur.] Est hæc veluti quædam eorum, quæ superiùs exemplis demonstrauit, quòd homines naturam terræ sequuntur, & veluti æmulantur, confirmatio. Exemplo aliarum rerum, quæ pro natura terræ, in qua proueniunt, naturam mutant. Nam quæ in montibus nascuntur, sicciora, validioraq;, & acriora persentiuntur. Quæ in pinguibus agris, plus alunt, & meliùs. Quæ iuxta aquas, imbecilliora sunt, magis

excrementosa, & viribus quasi exinanita, nisi si quæ sunt plantæ aquosæ. Plantæ etiam, & arbores, quæ ita sitæ sunt, vt Solem maximè, eiúsque radios persentiant, fructus edunt, & sapidiores, & salubtiores. Quinimò in ipsis paruis rebus discrimen hoc obseruauit Hippoc. lib. de Articulis, multum referre dicés, vtrum animal vescatur herbis teneriotibus, an adultis: nam tenera herba longè est melior adulta, & magis impinguat. Videmus etiam calida, & sicca loca, animalia einsdem temperamenti producere, leones, tigres: econtra frigida & sicca, animalia eiusdem temperamenti, & melancholica, puta syluestres asinos, alces, & id genus alia. Equi quinetiam, qui ex Dacia, & Germania adducuntur, videmus crassos, feroces, graues tamen, & grauis armaturę equitibus magis cõuenientes. Qui in Hispania, & Neapolitano regno nascuntur, & aluntur, agiles, vegeti, corpore alto, sed non crasso: & vt summatim dicam, in omnibus referunt regionem, in qua educantur, calidam, & siccam. Quod de iis diximus, in cæteris facilè quilibet conspice[illegible]est.

LX.

Αἱ μὲν ἐναντιώταται φύσιές τε καὶ ἰδέαι, ἔχουσιν οὕτως. ἀπὸ δὲ τουτέων τεκμαιρόμενος, τὰ λοιπὰ ἐνθυμέεσθαι, καὶ οὐχ ἁμαρτήσῃ.

Atque hactenus quidem maximè contrarias corporum naturas, & formas diximus. E quibus coniectura sumpta, si reliqua etiam consideraueris, nunquam à vero aberrabis.

Quod in proœmio proposuerat, se non particularia quęque in hoc libro esse prosecuturum, sed vniuersaliora solùm quædã, ex quibus facilè medicus posset magis specifica intelligere, id ipsum in fine huius libri repetit, vt per hanc sententiam, qui hunc librum legerit, maiorem posset inde capere vtilitatem. Inquit igitur, hactenus se maximè contrarias corporum naturas, & figuras docuisse, potissimùm in iis, quæ ex natura soli, in quo & nascuntur, & aluntur homines, pendent. Quibus diligenter consideratis, obseruatáque natura terræ, & humidæ, & pinguis: itemque consideratis naturis, & figuris hominum, quæ in iis degunt; tumque appositis siccis, & asperis, & hominibus in ea degentibus: considerabit item, quales sint naturæ, figuræ, moresque hominum, qui in mediis & enascuntur, & diutius enutriti viuunt.

FINIS.

Rerum, & verborum, quæ in his Commentariis continentur, accuratissimus

INDEX.

B

C

Contrar

Tartari

FINIS.